This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.


+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

HH 1T4I 0

44. 405. (1)
130




2291

D. *AUGUSTI CHRISTIANI BORHECK*

HISTOR. ET ELOQ. IN REGIA DUISBURGENSI RHENANA ACADEMIA PROF. PUBL. ORD.

# APPARATUS

AD

# HERODOTUM

INTELLIGENDUM ET INTERPRETANDUM.



Volum. I.

Chronologia & Criſis Herodotea.

*LEMGOVIAE,*

in Officina Libraria Meyeriana 1795.

Gh 44.405

# De
# Chronologia Herodotea.

Rerum in *Herodoti Muſis* memoriae proditarum multitudo & varietas chronologiam, cuius ope lectores tempora, quibus evenerunt, recte dignoſcere, ſeriemque factorum connectere poſſunt, deſiderat, non enim Graecorum ſolum, pro libertate ſua contra Perſas pugnantium, ſed omnium paene populorum, tunc temporis cognitorum, hiſtorias in opere ſuo conſcripſit pater ille Hiſtoriarum Halicarnaſſenſis. Quum vero nemo, inter omnes Herodoti interpretes, temporum eius rationes melius doctiusque illuſtrare & explicare tentavit *Larcherio*, Francogallum hunc doctiſſimum, qui omnes longe poſt ſe reliquit, in chronologia Herodotea explicanda potiſſimum ſequi ſtatui-

mus, eiusque de chronologia Herodoti libellum, *Franckiana*, quae *Larcherio* non innotuit, temporum ratione auctum, &, ubi opus fuerit, emendatum, hic placuit ſubiungere.

# Caput I.

## *de Chronologia Aegyptiorum.*

Aegyptiorum chronologia vix caput ullum intricatius eſt omni hiſtoria orbis antiqui, & qui in ea explicanda ſudarunt viri eruditi, praecipuam in eo operam ſuam collocarunt, ut ejus cum Hebraeorum libris ſacris conſenſum oſtendere tentarent, ideoque immenſam illam ſeculorum & regum ſeriem, ab initio regni ad Cambyſin, ut fabuloſam contemnere eamque praeterire non dubitarunt. Sed haec quidem ſi Hebraeorum ſuis in relationibus Aegyptiacis auctoritatem ſtatuamus divinam, ratio facillima; at iis, qui hanc negant, quis poterit probare? Et ipſis Hebraeorum libris in auxilium vocatis, incorruptis & genuinis aliis deſtituti monumentis, non dicam certam, ne certitudini quidem proximam Aegyptiorum chronologiam reſtituere nunquam poterimus. Quare quam breviſſime varia doctorum virorum, tam veterum quam recentiorum, eam illuſtrandi pericula, enarrare, Herodoteam temporum rationem, quantum quidem fieri poterit, explicare, & cum Hebraeorum monumentis comparare tentabimus.

### §. 1.

### *de vetuſtis Aegyptiorum annalibus.*

Exſtat quoddam *chronicon vetus Aegyptiacum*, cuius

cuius auctor ignotus eſt. Memoratus a *Syncello*[1]), & Alexandri Magni ſeculum non ſuperat. Ad Nectanebum id deſcendit, qui quindecim ante Aegyptum a Macedonibus ſuperatam regnavit annis, & fortaſſis multo poſt hunc eventum ſcriptum videtur. Perierant iam veteres Aegyptiorum annales, lingua, in qua, quae tunc ſupererant reliquiae, ſcriptae erant, temporibus Macedonicis vulgaris iam eſſe deſierat, & a paucis, vixque recte, intelligebatur. Fontes quoque, e quibus ſua hauſit chronici auctor, non indicavit, quod fidem eius merito reddit ſuſpectam. Sed quisquis ille fuerit, de chronographia eius haec tradidit *Syncellus*[2]).

Φέρεται γὰρ Αἰγυπτίοις παλαιόν τι χρονογραφεῖον (ἐξ οὗ καὶ τὸν Μανεθῶ πεπλανῆσθαι νομίζω) περιέχον λ΄. δυναστειῶν ἐν γενεαῖς πάλιν ριγ΄. χρόνων ἀπείρῳ, ἐν μυριάσι τρισὶ, καὶ ϛφκέ. πρῶτον μὲν τῶν Αὐριτῶν, δεύτερον δὲ τῶν Μεστραίων, τρίτον δὲ Αἰγυπτίων· οὕτω πως ἐπὶ λέξεως ἔχων.

Θεῶν βασιλεία κατὰ παλαιὸν χρονικόν. Ἡφαί-
58 στου χρόνος οὐκ ἔστιν· διὰ τὸ νυκτὸς καὶ ἡμέρας αὐτὸν φαίνειν. Ἥλιος Ἡφαίστου ἐβασίλευσεν ἐτῶν μυριάδας τρεῖς. ἔπειτα Κρόνος φησὶ, καὶ οἱ λοιποὶ πάντες θεοὶ δώδεκα ἐβασίλευσαν ἔτη, γτπδ΄. ἔπειτα ἡμίθεοι βασιλεῖς ὀκτὼ ἔτη σιζ΄. καὶ μετ᾽ αὐτοὺς γενεαὶ ιε΄. Κυνικοῦ κύκλου ἀνεγράφεισαν, ἐν ἔτεσι υμγ΄. Εἶτα Τανιτῶν ιϛ΄. δυναστεία, γενεῶν ή, ἐτῶν ρυ΄ πρὸς οἷς ιζ΄. δυναστεία Μεμφιτῶν, γενεῶν δ΄, ἐτῶν ργ΄. μεθ᾽



1) Chronogr. p. 51. edit. Pariſ. & p. 40. edit. Venet. 1729. fol.
2) l. l.

ȣ̃ς ιη΄ δυναϛεία Μεμφιτῶν, γενεῶν ιδ΄, ἐτῶν, τμη΄. ἔπειτα ιδ΄ δυναϛεία Διοσπολιτῶν, γενεῶν ε΄ (ἐτῶν) ρυδ΄. εἶτα εἰκοϛὴ δυναϛεία Διοσπολιτῶν γενεῶν η΄, ἐτῶν σκη΄. ἔπειτα κα΄ δυναϛεία Τανιτῶν, γενεῶν ϛ΄, ἐτῶν ρκα΄. εἶτα κβ΄ δυναϛεία Τανιτῶν, (γενεῶν) γ΄, ἐτῶν μη΄. κγ΄. δυναϛεία Διοσπολιτῶν, γενεῶν β΄, ἐτῶν ιθ΄. εἶτα κδ΄. δυναϛεία Σαϊτῶν, γενεῶν γ΄, ἐτῶν μδ΄. πρὸς οἷς κε΄ δυναϛεία Αἰθιόπων, γενεῶν γ΄, ἐτῶν μδ΄. μεθ᾽ ὃς κϛ΄. δυναϛεία Μεμφιτῶν, γενεῶν ζ, ἐτῶν ροζ΄. καὶ μετὰ τȣ́τȣς κζ΄ δυναϛεία Περσῶν ε΄. ἐτῶν ρκδ΄ . . . . ἔπειτα κθ΄. δυναϛεία Τανιτῶν, γενεῶν *, ἐτῶν λθ΄. καὶ ἐπὶ πάσαις λ΄ δυναϛεία Τανίτȣ ἑνὸς ἔτη ιη΄. h. e.

„Vetus enim quaedam chronographica deſcriptio fertur apud Aegyptios, qua Manethonem in errorem adductum exiſtimo, quaeque triginta principatuum per generationum 113 ſeriem immenſo quodam temporis ſpatio, annorum videlicet myriadum trium & 6525 diſtributionem complectitur: ac primo quidem Auritarum, ſecundo Meſtraeorum, ac demum Aegyptiorum narrationem hoc fere modo inſtituit.

*Deorum regnum iuxta vetus Chronicon.*

Vulcani tempus, quod interdiu noctuque appareat, haud aſſignatur. Sol Vulcani filius myriadibus annorum tribus regnavit, tum Saturnus, inquit, ac reliqui duodecim dii regnum tenuerunt annis 3984 deinde Semidei reges fuerunt octo, annis 217. Poſt hos familiae quindecim Cynici circuli recenſitae ſunt annis 443. mox Tanitarum principatus 16, generationibus

bus 8, annis 190 ſtetit: cui 17 principatus Memphitarum, familiarum, quatuor, annis 103 acceſſit: hosque principatus Memphitarum 18, familiarum 14, annis 348 ſequutus eſt: Poſtmodum Dioſpolitarum 19 principatus, familiarum 5, anni 194 ac tum principatus 20 Dioſpolitarum, familiarum 8, annorum 228. mox etiam principatus 21 Tanitarum, familiarum 6, annis 121. inſuper principatus 22 Tanitarum, familiarum 3, annis 48. ad haec principatus 23. Dioſpolitarum, familiarum 2, annis 19. poſthac principatus 24 Saitarum, familiarum 3, annis 44. his adiungitur principatus 25 Aethiopum, familiarum 3, annis 44. quibus ſucceſſit principatus 26 Memphitarum, familiarum 7, annis 177. ſucceſſit 27. principatus Perſarum 5, annis 124. . . . His addendus 29 principatus, familiarum * annis 39. quibus tamquam cumulus accedit 30 principatus Tanitae unius, annis 18."

Deorum & Semideorum ſive Heroum regna viginti duo continent generationes & 34201 annos. Triginta Dynaſtiae comprehendunt generationes ſeptuaginta, exceptis tam quinque prioribus, qui non denominatae ſunt, Dynaſtiis, & generationibus duodetrigeſimae Dynaſtiae, quam omnem vel praeteriit auctor, vel quae librariorum incuria e codicibus exſulavit. Numerantur igitur anni 2140, excepta tamen duodetrigeſima Dynaſtia, quae quidem annos 184 *Larcherio* duraſſe videtur, quia, numerum iſtum ſi vel 2140 annis, vel 34201 addamus, ſummam 36525 annorum accipiemus. Regum ergo Dynaſtiae per 2324 annos durarunt. O

Chronico iſto ad Nectanebum usque, qui quindecim annos ante Aegyptum ab Alexandro Magno domitam regnavit, deſcendente, primus Aegyptiorum rex anno 2043 periodi Julianae, (Period. Jobel Franck 1511,) ante aeram Chriſtianam 2671. regnaſſe dicitur, quae quidem temporum ratio neque cum Hebraeorum neque cum Graecorum hiſtoriis convenire videtur. Docuit tamen *Franckius* [1]) noſter, chronologorum facile princeps, Chronographon hoc vetus cum chronologia biblica Jobelea probe convenire, idque pretioſum antiquitatis cimelium iudicavit. Et rectiſſime. Priores enim quatuordecim Dynaſtiae, quae in hoc Chronico apud Syncellum deſunt, ſine dubio comprehendunt tempus antediluvianum, quo Auritae, qui in numerum Deorum ab Aegyptiis relati ſunt, regnarunt. Hi in Deos & Semideos dividuntur. Dii 11985 annos Aegyptios, ſeu potius menſes 30 dierum, qui 985 annos Julianos faciunt, auctore Manethone, regnarunt. Semidei, eodem Manethone referente, 2615 Aegyptios, qui 215 Julianos efficiunt, annos regnarunt. Utrisque igitur 14600 Aegyptiorum vel 1200 Julianorum annorum ſeries tribuitur. Apprime igitur convenit haec vetuſta Aegyptiorum chronologia cum Diodoro Siculo, qui Deos & Semideos 1200 Annos regnaſſe dicit. Convenit etiam cum ipſius Sacrae Scripturae calculo. Quodſi enim ab Adamo ad Vulcanum usque,

---

1) Nov. Syſt. Chronol. fund. Goettingae 1778. f. §. CII. p. 180 ſqq.

usque, qui ſine dubio eſt Tubalcainus, 455 annos numeres, & huic numero addas 1200, pervenies ad annum diluvium antecedentem 1655, quo haec proſapia ſubmerſa eſt. Convenit etiam hoc cum periodo Cynica 1440 annorum, quae cum periodo Jobelea, ſeu primordio mundi incipit, & cum illa pari paſſu procedit. Haec enim periodus cum ſerie ducum priorum, qui Dii nominantur, anno 1440 clauditur, & cum Semidiis denuo incipit. Atque hanc *Franckius*, cum Cenſorino, putavit rationem eſſe, quare Dynaſtia decima quinta in Chronico ab hac periodo denominetur cynica, quippe quae 215 annos ante diluvium incepit. Pertinent verò etiam ad hanc Dynaſtiam Meſtraei, a Mizraimo, Chami filio, ita dicti, qui poſt diluvium Aegyptum incolere coeperunt, & per annos 443 ibi regnarunt. Atque hos eſſe putat *Franckius*, qui in tabula Manethonis ad Dynaſtiam decimam quartam referuntur, & *Xoitae*, fortaſſe a *Sothi*, ſidere càniculari, dicti, a quo ſidere haec periodus nomen *cynicae* tulit. — Quod ad ſummam in Chronico propoſitam 36525 attinet, quae multis offendiculò fuit, ea non annos Julianos, aut alios quoscumque annos proprie dictos, ſed tantummodo menſes triginta dierum definit; qui, ut a *Franckio* demonſtratum eſt, accurate 3000 annos Julianos completos faciunt, & tempus, a Vulcano ad ultimam usque Dynaſtiam praeterlapſum, comprehendit. Nam 36000 menſes 30 dierum aequales ſunt 3000 annis 360 dierum, & 36525 eiusmodi menſes accurate 3000 annos Julianos exaequant. Obſervavit etiam doctiſſimus

iſte noſter chronologus, hunc numerum eſſe *periodum cynicam magnam*, quae cyclos caniculares 1461 & 1440 vicies quinquies in ſe continet. Si enim 1461 per 25 multiplices, habebis 36525; & 1440 multiplicatis per eundem numerum, habebis 36000, qui eſt magnus ille annus Platonicus, quo, uti priſci putarunt, totum ſyſtema coeli ab ortu ad occaſum volutetur, atque ad primum punctum redeat, qua de re Aegyptii hanc periodum ἀποκατάστασιν κοσμικὴν nominarunt. — Haec *Franckius.*

§. 2.

*De Manethone.*

Manetho, Sebennyti ſummus ſacerdos, & ſacrarum ibi tabularum cuſtos, Ptolomaei Philadelphi iuſſu hiſtoriam Aegypti compoſuit, quam Hermetis Triſmegiſti ſacris e libris hauſiſſe dixit [1]). Opus hoc periit; ſed Manethonis chronologiam Julius Africanus & Joſephus contra Apionem [2]) conſervarunt, quorum quidem poſtremus fragmentum, decimam octavam, & undevigeſimae Dynaſtiae duo reges priores continens, libro ſuo inſeruit. Dynaſtiae decumae octavae reges tribuit quinque, duasque reginas, qui 348 annos & 7 menſes regnarunt. Julius contra Africanus [3]) hac eadem in Dynaſtia reges numerat ſexdecim, reginarum nulla facta

1) Syncelli Chronogr. p. 40. edit. Pariſ. p. 31. edit. Venet.

2) lib. I. §. 15.

3) Syncelli Chronogr. p. 69. 70. 72. Paris, & p. 55. 56. 57. Ven.

ſacta mentione, quos ſexdecim reges 284 annos regnum tenuiſſe dixit, quae quidem Juliana computatio 56 annos & 7 menſes a Joſephina differt. Seculum quo vixit floruitque Manetho, quamquam ſuſpectum nobis reddat eius teſtimonium, ſilentio tamen praeterire non poſſum, fidem ſuam Julium haud parum laeſiſſe, regem unum dum plane omiſit, annosque ſeptemdecim horum regum deminuendo corrupit. Patet enim clariſſime, annorum numerum 340, quos Dynaſtiae duodevigeſimae regibus tribuit Manetho, verum, vel ad veritatem proxime accedentem eſſe, Juliumque Africanum a regula, quam in computandis generationibus ſequi ſolemus, haud parum aberraſſe.

Plura nunc de Manethone dicere ſuperſedemus, ex his enim, duodevigeſima de Dynaſtia iam diſputavimus, Julii Africani ceteris quoque in Dynaſtiis fidem valde ſuſpectam eſſe, patet.

Manethonis ſcripta ſcaturire mendaciis, & ad inſtar Beroſi Babylonii ficta multa pro veris ab eo vendita eſſe, auctor eſt Syncellus[1]). Concedamus: at Syncelli temporibus Manethonem quis umquam mendacii poterit convincere! Et noſtris tamen nemo dubitat, eum ſcriptorem dicere fabuloſum, cuius fide nulla, vel minima dignae ſint relationes! Quod quidem nemo magis ſtuduit evincere atque probare, *Meinerſio* Goettingenſi Philoſopho doctiſſimo[2]), cui noviſſimus

1) Chronogr. p. 16. Pariſ. p. 13. Ven.
2) in Specimine hiſtoriae religionis veterum populorum;

viſſimus Herodoti translator *Degenius*[1]) aſſenſit. Probare ſcilicet conatus eſt *Meinerſius*, ipſum fateri Manethonem, ſe non modo fontes nullibi exiſtentes, ſed & impuriſſimos exhauſiſſe, qui Agathodaemonis cuiusdam Hermetica ſcripta, rumoresque & incertiſſimas fabulas exſcripſiſſe dicat; ipſisque Manethonianis e fragmentis, quae apud Joſephum leguntur, oſtendere tentavit, Aegyptium hiſtoricum facta narraſſe vero maxime diſſimilia, & ſibi ipſis, ſacrisque Hebraeorum libris repugnantia, Deos eum finxiſſe Aegyptiis ignotos, patriosque cum Graecis confudiſſe mythos, omnem denique conſenſiſſe antiquitatem. Manethonem hiſtorias mentiri haud erubuiſſe: His tandem colligit ex argumentis, Manethonem fide nulla dignum eſſe hiſtoriarum ſcriptorem. —

At iuſtum in iudicium auctorem hunc vocare quis poteſt, cuius de ſcriptis pauciſſima tantum, eaque non minimum corrupta & depravata nobis remanſerint fragmenta? E mutilato eius varieque deſcripto opere, diſſenſum Aegyptii chronographi Hebraeorum a libris quis evincet? Et diſſenſus iſte, qui inter eos eſſe videtur, maxime permovit eruditos ad Aegyptium hunc condemnandum! Fortaſſis iniuſte. *Gattererus*[2]) enim, quem hiſtoriarum patrem

lorum, in primis Aegypt. Goettingae 1775. germanice edito, p. 105-128.

1) Herod. 5 B. p. 9. & 11 ad Chron. Herod. Larcher.

2) in Hiſtoria orbis terrarum germanice edita Goettingae 1785. I Parte p. 217 & 404 &c.

trem iure poſſumus appellare, Dynaſtias Manethonis intricatas feliciſſime videtur extricaſſe, eiusque fidem defendiſſe. Docet vir hicce ſummus, difficultates in Manethonis reliquiis eiusque dynaſtiis interpretandis ex mutilatione, variaque operis ſui depravatione oriri, quod minime integrum, ſed valde corruptum per Syncellum ad nos venit, qui ſeculi octavi Chriſtiani auctor ſua ex Africano, quarti ſeculi ſcriptore, excerpſit, qui iam Euſebium, tertio ſeculo florentem, deſcripſerat. Et quis hoſce ſcriptores Manethonem ex ingenio ſuo non corrupiſſe, ſed religioſe, quae is tradiderat, narraſſe evincet? Dynaſtiarum Manethonis tempora ordinemque ſi perſcrutando detexerimus, quae ſcilicet non ſibi ſuccedentes omnes ſed ex parte coaevae fuerunt; tunc regum eorum, de quibus alii ſcriptores Graeci, ut Herodotus & Diodorus, de quibus Hebraeorum ſacra monumenta quaedam digna memoriae tradiderunt nomina, locum facile ſuum invenient. Non alienum igitur nobis Gatterianam σύνοψιν tabularum Manethonianarum hic tranſcribere viſum eſt.

| A. M. Franck. | Thinites | Diospolitae | Memphitae | |
|---|---|---|---|---|
| 1809 | Init. circ. 1809 | Init. circ. 1809 | | |
| | 8 Thinit. 253 | 17 Diosp. 59 | Init. circ. 1829 | |
| | | 1868 | 9 Memph. 214 | |
| | | 7 Diosp. 160 | | |
| | | 2028 | | |
| | | 60 Diosp. 184 | 2043 | |
| | | | 8 Memph. 284 | |
| Abraham in Aeg. 2084 | Finis circ. 2062 | | | |
| Joſeph. Pharaonis Legatus 2281 | | Finis circ. 2212 | | |
| Jacob. in Aeg. 2298 | Thinites | | | |
| † 2315 | | | 2327 | |
| Joſeph. | Init. circ. 2327 | | 6 Memphi 203 | Hycſos vel Pharaones paſtores |
| † 2361 | 9 Thinit. 302 | Diospolitae | | |
| | | Init. circ. 2380 | | Init. circ. 2415 |
| | | 43 Diosp. & 43 Paſtores 153 | | 6 Phoenic. 284 |
| | | 2533 | 2530 | (76 Xoitae & 32 Graeci Paſtores reg. temporibus Hycſos) |
| Moſes natus 2619 | | 16 Disp. 263 | 70 Memphi, 70 Dies. 27 Memphi. 146 | |
| Cecrops 2624 | Finis circ. 2629 | | | |
| | | | | Exitus |

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| | Elephantin. | | | |
| Exitus | Init. circ. 2629 | | Finis circ. 2676 | |
| Iſraelita- | 9 Eleph. 248 | | | |
| rum 2699 | | | Heracleotae | |
| Danaeus | | | Init. circ. 2699 | Finis circ. 2699 |
| Moeris circ. | | | 4 Heracl. 100 | |
| | | 2796 | | |
| 2838 | Finis circ. 2877 | 6 Diosp. 209 | Finis circ. 2799 | |
| | | Obeliſci conditi | | |
| | | 3005 | | |
| | | 12 Diosp. 178 | | |
| | | Piramydes conditae | Tanites | |
| | | Finis circ. 3183 | | |
| | | | Init. circ. 3184 | |
| | | | 7 Tanit. 130 | |
| Jerobeam | | Heracleotae | ſecundus | |
| 3215 | | | Suſen. ſ. Si- | Bubaſtites |
| | | Init. circ. 3265 | ſacus | |
| | | 19 Heracl. 185 | Finis circ. 3314 | Init. circ. 3314 |
| | | | | 9 Bubaſt. 120 |
| | | | Tanites | |
| | | | Init. circ. 3413 | Finis circ. 3434 |
| | Aethiopes | | 4 Tanit. | |
| | | Finis circ. 3450 | 3 primi 58 | Saitae |
| | Init. circ. 3450 | | | |
| | 3 Athiop. | | | Init. circ. 3444 |
| | Sabbacon 8 | | | 1 Saites Boo choris 6 |
| | Seveckus ſ. | | | |
| | So - - 14 | | | |
| | Taracus ſ. | | quartus & | Finis circ. 3450 |
| Salmaneſar | Tirhaka 18 | Saitae | ultimus Zes | |
| | | | Herodoti Se- | |
| Sanherib. | Finis circ. 3490 | | thon 31 | |
| | | Init. circ. 3502 | | |
| | | 9 Saites. | Finis circ. 3502 | |
| | | primus - 7 | | |
| | | ſecundus 6 | | |
| | | tertius Ne- chao - 8 | | |
| | | quartus Pſam- metich. Do- decarcha 15 | | |
| | | 3538 | | |

Quin-

| | | |
|---|---|---|
| Scythae | Quinque reliqui Saites omnem tenuere Aegyptum Pſammitichus (Dodecarcha 15 Rex Aeg. 39 in univerſum 54 annos - | 3538 |
| | | 39 |
| Nabopaleſar | Nechao II ſ. Necus - | 3577 |
| | | 16 |
| | Pſammuthis ſ. Pſammis - | 3593 |
| | | 6 |
| Nebucadnezar | Vaphris (Apries) ſ. Hophra | 3599 |
| | | 24 |
| | Amoſis ſ. Amaſis - | 3623 |
| | | 42 |
| | Pſammenitus 6 menſes - | 3665 |
| | 8 Perſae | |
| | Cambyſes - - | 3665 |
| | | 3 |
| | Magi 7 menſes - | 3668 |
| | Darius Hyſtaſpis - | 28 |
| | Xerxes ] - - | 3696 |
| | | 21 |
| | Artaxerxes Longimanus - | 3717 |
| | | 40 |
| | Xerxes II. 2 menſes | 3757 |
| | Sogdianus 7 menſes - | 3758 |
| | | 19 |
| | Darius Nothus - - | 3777 |

1 Sai-

| | | |
|---|---|---|
| | **1 Saites** | |
| Artaxerxes Mnemon | Amyrtaeus - - | 3777 |
| | | 6 |
| | | 3783 |
| | **4 Mendeſii** | |
| | Nepherites - - | 3784 |
| | | 6 |
| | Achoris - - | 3790 |
| | | 13 |
| | Pſammuthis - | 3803 |
| | | 1 |
| | Anapheritus 4 menſes - | 3804 |
| | **3 Sebennytae** | |
| | Nectanebus I - | 3804 |
| | | 18 |
| | Teos ſ. Tecos - | 3822 |
| | | 2 |
| | Nectanebus II - | 3824 |
| | | 18 |
| | | 3841 |
| | **3 Perſae** | |
| | Artaxerxes Ochus - | 3841 |
| | | 3 |
| | Arſes - - | 3844 |
| | | 2 |
| Alexander M. | Darius Codomannus - | 3846 |
| | | 4 |
| | | 3850 |

B Fran-

*Franckius* 1) quoque novi ſyſtematis chronologici conditor ſollertiſſimus, pretioſum antiquitatis monimentum has tabulas Menethonis iudicavit, quae *certam aeram Aegyptiacam* exhibeant, quae cum annis periodi Jobeleae, ſeu mundi, aequaliter procedit, & cum chronologia ſacra quam accuratiſſime collineat. Huc usque nemo auſus eſt, addit, has tabulas pro aera uſurpare, partim quia a quibusdam pro Chao confuſo habitae; partim vero, quia cum nullo alio ſyſtemate chronologico comparari potuerunt: Quos tamen Gordios nodos duumviri excellentiſſimi, *Gattererus* & *Franckius*, feliciſſime ſolverunt, quorum videſis ſcripta laudata.

## §. 3.
### *De Julio Africano.*

Julius Africanus, Emmaunte, quae poſtea Nicopolis dicta, Paleſtinae oriundus tertio Chriſtianorum ſeculo, Antonino Heliogabalo & Alexandro Severo Imperatoribus, floruit. Opus huius praecipuum eſt Chronographia, quae 5721 annos a mundi noſtri primordiis ad conſulatum usque Annii Grati & Claudii Seleuci comprehendit, ideoque ad annum usque Chriſtianum 211 perducta fuit. Periit quidem Julii chronographia, particulae tamen eius ab Euſebio, Syncello, Joanne Malala, Theophane, Cedreno, & ab auctore chronici paſchalis ſive Alexandrini operibus ſuis inſertae ſunt.

Julius

1) Nov. Syſt. Chronol. Goetting. 1778. fol. §. CX. p. 190.

Julius Africanus 26 numeravit Dynaſtias, quae in Agypto ad Cambyſis usque expugnationem regnarunt. Prima Dynaſtia continet reges octo, annosque 263. Secunda, ſeptem reges, annosque 224. Tertia reges novem, annosque 214. Quarta item novem reges, ſed annos 284. Quinta iterum novem reges, annos vero 218. Sexta ſex reges, & 203 annos. Septimae ſeptuaginta reges tribuit, quorum quisque unum ſolum diem regnaſſe dicitur; omnesque igitur menſes 2, dies 10. Octava continet viginti ſeptem reges, annosque 146. Nona undeviginti reges, annos 409. Decima item reges undeviginti, annos autem 183, Undecima reges ſexdecim, annos 43. Duodecima ſeptem reges, 160 annos. Decima tertia reges ſexaginta, annos 184. Decima quarta apud Syncellum non invenitur Dynaſtia, ſed Euſebius, qui eam ſervavit, numerat reges ſeptuaginta ſex, annosque 124. Decima quinta ſex continet reges, 284 annos. Decima ſexta reges triginta duo, 518 annos. Decima ſeptima octoginta ſex reges, 153 annos. Decima octava ſexdecim reges, 284 annos. Decima nona ſex reges, 204 annos. Vigeſima reges duodecim, annosque 135. Vigeſima prima ſeptem reges, 130 annos. Vigeſima ſecunda novem reges, 116 annos. Vigeſima tertia quatuor reges, 89 annos. Olympias prima primo ſub rege huius Dynaſtiae Petubate celebrata. Vigeſima quarta unum tantum regem habuit Dynaſtia ſex annos regnantem. Vigeſima quinta tres reges quadraginta annos regnantes. Vigeſima ſexta novem reges, quibus 150 anni ſex menſes tribuuntur.

Africanus, ut auctor eſt Syncellus[1]), computationem ſacram Hebraeorum cum Aegyptiaca conſentientem reddere ſibi propoſuerat. Videamus quo ſucceſſu!

1) Numeravit primo 532 reges viginti ſex in dynaſtiis, quibus 5826 annos 8 menſes & 10 dies tribuit. Pſammacherites, quem, poſtquam ſex menſes regnaverat, Cambyſes devicit, Herodoto eſt Pſammenitus. Is 525 annos ante aeram Chriſtianam victus, captusque eſt. Qui numerus ſi addatur 5826 annis, Menetis regnum in annum ante Chriſtum natum 6351 incidit. Quodſi autem orbis terrarum, ex opinione Graecorum, quos ſequitur Julius Africanus, tantum 5500 annos ante Chriſtum natum creatus dicitur, hac ſua ex computatione; regem hunc 851 annos ante orbem creatum regnaſſe clariſſime apparet. Ridicula profecto fabula.

2) Dynaſtiae decimae tertiae ſexaginta tribuit reges, qui 184 annos regnaſſe dicuntur. Sequenti dynaſtiae decimae quartae ſeptuaginta ſex reges aſſignavit, qui totidem annos, 184 ſcilicet, regnum tenuerunt: decimae tandem ſeptimae dynaſtiae octoginta ſex reges tribuit, qui per 153 tantum annos regno potiti ſunt. Tam pauci regiminis anni, & tot reges omni veritati repugnare videntur. Accedit his, ſeptuaginta reges dynaſtiae ſeptimae, ſeptuaginta tantum dies regnaſſe. Quis umquam talia credet? Veritatem huius relationis defendere qui vel-

1) Chronogr. p. 53. 54. Pariſ. p. 42. 43. Venet.

vellet, reges hoſce ſe invicem trucidaſſe, deque ſolio deieciſſe affirmet, neceſſe eſt. Talium factorum nulla profecto mentio ullius in gentis hiſtoria legitur!

3) Primam Olympiadem ſub Petubate poſuit. Si in primum regni Petubatis annum incidiſſe eam putemus, in 3938 annum periodi Julianae, (3406 Jobel. Franck) qui eſt 1776 ante aeram Chriſtianam, ea incideret. His annis addita regnorum ſequentium ſumma, Aegyptus a Cambyſe ſubiugata foret anno Juliano 4223, (3691. Jobel. Franck.) qui eſt ante Chriſtum 491, cui computationi fide digniſſimi contradicunt ſcriptores; qui hanc expugnationem anno Juliano 4189, (3657. Jobel. Franck.) ante Chriſtum 525 anno, ideoque 34 annos prius accidiſſe teſtantur. Quodſi autem Olympiadem primam in ultimum ſive quadrageſimum, vel alium quendam eius regni annum incidiſſe diceremus, tot annos ſerior accidiſſet illa expugnatio, quod veritati hiſtoricae multo magis adhuc contrarium eſt.

## §. 4.

### *De Euſebio.*

Chronicon Euſebii in duo diviſum eſt libros, quorum in primo e Manethone & Julio Africano de regibus Aegypti excerpta inter alias res tradidit auctor, qui Manethonem fortaſſis e Julio tantum Africano cognoſceret, ipſumque opus eius non conſuleret. Utroque hoc tam Manethoniano quam Juliano libro perdito, de Euſebii in excerpendis iis fide & diligentia nemo nunc diiudicare poteſt.

Liber ſecundus Euſebianus canonem continet chronologicum a primo Abrahami anno incipientem, qui quidem annus ſecundum hunc ſcriptorem, Hebraeorum calculum probantem in annum orbis 1948 incidit, & cum anno Juliano 2678, (2145 Jobel Franck.) vel 2036 ante aeram Chriſtianam, congruit. Decima ſexta tunc temporis in Aegypto regnabat dynaſtia Vigeſima ſexta, Cambyſe Aegyptum expugnante, finita, anno Julianae periodi 4170, (3638 Job. Fr.) ante Chriſtum 544 hoc eſt undeviginti annos ante quam revera finita eſt. Undecim igitur eius Dynaſtiae Aegyptiaco regno per annos 1492 praefuerunt. Euſebius num Julianam praecedentium quindecim dynaſtiarum computationem probaverit, ignoramus, quod ſi hanc probaſſet, regni Aegyptiaci initium ſecundum Hebraeorum, quibus aſſenſit Euſebius, computationes, 401 annos, 2 menſes, 10 dies ante orbem conditum collocaſſet.

Ad annos regni quorumdam regum quod attinet, differt Euſebius interdum a Syncello, ſibique ipſe contradixit, nam de una eademque re chronicon eius & canon chronologicus non raro varia ſibique contraria proponunt.

## §. 5.

### *De Syncello.*

Georgius Syncellus, Tarentinus, monachus & Patriarcha Byzantinus, vixit ſeculo poſt Chriſtum natum octavo. Operam is & diligentiam ſuam chronologiae dicavit, lucubrationes ſuperiorum, qui hoc in ſtudio occupati fuerant, ſtudioſe evolvit, & a mundi primordiis ad Dio-

Diocletiani tempora chronographiam compoſuit. Qui cum animadvertiſſet Julii Africani computationem, Aegyptiacam in primis, inſtituto eius, Aegyptiorum & Hebraeorum annorum ſeriem conſentientem reddere, minime favere, huic malo mederi volens, maximam horum regum partem reſecavit, nec plures, quam octoginta ſex retinuit, quorum Menes erat primus, ultimus Amoſis. Mortuo hoc, ſecundum Syncellum, anno periodi Julianae 4211, (3679. Job. Fr.) ante Chriſtum 503, ſi addideris annos in regno anteceſſorum ſuorum, Menetem, horum regum primum, anno Julianae periodi 1990, (1457. Job. Fr.) ante Chriſtum 2724 regnare coepiſſe invenies. Reſecationes, quas auſus eſt Syncellus, omni privatae ſunt fundamento, iisque omnes, qui de rebus ſcripſerunt Aegyptiacis, contradixere. Sine ulla auctoritate, nec alia de cauſſa, niſi ut Aegyptiacam cum ſacra Hebraeorum hiſtoria conciliaret, dynaſtias iſtas reieciſſe nobis videtur Syncellus.

Eratoſthenes [1]), Ptolemaeo Evergete vel Epiphane iubente, regum Aegypti annales collegerat, resque eorum e variis Aegyptiorum libris excerpſerat: Apollodorus quoque in Chronographia ſua locum iis aſſignaverat. Sed proh dolor! his de operibus nil nunc nobis reliqui eſt. Syncellus tantum nomina & durationem regni eorum regum triginta & octo, qui ſedem

 ſuam

1) Syncelli Chronogr. p. 91 & 147. Pariſ. p. 72 &c. edit. 117. Venet.

ſuam Thebis habuerant, & his a chronographis memorati fuerant ſervavit, quorum Menes principem tenet locum. Eſt hic ſine dubio idem ille rex, quem Julius Africanus, Euſebius & Syncellus primum in Aegypto regnaſſe referunt. Syncellus autem, cuius calculos regum haec ſeries turbaret, regem hunc Aegypti a rege huius nominis Thebano diverſum fuiſſe ſuppoſuit, & illum anno orbis 2776, qui reſpondet anno Julianae periodi 1990, (h. e. 1457 Job. Fr.) ante Chriſtianam aeram 2724, hunc vero anno orbis 2900, qui eſt Julianae periodi 2114. (1611 Job. Fr.) & ante Chriſtum 2600 regnare coepiſſe contendit, ut poſterior itaque prioro 124 annorum ſpatio iunior fuerit.

Reges hos Aegypti univerſae, a regia Thebarum urbe, in qua ſedes imperii tunc erat, Thebanos appellatos eſſe, certum nobis videtur. Pluribus autem poſt Menetem ſeculis Uchoreus [1]) rex urbem Memphim condidit, vel potius ampliavit & exornavit, & inde ab hoc tempore regum plures, Thebis relictis, ſedem ſuam Memphi fixerunt, omnesque qui Uchoreum praeceſſerant reges, quorum ſexaginta novem fuiſſe refert Diodorus [2]), ideo Thebarum dicti ſunt reges, quia Thebis habitarant, quod fortaſſis & nonnulli ſequentium fecere.

Syncellus igitur animadvertens, ſi reges hos reciperet, ſe tunc Aegyptiorum reges 1075 annos ſecundum calculos ſuos, vel ſecundum generatio-

---

1) Diodor. Sic. lib. 1. §. 50. p. 59. edit. Weſſeling.
2) l. l.

nerationum regulam 1267 potius annos, antiquiores reddere debere, eos tamquam inutiles reiicere ſatius duxit [1]). Menetem enim in annum orbis 1509, qui eſt Julianae periodi 723. (190 Job. Fr.) & 3991. ante aeram Chriſtianam, ideoque 723 annos ante diluvium Noachidicum ponere debuiſſet, diluvium enim anno orbis 2241 accidiſſe computavit, qui eſt 1456. periodi Julianae (923 Job. Fr.) & noſtram ante aeram 3258. Eandem etiam ob cauſſam regum Thebanorum aliorum 53 nomina, quos in Apollodori invenerat chronographia, ſuppreſſit, quia hos ſi recipere voluiſſet, rex primus 240 annos ante orbem conditum ſecundum ſuam, & 1023 ſecundum Petavianam temporum doctrinam regnare debuiſſet.

Syncellus ſeriem regum Aegyptiorum, quam in duabus iſtis chronographiis invenerat, ſi modo religioſe deſcripſiſſet, & ſuas tantum animadverſiones criticas iis addidiſſet, quae fuerint Aegyptiorum de gentis ſuae antiquitate opiniones, ex his colligere, collatisque Herodoti & Diodori Siculi cum illis opinionibus, quae propius ad veritatem accederet, diiudicare poſſemus.

## §. 6.

### *De recentioribus quibusdam temporum doctrinis.*

*Petavius* [2]) Aegyptiorum origines regumque dynaſtias a Julio Africano & Euſebio deſcriptas,

 fabu-

1) Chronogr. p. 147. ſub fin. edit. Pariſ. p. 117. Venet.

2) De doctrina temp. lib. 10 cap. 17.

ſabulas & figmenta, nulla doctorum virorum cura & attentione digna, iudicavit, & haec omnia in canone ſuo chronologico ne verbo quidem attigit.

*Marſhamus*, temporum inveſtigator doctiſſimus, Petavio haud aſſenſit, ſed non minore Hebraeorum librorum ſacrorum reverentia & veneratione incenſus, quam eruditiſſimus iſte Socius Jeſu, reges hos Aegyptiacos ex parte coaevos fuiſſe, & uno eodemque tempore variis in urbibus Aegypti regnaſſe, opinatus eſt, & ſic ordinando dynaſtias, omnem inter Aegyptiacam hiſtoriam & Hebraeorum traditiones ſacras diſſenſum ſuſtuliſſe videtur. Laudabile profecto *Marſhami* ſtudium, de cuius opere eruditionis pleniſſimo minus iuſte iudicare nobis videtur *Larcherius*. Viam ſine dubio monſtravit Anglus ſagaciſſimus, implicatiſſimas iſtas Manethonianas dynaſtias feliciter explicandi, eumque noſtratium chronologorum ſummi, *Gattererus* [1]) & *Franckius* [2]), ſequuti ſunt. Ubi enim quisque urbem condidit, tractumque terrae coluit, ibi etiam inſtituit regnum, ita ut tot reges eſſent, quot urbes, ſicuti omnes apud populos antiquiſſimos, & apud Graecos quoque, traditiones teſtantur.

Hanc *Marſhamus* iniit viam. *Diodorus Siculus* refert, Menetis ſucceſſores quinquaginta duo nil dignum memoratu geſſiſſe per annos mille &

1) in Hiſtoria univ. ſynchron. p. 301 ſqq. & in Hiſtoria orbis terrarum P. I. p. 217 & 404 &c.
2) in Syſtemate novo chronolog. fundam. p. 182 &c.

& quadringentos. *Herodotus*, reges ante Seſoſtrim regno potitos rerum ſuarum fama nulla claruiſſe, narrat. Ex his dictis collegit *Marshamus* Menetis inter mortem, & Seſoſtris regni initium annos iſtos mille quadringentos elapſos eſſe. Contendit porro *Seſoſtrim Herodoti* apud *Hebraeos Seſacum* appellari, quae tamen opinio eius nullum, niſi male intellectum Joſephi [1]) locum, fundamentum habet; & Seſacus, cum in annum Julianae periodi 3747, (3215 Job. Fr.) ante aeram noſtram 967 incidere videtur, Manetum anno Julianae periodi 2347, (1803 Job. Fr.) ante Chriſtum 2367 vixiſſe patet. Et hoc in temporis ſpatio 1400 annorum, qui inter Menetem & Seſoſtrim elapſi ſunt, omnes iſti reges, de quibus Julius Africanus & Euſebius loquuti ſunt, diverſis in urbibus & regionibus terrae Aegyptiae regna ſua, Marshami ex opinione, habuerunt.

Dubium quod contra *Marshami* ingenioſiſſimam hanc explicationem moveri poſſet, motumque a *Larchero* aliisque noſtratium hiſtoricorum eſt, quod dynaſtiarum ſynchroniſmi nulla exiſtet apud Manethonem vel eius exſcriptores mentio ideoque haec explicatio fundamento deſti-

---

1) Joſephus, poſtquam de Seſaci Aegyptiorum regis contra Rehabaamum Judaeorum regem expeditione retulit, Herodotum quoque huius mentionem feciſſe obſervat, qui ſolo in nomine regis erraſſet: *μέμνηται δὲ ταύτης τῆς στρατείας καὶ ὁ Ἁλικαρνασσεὺς Ἡρόδοτος, περὶ μόνον τὸ τοῦ βασιλέως πλανηθεὶς ὄνομα.* Joſeph. Antiq. Jud. lib. 7. c. 10. §. 3. p. 449.

ſtituta ſit omni, optime ſuſtulit *Summus Gattererus* [1]), animadvertens, e fragmentis Manethoniani operis, iisque valde mendoſis & corruptis, nos colligere non poſſe, eum integro in opere huius ſynchroniſmi nullam quoque mentionem feciſſe, cum veſtigia eius, ipſis in disiectis operis membris, quamquam obſcurata excerpentium culpa, adeſſe videantur.

*Orignius* [2]) chronologiam edidit Aegyptiacam, in qua affirmat: Aegyptum antiquitus plures in ditiones, regulis parentes, diviſam fuiſſe, quarum adminiſtratio ſatis uniformis fuerit. In omnibus hiſce regnulis, pergit, ſacerdotes quidam officium habebant annales componendi, qui, dum unaquaeque ſui iuris erat ditio, nil niſi quod ſua patria in terra evenerat, faſtis ſuis inſerere curarunt, res exteras neglexerunt.

Verum quidem eſt, Sacerdotum officium fuiſſe annalium compoſitionem: Thebae, Memphis & Heliopolis talia habuerunt collegia ſacerdotum, qui res populi ſui faſtis inſcribebant, nec vero abſimile eſt, & aliis in urbibus tales annalium ſcriptores extitiſſe. Hoc tamen extra dubium nemo ponere poterit, his a ſacerdotibus ſuarum tantum urbium & regnulorum fata annalibus ſuis inſerta, exterorumque & vicinorum fuiſſe neglecta, quod Orignius, ut ex arbitratu ſuo dynaſtias poſſit ordinare, putavit. Herodotus [3]) contradicere huic opinioni videtur, qui,

1) in Hiſtoria orbis, loco ſupra jam laudato.
2) Chronologie des Rois du Grand Empire des Egyptiens par M. d'Origny. à Paris 1755. 2 Voll. N. T. I. p. 34.
3) lib. 2. c. 3.

qui, poſt conſultos a ſe Memphiticos ſacerdotes de gentis ſuae fatis, ſe Thebas & Heliopolin profectum eſſe ait, ut harum quoque urbium ſacerdotes, num conſentiant, diſſentiantve cum Memphiticis relationibus, audiret, ſeque in omnibus conſentientes trium harum urbium ſacerdotes inveniſſe addit. Quodſi ſacerdotes iſti nullas, niſi urbis ſuae quisque, annales conſcripſiſſent, conſultare unos alterosve de rebus Aegypti univerſae nullius fuiſſet uſus, quippe quibus hiſtoriae tantum ditionum ſuarum cognitae erant, qui exterarum ditionem res negligere ſolebant. His *Orignium* argumentis refutare putavit *Larcherius*; nobis autem Herodoti locus iſte laudatus huic Orignii opinioni contrarius eſſe non videtur. Erant nempe Thebae, Memphis & Heliopolis urbes in Aegypto maximae atque doctiſſimae, quarum reges diverſis temporibus maiorem Aegypti partem ſibi ſubiecerant. Horum igitur urbium collegia ſacerdotum ceterarum quoque provinciarum hiſtorias cognoſſe, annalibusque eas ſuis inſeruiſſe, vero haud abſimile videtur, & ab iis Herodotus conſentientes audire potuit relationes, quas uno eodemque ex fonte hauſerant Aegyptiorum hiſtorici.

Ad Aegypti in plura regna diviſionem quod attinet, ſic de ea ſcripſit Orignius, quaſi abſconditum hucusque opus hiſtoricum, ex quo eam extra dubium omne ponere poſſet, invenerit, quod tamen ſecus ſe habere apparet. Argumenta enim eius omnia duobus e locis Manethonianis petiit, qui nil probant, & e fragmento quodam hiſtoriae, a Judaeo obſcuro, qui gen-

gentis ſuae legislatorem fabulis illuſtrare ridiculis voluit ſcriptae. Argumenta igitur Orignii ſub examen vocemus.

*Manetho* [1]) narravit: „magnum obſcuri cuiusdam populi exercitum venit ex Oriente Aegyptum nullo negotio ſuperavit, *principum noſtrorum partem* interfecit, ceteros vivos cepit &c." — Sic transtulit Manethonem *Andillius*. Sed ex Orignio quaerit *Larcherius*, ſi obſcurus quidam populus Francogalliam invaderet, maximamque Francogallorum principum partem interficeret, num eiusmodi e relatione cuiusdam hiſtorici, Francogalliam huius irruptionis tempore plures in ditiones αὐτονόμȣς diviſam fuiſſe colligere quis poſſet? Accedit, inquit idem, quod ne ipſa quidem Andillii translatio fida ſit. Manetho enim ignobiles, inquit [2]), ſed audaces ex oriente populi de improviſo Aegyptum invaſerunt, eam ſubiugarunt ſine caede, & captis magiſtratibus urbes inhumane cremarunt, deorum templa impie everſerunt &c. — τȣς ἡγεμονεύσαντας enim regem eiusque proceres ſignificat; de his, non de regulis loquitur auctor. Ex hoc igitur loco nemo Aegyptum tunc temporis plures in ditiones diviſam fuiſſe, nemo poteſt demonſtrare.

Accidere quidem potuit, nec negat *Larcherius* accidiſſe, tempore huius irruptionis & turbarum Satrapas quosdam regna provinciarum ſua-

1) Chronologie du grand Empire des Egypt. tom. I. §. p. 39.

2) Joſeph. c. Apion. lib. I. §. 14. tom. 2. p. 444.

ſuarum uſurpaſſe, qui contra paſtoritium hunc exercitum poſtea viribus coniunctis, quod innuit Manetho, pugnarunt[1]. Sed unde Origniius nobis demonſtrabit, hanc regiminis formam longum per tempus duraſſe? unde probabit regulorum horum nomina in annalibus gentis, quaſi legitimi fuerint reges, conſervata & poſteritati tradita? Maxime *Larcherio* vero ſimile videtur, antiquorum regum poſteros maximam provinciarum partem obedientes retinuiſſe, proceresque imperii, qui turbis illis iugum de collo deiecerant, ſeque ſui iuris fecerant, ad obſequium reduxiſſe; tandem his rebellibus denuo ſubiugatis, omnique, quam paſtoritii tyranni nondum ceperant, Aegypto denuo adunata, hos omnibus viribus aggreſſos, deviciſſe, paſtoresque ex omni Aegyptiorum terra, Abari urbe qua ſe incluſerant excepta, expuliſſe. Res ita eveniſſe argumentum eſt, quod Manetho, non a pluribus regulis vi unita paſtores expulſos eſſe, ait, ſed Aliſphragmuthoſin ſolum appellat paſtorum victorem: qui, ſi tunc temporis in Aegypto extitiſſent reguli, occaſionem Manethoni obtuliſſent, obſervandi, eos copias ſuas cum Aliſphragmuthoſi coniunxiſſe, vel hunc ipſum propriis ſuis viribus & a reliquis Aegyptiorum regulis non adiutum, paſtores deviciſſe & expuliſſe. His accedit, quod Manetho[2]) nobis refert, Thummoſin, Aliſphragmuthoſis filium, exercitu 480000 militum contracto,

---

1) Joſeph. c. Apion. lib. 1. §. 14. tom. 2. p. 445.
2) ibid. p. 446

tracto, Abarim urbem oppugnaſſe, eamque ad deditionem coëgiſſe. Quodſi tunc temporis Aegyptus non uni, ſed pluribus paruiſſet regibus, unde Thummoſis ille exercitum tam numeroſum contrahere potuiſſet? Obiicere nemo poterit, auxilia ipſi ceteris a regulis miſſa; Manetho enim, qui ſupra, de Thummoſis patre loquens, id obſervarat, hoc loco, cum de filio loquebatur, id minime omiſiſſet. E Manethonis igitur relationibus, neque ante, neque poſt captam a paſtoribus Aegyptum, eam in plura regna diſcerptam fuiſſe, colligi nequit, plura profecto nemo huius Aegyptii ex hiſtoriis extorquebit, quam regno invaſione paſtorum turbato & concuſſo, Satrapas quosdam regiam ſuis in provinciis auctoritatem ſibi vindicaſſe, qui tamen regi ſuo obedientiam praeſtare non ceſſarunt. Sic contra primum *Orignii* diſputavit argumentum *Larcherius*, conferenda tamen ſunt, quae ſupra e *Gatterero* noſtro de Manethone attulimus, quem doctus Francogallus non legerat.

Docet quidem *Artapanus Judaeus*, auctor hiſtoriarum, quarum *Euſebius* 1) fragmenta quaedam ſervavit, Moſis temporibus Aegyptum pluribus regibus paruiſſe, & *Orignius* 2) eius hac de re teſtimonio praecipue uſus eſt ad ſuam opinionem confirmandam. Mirum profecto, tam religioſum ſcriptorem tali fidem tribuere teſti! ignoraſſe Judaeum hunc fabulas de Moſe narraſſe,

1) Euſebii Praep. Evang. lib. 9. §. 27. p. 432.
2) Chronol. du grand Emp. des Egypt. t. I. p. 41.

raſſe, quibus Hebraeorum ſacer codex contradicit, non animadvertiſſe tandem, ſacrum Hebraeorum hiſtoricum illis temporibus non de regibus, ſed de uno tantum Aegyptiorum rege loqui. Pharao enim ad perſequendos fugientes Hebraeos ſexcentos electos currus, omnesque praeterea, qui in Aegypto inveniebantur, contraxit [1]). Potuitne rex hicce omnes ex omni Aegypto currus contrahere, ſi omnis ipſi terra iſta non fuerat ſubiecta? Orignium quomodo umquam latere potuit, Judaeum hunc, ſuae ipſius gentis hiſtorias, & res a legislatore gentis ſummo geſtas ignorantem, externi populi res recte haud cognitas habuiſſe? Et tam obſcurus, tam fabuloſus & minimae auctoritatis ſcriptor, qualis Artapanus eſt, quomodo is conferri poteſt cum Herodoto & Diodoro Siculo auctoribus graviſſimis? His tamen ex argumentis tam parvi ponderis colligere conatus eſt Orignius, Aegyptum plura in regna fuiſſe olim diſcerptam!

Sic coexiſtentiam plurium regnorum in Aegypto, quam defenderat Orignius, ſe refelliſſe credidit Larcherius, ideoque ordinem, quo ea diſpoſuit Orignius, nullius ulterioris examinis dignum iudicavit. Hoc tantum addidit, omni auctoritate privatam eſſe dynaſtiarum diſpoſitionem Orignianam. Hanc nobis, Orignii libro deficiente, ſub examen vocare non licuit. Erraſſe tamen Larcherium, & dynaſtias regum

1) Exod. 14. 7.

regum Manethonianas ex parte ſimul uno eodemque tempore exſtitiſſe, nec omnes ſibi ſucceſſiſſe, ſupra iam annotavimus.

Pergit nunc Larcherius, ſententias virorum quorumdam doctiſſimorum referre, qui Orignium longe ſuperant eruditione.

*Uſſerius*, inquit, Armagenſis in Hibernia Archiepiſcopus, in Conſtantini Manaſſis Breviario hiſtorico [1]) legerat, Aegypti regnum annos 1663 duraſſe; computavit igitur annum, quo Aegyptus a Cambyſe Perſa ſubiugata eſt, 4189 aerae Julianae (3657 Job. Fr.) vel 525 ante aeram Chriſtianam, addidit huic numero annos illos 1663, invenitque Menetem anno periodi Julianae 2526 regnare coepiſſe, qui incidit in annum Jobeleum Franckianum 1993 & annum ante Chriſtum 2188. Conſtantinum vero Manaſſem ceteroſque ſcriptores eccleſiaſticos nullius in his rebus eſſe auctoritatis e ſupra iam evictis clarum eſt. Uſſerius, qui utriusque foederis divini annnales inſtituerat componere, nullum ſequi potuit veterum ſcriptorum, qui chronologias condiderant, recentiores, ſi modo conſilio ſuo & inſtituto non contradicerent, negligere poterat. Novum igitur ſyſtema chronologicum exſtruxit, nec deterius nec melius prioribus.

*Perizonius* doctiſſimum ſcripſit librum de Originibus Aegyptiacis, in quo Marshamum, Uſſerium, Capellum, Pezronium, alioſque refellere

1) p. 12. verſ. 16. 17. 18. 19.

lere ſtuduit. Eundem tamen ſcopum is aſſequi elaboravit, eodem conſilio ſcripſit. Veterum teſtimonia, opinionibus ſuis faventia probavit, contradicentia ſtatim reiecit.

*Desvignolius* ex parte tantum attigit Aegyptiacam hiſtoriam, in Chronologia hiſtoriae ſacrae, de qua dicere iam ſuperſedet Larcherius, notiſſimo omnibus hoc libro.

*Hermannus Conringius*, polyhiſtor ille Helmſtadienſis, Adverſaria quoque ſcripſit chronologica, in quibus[1]) Herodotum accuratiſſimum in iis laudat rebus hiſtoricum, quas de Aegyptiorum regibus a Pſammeticho ad Cambyſen retulit, ſed ſi de rebus ante Pſammitichum loquitur, iuſtam hanc patri hiſtoriarum denegavit laudem, & Aegyptiorum ſacerdotum teſtimonia, quibus nititur Graecus hiſtoricus, infirmiſſima reddere ſtuduit. Equidem, inquit[2]), concedo, quae ab iis relata ſunt Herodoto, e libro quodam fuiſſe petita; ſed fide digna quae retulerunt non videri, argumentum eſt, ſacerdotes illos vel vetuſtis caruiſſe annalibus, quibus fides haberi poſſet, vel neminem illorum exteris ſcrutatoribus contenta annalium cum fide expoſuiſſe. Difficile eſt, quid ex his verum ſit, definire. — Interim quae Joſephus contra Apionem ſcripſit, eum in opinionem adducunt, Sacerdotibus res memoriae dignas poſteritati tradere, mandatum fuiſſe. Quod quamquam concedit, tamen non omnibus a ſacerdotibus an-

 nales

1) Adverſaria chronol. c. 15.
2) Adverſ. crit. c. 16.

nales cum fide ſcriptas, nec veri quid ex iis exteris narratum eſſe, ſuſpicatus eſt. Alterum hoc e magna Herodoti, Diodori Siculi, & Manethonis inter ſe diſſenſione demonſtrare ſtuduit. Sed neque annalibus ipſis, neque malae ſacerdotum fidei diſſenſiones iſtas tribuere poſſumus. Recitarunt quippe ea Herodoto [1]), quae de 341 regibus a Menete ad Sethonem, itemquae de 341. ſummis ſacerdotibus, qui eodem temporis ſpatio ſibi invicem ſucceſſiſſe dicebantur, in libris ſuis tradita legebantur, eumque in templum intus grande introduxerunt, ubi monſtrando tot e ligno coloſſos ſacerdotum iſtorum enumerabant. Quibus ab Herodoto numeratis oculis ſuis ipſis relationes ſacerdotum confirmatas habuit [2]). Annales igitur veram horum 341 regum & ſacerdotum ſeriem continebant, & ſacerdotes, quae ſcripta invenerant, recitabant, quomodo enim alias ad coloſſos iſtos Graecum ſcrutatorem adducere potuiſſent, qui, ſi numerus dictis ipſorum non reſpondiſſet, fabulas eos pro hiſtoriis vendidiſſe, demonſtraturi fuiſſent!

Aliter ſe habent *Diodori Siculi* relationes de rebus Aegypti, qui annales Aegyptiorum a ſe conſultos, & a ſacerdotibus perſcrutatam a ſe rerum veritatem, nullibi dixit. Herodoto igitur fide inferior eſt Sicilienſis hiſtoricus, & quae pater ille hiſtoriarum Siculo contraria retulit, praeferri ſine dubio merentur.

*Mane-*

---

1) Herod. lib. 2. c. 142.
2) Herod. lib. 2. c. 143.

*Manethonis* denique auctoritas levi ponderis *Larcherio* videtur. Temporibus enim Ptolemaeorum, quibus floruit, magna ſine dubio pars veterum annalium vel iam perdita, vel antiqua Aegyptiorum lingua, quam doctorum pauciſſimi intelligere & interpretari ſciebant, perſcripta erat. Et quis Manethonem horum paucisſimorum unum fuiſſe probabit?

Concedamus haec Larcherio, at quis Manethonem veteris ſermonis, in quo ſcriptae res populi erant, ignarum fuiſſe probabit? Nonne vero ſimile videtur, Ptolemaeum, doctiſſimum regem, indocto atque inſcienti ſacerdoti, qui ne ſermonis quidem veterum annalium peritus erat, hiſtoriam regni ſcribere mandaſſe? —

Accedit, quod Manethonis ſcripta valde mutilata ad noſtram pervenerunt aetatem, & quae ſuperſunt fragmenta haud parum corrupta & depravata ſunt, quod ſupra iam §. 2. in dynaſtia duodevigeſima demonſtravimus.

Fides tandem ſacerdotis huius eo magis redditur ſuſpecta, quo magis Ptolemaeorum in gratiam, quibus nimium placere cupiebat, hiſtoriam corrupiſſe videtur. Macedonum enim reges Heraclidae, a Danao Argivo genus ſuum ducebant. De ſtemmate Amphitruonis Apollodorus [1]), de regum Macedonum genere Herodotus [2]) videndus. Manetho, ut Ptolemaeorum auribus aliquid daret, Seſoſtrim Danai fratrem fuiſſe finxit [3]). Sic *Larcherius*. Recte tamen

 iam

1) lib. 2. c. 1. §. 5. c. 2. §. 1. c. 4. §. 1 & 4.
2) lib. 8. c. 137.
3) Joſeph. c. Apion. lib. 1. §. 15. p. 447.

iam obſervavit *Degenius* [1]), ad Manethonem contra hanc doctiſſimi Francogalli accuſationem fraudis defendendam, eum corruptas iam vetuſtate traditiones & annales inveniſſe, ex iisque ſua hauſiſſe videri. *Meinerſius* enim noſter ab Aegyptiis ſacerdotibus multa ficta pro veris vendita exterisque narrata eſſe evicit [2]), & e Saiticis, Soloni & Herodoto diverſis temporibus explicatis ſacris libris, id probavit

Quodſi Danaus, *Larcherius* pergit, re vera Seſoſtris Aegyptii frater fuiſſet, Herodotus profecto, qui gentium Graecorum origines illuſtres numquam omiſit indicare; ſplendidiſſimam hanc Danai originem referre minime oblitus fuiſſet.

Sed dum de Armai, Seſoſtris fratre, loquitur [3]), ne verbum quidem, ex quo Armain hunc Graecorum Danaum fuiſſe poſſet ſuſpicari, inſeruit, quin potius Danaum & Lynceum cives tantum privatos Chemmites fuiſſe, innuere videtur [4]). Argumentum hoc, quod maximi ponderis exiſtimat Larcherius, in capite de regibus Archivis accuratius explicatur, hic monere contentus, ante Manethonem neminem, qui Danaum Graecum & Seſoſtrim Aegyptium fratres dicere auſus ſit, exſtitiſſe ſcriptorem.

*Freretus* doctiſſimo & ingenioſiſſimo in libro, doctrinae temporum Neutonianae oppoſito, Manethonem defendere ſtuduit, ſed eius argumentorum examen longe nos a ſcopo noſtro

1) Herod. Pars 5. Chronol. p. 33.
2) in Hiſt. relig. Aegypt. ſupra iam laudata. p. 98.
3) lib. 2. c. 107. 108.
4) ibid. c. 91.

ſtro abduceret, quare hoc ſolum obſervaſſe contenti ſumus, Freretum obiectiones noſtras non praevidiſſe, quae igitur vim ſuam retinent omnem. Cum tamen Seſoſtrin & Danaum ſimul uno eodemque tempore vixiſſe demonſtrare ſtuduit, hac de re pauca quaedam dicenda ſunt.

Autor, inquit Freretus 1), chronici Parii annum indicavit 302 ante bellum Troianum; quo Danaus Rhodum perveniſſe dicitur, & cum Seſoſtris, teſte Manethone, fuit Danai frater, is eodem anno 302 ante bellum Troianum in Aegypto regnaſſe videtur.

At Danaum Seſôſtris fuiſſe fratrem ex Manethonis teſtimonio, uti ſupra iam oſtendimus, nequit probari: ex marmore item Pario horum ſynchronismus erat demonſtrandus; quae marmora de Seſoſtri nil tradunt.

Videmus, pergit Freretus, e fragmento Caſtoris in Chronico Euſebiano, Danai regnum Argivum in annum ante captam Trojam 310, vel 293 incidiſſe.

At Caſtor neque in Graecis, neque in latina Hieronymi verſione annum notavit, videſis Euſebium p. 113 & 79, & Euſebius ipſe, minime Caſtor, ex propria auctoritate Danao 543, & Trojae excidio 835 annum adſcripſit, ex quo Danaum 292 annos ante Troiam vaſtatam regnare coepiſſe, ſequitur. Verum quidem Euſebium cum reliquis eccleſiaſticis ſcriptoribus ſibi

 per

1) Défenſe de la Chronique contre le Syſtème chronologique de Newton, ſeconde partie, Section 1. §. 242.

perſuaſiſſe, Danaum Seſoſtris fuiſſe fratrem; ſed horum opinio in ſola Manethonis auctoritate fundata, omni fide caret. Quodſi vero Caſtor Danaum re vera in annum 292 ante Troiae excidium poſuiſſet, Seſoſtrim quoque, ſi horum ſynchroniſmum demonſtrare voluiſſet, eodem hoc anno regnaſſe, referre debuiſſet. Sed omnibus in fragmentis, quae hoc de ſcriptore ſuperſunt, ne verbum quidem de Seſoſtri occurrit.

Si porro eventus iſte (Troiae ſcilicet excidium) in annum incidit 1280, Freretus pergit, quae Herodoti fuit opinio, Danai tunc adventum in Graeciam anno 1590, 1582 vel ad minimum 1573 accidiſſe perhibetur.

Infra in capite de regibus Argivis operam dedit *Larcherius*, Danaum circa annum 3142, Julianae periodi, (2609 Job. Fr.) 1573 ante aeram Chriſtianam, ex Herodoti ſententia in Graeciam adveniſſe probare. Seſoſtris, ſi frater eius vel ſaltem coaevus fuerit, regnum eius Aegyptiacum in hunc annum neceſſario incidiſſet. Sed contrarium retulit Herodotus. Secundum hunc patrem hiſtoriarum [1]) Moeridis proximus ſucceſſor Seſoſtris fuit, & Moeridis poſt mortem nongenti vix elapſi erant anni, cum Herodotus in Aegyptum proficiſceretur. Profectio igitur Herodoti circa annum Julianae periodi 4254 (3722 Job. Fr.) qui eſt annus ante Chriſtum 460, facta. Succeſſit ergo Moeridi Seſoſtris circiter anno Juliano 3358. (2826 Job. Fr.) h. e.

1) Herod. lib. 2. c. 13.

h. e. ante Chriſtum 1356. Ex quibus liquido patet, tantum abeſſe ut Danaus & Seſoſtris fuerint coaevi, quae eſt Frereti ſententia, ut potius ex huius ipſius docti viri computatione vel 234, vel 226 vel ad minimum 217 annos poſterior fuerit.

Sed haec hactenus. Ad Diodori Siculi examen accedamus.

## §. 7.

### *De Diodoro Siculo.*

Bibliothecae hiſtoricae huius celeberrimi Scriptoris liber primus res continet Aegyptiacas, quas vel e libris aliorum, vel in peregrinationibus ſuis collegerat. Omnes huius libri locos de chronologia Aegyptiorum jam ſub examen noſtrum vocemus.

Solem, ſive Vulcanum, primum in Aegypto regnaſſe, refert Diodorus [1]), quem Cronus ſive Saturnus exceperit. Saturnus e ſorore ſua Rhea Oſiridem & Iſidem genuit, cum Typhone, Apolline & Venere. Oſiris uxorem duxit Iſidem ſororem, Thebasque condidit [2]).

De fundatione huius urbis varia tradiderunt hiſtoriarum ſcriptores, nec ipſi inter ſe ſacerdotes hac de re conſentiunt.

Mercurius, Aegyptiorum Thot [3]), magno apud Oſiridem fuit in honore. Secundum

C 5 alios

1) lib. 1. §. 13. p. 17. ed. Weſſel.
2) ibid. §. 15. p. 18.
3) ibid. p. 19.

alios 10000 [1]), ſecundum alios ad 23000 anni, inter Oſiridem & Iſidem, & Alexandriae urbis fundationem elapſi ſunt.

Alexandria anno 4383 Juliano (3851 Job. Fr) 331 ante Chriſtum condita; ſecundum illos Oſiridis & Iſidis regnum in annum ante Chriſtum 10331; ſecundum hos vero ad annum circiter 23331 referendum foret. Harum epocharum differentia aequalem facit differentiam ad Thebarum quod attinet fundationem.

A regno [2]) Solis ad usque Alexandri Magni expeditionem Perſicam, Sacerdotes circiter annos 23000 numerabant. Antiquiſſimis etiam Diis ſupra 1200 annos, recentioribus 300 tribuebant.

Diodorus hoc in loco cum ſe ipſe non conſentit. Inter Oſiridis & Iſidis regnum & Alexandriae fundationem 23000 annos elapſos eſſe, vix dixerat, & ſtatim eundem annorum numerum poſt Solis ſive Vulcani regnum ad huius urbis exſtructionem computavit. Huius tamen Dei regnum longe vetuſtius eſſe regno Oſiridis & plurima ſecula hoc poſterius praeceſſiſſe certiſſimum eſt. Quodſi porro Dii antiquiſſimi ſupra 1200 annos, iuniores vero 300 regnaſſe dicuntur, Diodoro de duobus tantum antiquioribus & ſex iunioribus referente, ſequitur, Deos circiter 4300, homines vero circiter 18700 annos regnaſſe. Contradicit autem haec relatio ſequentibus [3]), ubi auctor noſter Diis circiter

18000

---

1) ibid. §. 23. p. 26.
2) ibid. lib. 1. §. 26. p. 30.
3) lib. 1. §. 44. p. 53.

18000 & hominibus circiter 15000 annos, ad Olympiadem usque 180 quae in annum ante Chriſtum ſexageſimum Julianae periodi 4654 (4122 Job. Fr.) incidit, aſſignavit; & haec quidem computatio 33000 annos annum ante Chriſtum ſexageſimum, Alexandriae autem fundationem 32749 annos praecederet, & homines 14749 annos ante conditam hanc urbem regnaſſe dicerentur.

Dei, inquit Diodorus [1]), & Heroes circiter annos 18000, homines circiter 15000 annos ad Olpmpiadem usque 180, quo quidem anno Diodorus in Aegyptum profectus eſt, regnaſſe dicuntur. Perſae Aegyptum eo, quo Aegyptii rebellarunt, iugumque deiecerunt tempore incluſo 135 annos ſubiugarunt. Valde nobis hic *Strothii* noſtri arridet emendatio, qui in verſione ſua germanica Sicilienſis hiſtorici ad h. l. 5000 loco 15000 annorum legere iubet. Diodori enim anni 23000 Aegyptiaci, ſi 18000 prioribus 5000 addas, complentur.

Cum his ea, quae de regnis Deorum & hominum eorumque duratione iam diximus, conferri merentur. Accedit Diodorum in computatione annorum Perſicae dominationis erraſſe. Devicit Aegyptum Cambyſes anno Juliano 4189 (3657 Job. Fr.) ante Chriſtum 525; Alexander autem Aegypto potitus eſt anno Juliano 4383 (3851 Job. Fr.) ante Chriſtum 331. Inter utrumque igitur hunc eventum elapſi ſunt 184 anni, & Diodorum in calculis ſuis rebellionum diverſarum ab Aegyptiis tentatarum annos, qui quidem

1) loc. laud.

dem 49 fuerint, omiſiſſe, quamquam eius in contexto hi legantur, veroſimile videtur. Verba igitur Diodori a librariis corrupta putavit *Larcherius*, qui παρὲξ τῶν Αἰγυπτίων ἀποςάσεων emendare non dubitavit, quae doctiſſimi huius viri emendatio nobis veriſſima, textuique auctoris ſine ulla dubitatione inſerenda videtur.

Macedonibus[1]) paruit Aegyptus per annos 276; quod, ſi horum imperium Aegyptiacum cum Ptolemaei Auletis expulſione terminavit Diodorus, verum haberi poteſt. Sed Ptolemaeorum regnum hoc rege eiecto minime finitum. Succeſſit enim huic alius Ptolemaeus cum ſorore, eaque uxore, Cleopatra, nec ante Octavianam Aegypti expugnationem anno Juliano 4683, (4151 Job. Fr.) ante Chriſtum 31, Macedonum regnum Aegyptiacum ceſſavit. Macedones igitur per tria ſecula Aegyptiorum domini fuere.

Regnarunt in Aegypto, Diodorus inquit[2]), reges indigenae 470 cum quinque reginis, de quibus regibus in libris ſuis ſacris traditiones, eorumque ſeriem a primis inde temporibus continuam collegerant Aegyptii.

Diodorus generationi tribuit annos triginta, regibus igitur his 470, anni 14000 tribuuntur. Reges quatuor Aethiopes, qui ſibi invicem non ſucceſſerant, & quinque reginae, novem efficiunt ſucceſſiones, quae, ſingulis ſi viginti tribuas

---

1) Diodor. Sic. lib. 1. §. 44. p. 53.
2) loc. laud.

buas annos, 180 annos faciunt. Additis his 465 annis a Cambyſis expugnatione Aegypti ad Olympiadem 180, efficiuntur 14745 anni, qui quidem numerus proxime accedit ad annos illos 15000, quos Diodorus hominibus in Aegypto regnantibus ad usque Olympiadem 180, tribuit. Hos igitur 470 reges Aegyptios mera ex coniectura ſua Diodorum numeraſſe, qui, dum anno Juliano 4654, (4122 Job. Fr.) ante Chriſtum 60 in Aegypto erat, ab Aegyptiis, ſe iam 15000 per annos regibus paruiſſe, audierat, *Larcherius* putavit. Secundum igitur doctrinam ſuam de generationibus inde colligit Diodorus, ad Cambyſis usque tyrannidem 470 reges indigenas Aegyptum tenuiſſe. Longe pauciores tamen fuiſſe certum eſt, quod & ipſe in continuatione hiſtoriarum ſatis oſtendit; ſtatum enim turbulentum per quinque generationes in Aegypto fuiſſe retulit[1]), alioque iterum loco [2]) inter Bocchorin & Sabaconem intervallum haud paucorum annorum fuiſſe demonſtravit.

Menes primus Aegyptiorum rex, Diodorus pergit [3]), populum venerari Deos, iisque ſacrificia offerre docuit. Idem epularum, lectorum, & ſuppellectilis luxuriam introduxit.

Si Menes populos deorum reverentiam docuit, exinde Deos antea non cultos, neque ſacrificia iis oblata non ſequitur: ſed regem potius

1) lib. 1. §. 62. p. 71.
2) ibid. §. 65. p. 75.
3) ibid. §. 45. p. 54.

tius hunc deorum cultum religioſum circumſcripſiſſe legibus, vel omnes de cultu divino latas iam leges in unum corpus ſive codicem collegiſſe, veroſimile videtur.

Quae retulit Diodorus de luxuria hoc a rege introducta, Plutarchi confirmantur teſtimonio [1]), qui Aegyptios columnam in templo Thebano poſuiſſe addidit, in quam maledictiones contra regem hunc Minitem, qui primus a vita frugali eos abduxit, fuerant inſculptae; & paucis lineis infra idem refert Plutarchus, fuiſſe Technatim, vel potius Technactim, uti in codice Bibliothecae regiae Pariſienſis legitur, qui Miniti eam ob cauſſam maledixit, & qui ſacerdotibus conſentientibus has columnae inſculpendas curavit maledictiones.

Si tunc temporis Aegyptus ſine artibus fuiſſet, Menes neque vitae commoditates neque luxuriam populos docere potuiſſet. Probatur igitur hoc argumento, Aegyptios huius regis temporibus populum minime recentem fuiſſe.

Secundum Diodorum rex iſte regnare coepiſſe dicitur circa annum 1494o ante aeram Chriſtianam, quia Olympias 180 hanc aeram antecedit 60 annos. Regnavit autem teſte Julio Africano [2]) & Euſebio annos 62, ex quo ſequitur, primum 52 ſequentium regum anno ante Chriſtum 14878 regnare coepiſſe.

Reges 52 Menetis e progenie poſt hunc 1400 annos regnarunt [3]).

Gene-

1) de Iſide & Oſiride p. 354. A. B.
2) Syncelli Chron. p. 54. edit. Pariſ. p. 42. edit. Ven.
3) Diodor. Sec. L. 1. §. 45. p. 54.

Generationi ſi 33 tribuamus annos, 1716 efficiuntur anni. Quodſi vero, quod quidem Diodorus facere conſuevit, triginta tantum annos generationi tribuamus, 1560 efficiuntur anni, qui numerus 160 annis maior eſt, quam Siculi noſtri calculus. Sed variant numeri in Diodori contexto, quod errorem iis ineſſe oſtendit. Quum tamen numerus iſte omnibus in editis pluribusque in manuſcriptis libris legitur, in eo acquieſcamus. Numerum enim variantem 1040 ſi praeferre vellemus, multo longius a generationum calculo iſte abiret.

Succeſſit Buſiris regibus his 52: poſtquam poſteri eius octo regnum tenuere, quorum poſtremus eiusdem nominis fuit, & Thebas condidit [1]).

Strabo [2]) huius nominis regem in Aegypto regnaſſe aperte negavit, nec ipſe Diodorus [3]) alio loco huic opinioni adverſatur. Ad Thebarum fundationem quod attinet, erraſſe nobis videtur Diodorus. Memphi enim urbe a Menete [4]), qui quidem Thebaidos rex fuit, condita, vel hunc quoque Thebarum fuiſſe conditorem putamus, vel urbem hanc, regni tunc caput, Diis adhuc regnantibus fundatam eſſe, *Larcherio* veroſimile videtur. Diodorus & ipſe §. 15. Oſiridem Thebarum dixerat fundatorem.

Buſiris I ſecundum computationem Diodori circa annum ante Chriſtum 13478 vixiſſe vide-

1) Idem ibidem.
2) Strabo lib. XVII. p. 1154. B.
3) Diodor. Sic. lib. 1. §. 88. p. 99.
4) Herod. lib. 2. §. 99.

videtur, cui ſi 40 anni regni tribuuntur, primus octo regum, qui eum ſequuti ſunt, anno 13438 regnare coepit.

Reges octo Buſiridis II e genere, hunc ſequuti ſunt, quorum octavus, Uchoreus dictus, condidit Memphim [1]).

Huius urbis fundationem Meneti Herodotus tribuit [2]). Utraque vera eſſe poteſt relatio, fundamenta enim urbis Menes iecisse videtur, quae a ſucceſſoribus eius neglecta nec ampliata, diu non floruit Uchoreus poſtea, qui ſitum eius & quae inde exoriri poſſent commoda, cognorat, eam ampliavit, aedificiisque exornavit, eaque de cauſſa conditor huius urbis appellatus eſt.

Diodori e conſuetudine annos numerandi, Buſiridem II anno 13128, & Uchoreum, octo qui illum ſequuti ſunt regum ultimum, anno 12988 ante Chriſtum regnare coepiſſe, ſequitur.

Duodecim generationes poſt Uchoreum Moeris regnavit [3]), qui ſeptemtrionali propylaea h. e. ſecundum Herodotum [4]), ſeptemtrionalem Vulcani templi faciem conſtruxit. Hunc ſecundum computum Moeris octogeſimus Aegyptiorum rex fuit, Herodotum [5]) tamen, eum regum 130, quorum quidem ſeriem Menes incipit, poſtremum fuiſſe, a quo ad usque iter ſuum Aegyptiacum vix nongentos annos elapſos eſſe,

1) Diodor. Sic. lib. 1. §. 50. p. 59.
2) lib. 2. §. 99.
3) Diodor. Sic. lib. 1. §. 51. p. 61.
4) Herod. lib. 2 §. 91.
5) ibid. §. 190.

eſſe, affirmavit [1]). Secundum Diodori calculum rex iſte 12598 annos ante Chriſtum regnavit.

Septem poſt Moeridem generationes regnavit Seſoſtris; qui & Seſooſis & Seſonchis appellatur. Is omnes, qui ante eum regnarant, reges rerum geſtarum magnitudine ſuperavit [2]).

Diſſentit h. l. Diodorus ab Herodoto [3]), qui Seſoſtrin hunc Moeridis ſucceſſorem proximum fuiſſe narrat. Longius adhuc abit Dicaearchus [4]), qui Seſoſtrin hunc primum regem, Orique, qui Oſiridis & Iſidis filius fuiſſe dicitur, ſucceſſorem appellavit, & a Seſoſtri ad Nilum 2500 annos, a Nilo vero ad primam Olympiadem 463 annos numeravit. Quum vero Aegyptus anno tertio Olympiadis ſexageſimae tertiae expugnata eſt, exinde Dicaearchum Aegyptiorum regno 3187 annorum durationem tribuiſſe clarum eſt. Sed conferenda ſunt, quae infra capite 13. de Troiae excidio exponuntur.

Seſoſtris, ſecundum Diodorum, anno ante Chriſtum 12338 regnavit.

Seſoſtris II patri ſucceſſit [5]). Ab Herodoto [6]) Pheron dicitur. Seſoſtrin hunc II. 40 annos regnaſſe putavit Larcherius, mortuus igi-

1) ibid. §. 13.
2) Diodor. Sic. lib. 1. §. 53. p. 62.
3) Herod. lib. 2. §. 102.
4) Apud Schol. Apollon. Rhod. ad IV. lib. v. 272 & 276.
5) Diodor. Sic. lib. 1. §. 59. p. 69.
6) Herod. lib. 2. §. 111.

igitur is 12250 annos ante Chriſtum eſt, quo quidem anno intervallum inter Seſoſtris II & Amaſis ſive Amoſis regnum incipit.

Seſoſtri II reges ſucceſſere plures, qui memoria dignum nihil fecere [1]). Amaſis, (vel rectius Amoſis [2]) crudelis in ſubditos fuit; & ab Actiſane Aethiopum rege, qui Aegyptum ſibi ſubiecit, victus eſt.

Diodorus neque regum numerum, neque regnorum durationes expreſſit, quo hiſtoriarum filum abrupit, ut certo definire non poſſimus, num revera 470 reges indigenae fuerint nec ne, uti cap. 44. p. 53 tradidit id Diodorus. Si tamen ab Amoſi, regum Aegyptiorum ultimo, ad Amoſin hunc retro numeremus, intervallum circiter annorum 10828 inveniemus, quo in tempore 371 reges regnaſſe dubium eſſe non poteſt. Cui autem veroſimile videri poterit, Diodorum, qui numerum regum poſt Menetem, & Buſiridis I & II ſucceſſorum, qui generationes poſt Uchoreum & Moeridem accurate expreſſit, hunc inquam Diodorum, ſi his antiquis de temporibus comperti quid habuiſſet, poſtquam ſeriem horum regum haud interruptam enumeraverat hoc loco tam vage & indefinite ſcripſiſſe? Hoc quidem argumento & contra Herodotum vice verſa uti nos poſſe, haud ignoravit Larcherius, ſed ad hunc quod attinet res longe aliter ſe habent. Herodotus hiſtoriam bellorum Perſas inter & Graecos ſcribere ſibi propoſue-

---

1) Diodor. Sic. lib. 1. §. 60. p. 69.

2) Lectionem priorem editi, alteram ſcripti libri habent.

poſuerat. Ut Perſas eo accuratius poſſet deſcribere, ad primam rerum originem adſcendere neceſſarium ipſi videbatur. Quare ut omnem rem exhauriret de Perſarum a Medorum imperio liberatione, de prolatione ipſorum imperii, de Lydiae expugnatione, & hac occaſione de Lydorum populo Graecis in Aſia vicino, ideoque ab his minime negligendo, loquutus eſt. Tranſiit poſtea ad Aegypti expugnationem. Terram hanc, poſtquam a Perſis erat ſubiugata, Graeci plurimi proficiſcentes viſitarunt, qui & exactam eius cognitionem ſibi comparare ſtuduerunt. Quare deſcriptionem Aegypti ſatis accuratam operi ſuo inſeruit Herodotus, qui & de regibus Aegyptiorum antiquis ſuccinctiſſimam enarravit hiſtoriam. Qui ſi de regibus 330, qui Moeridem anteceſſerant, vel breviſſime tantum loqui voluiſſet, haecce pars hiſtoriarum eius nimis longa, & a propoſito eius nimis aliena foret. Hiſtoriam igitur ſuam Aegyptiacam ſapienter a Seſoſtri exorſus eſt, & pauciſſimis tantum verbis lectores ſuos, hos reges vetuſtiores, qui ante Moeridem regnarant, ſplendidum & memoriae dignum nihil feciſſe, monuit.

Diodorus contra Siculus hiſtoriam univerſalem omnium tunc temporis cognitorum populorum ſcribere inſtituit. Huic igitur ſatis non erat, omnia, quae omnes apud hiſtoriarum ſcriptores legerat, in unum quaſi librum conferre, ſed, quod ante eum iam fecerat Herodotus, diverſas in regiones, quarum hiſtoriam enarrare ſibi propoſuerat, proficiſci, harum terrarum annales & monumenta evolvere & examinare,

 vi-

viros diverſis in terris doctos adire & conſulere, omniaque, quae his e fontibus hauſerat religioſi & accurato cum iudicio ſub examen vocare, diſiecta illa membra in unum tandem corpus colligere oportuit. Sed conſilium hoc & propoſitum vaſtiſſimum nec uno ab homine nec in ſeculo illo exequi potuit, quo & doctiſſimi viri cognitionem tantum imperfectam de rebus patriis ſibi poterant formare, quo ſermonum magna varietas has res neceſſario perdiffiCiles cognitu reddebat, quae etiam difficultas librorum raritate haud parum augebatur.

Diodorus multa profecto, & fortaſſis omnia perfecit, quae tunc temporis ab eo perfici potuerunt. Sed nihilo minus tamen opus eius valde imperfectum eſt, nec contradictiones ſolum, ſed & lacunae in eius opere inſunt, quas nemo umquam neque tollet neque explebit, Sic ſine dubio e defectu materiarum orta eſt non ſolum illa magna lacuna inter Seſoſtris II & Amoſis regna, ſed & Aegyptiacae eius & Aſſyriacae hiſtoriae corruptiones nimis magno vaſtoque operis ſui ambitu ſunt inculpandae. Laborum immenſitas cum non permitteret Diodoro, conſulere quae Aegyptiorum in ſacrariis recondita erant hiſtoriae veteris monumenta, contentus Hecataeum & Herodotum rapido quaſi curſu percurriſſe & a Graecis in Aegypto habitantibus & ab Aegyptiis quibusdam in rebus patriis medicocriter tantum verſatis ſacerdotibus, quae ad antiquiſſimum Aegyptiorum ſtatum pertinebant, exquirere ſtuduit. Audierat v. c. in Olympiade 180, Menetem ante 15000 annos regnaſſe. Paucos igitur reges quos cognorat ſic ordi-

ordinare ſtuduit, ut horum regna hac cum epocha convenirent, quum vero vaſtiſſimam, quae ſe oſtenderet, lacunam hiſtoriarum defectu explere non poſſet, difficultatem hanc verbis & narrationibus ſuis generalioribus vagisque eludere ſtuduit.

Suppoſuit ergo Diodorus, Seſoſtrin II inter & Amoſin intervallum 10828 annorum fuiſſe, quo quidem tempore 371 reges Aegyptum tenuerint. Herodotus contra Seſoſtris II quem Pheronem appellat, ſucceſſorem Proteum dixit. Tempus quo Seſoſtris I regnavit, anteceſſoris eius Moeridis morte, & Protei, Pheronis ſive Seſoſtris II ſucceſſoris, excidio Troiano notavit: ille nongentos circiter annos ante profectionem Herodoti Aegyptiacam, hic 834 circiter annos ante eam regnaſſe videtur.

Sed ad Diodorum redeamus noſtrum, qui poſt Actiſanis mortem, inquit [1]), Aegyptios libertatem recuperaſſe, Mendeſioque ſceptra tradidiſſe. Sed hunc poſt regem ἀναρχίαν per quinque generationes duraſſe addit, quae tandem Cete, quem Graeci Proteum appellant, in ſolio collocato, finem habuit [2]).

Secundum Herodotum [3]) Proteus Pheroni ſive Seſoſtri II ſucceſſit, & conſentiunt Halicarnaſſenſis & Siculus, hoc regnante Graecos Troiam oppugnaſſe, quae quidem expeditio dubio nullo ſubiecta eſt. Sed Diodorus cum expugnationem Troiae anno ante Chriſtum 1182

 acci-

1) Diodor. lib. 1. §. 61. p. 70.
2) Id. ibid. §. 62. p. 71.
3) Herod. lib. 2. c. 112.

accidiſſe refert, regem hunc neceſſario ſerius, quam ſine dubio vixit, regnaſſe contendere debuit.

Rhemphis, Protei filius patri ſucceſſit 1). Apud Herodotum is dicitur Rhamphinitus.

Rhemphi 2) mortuo reges ſucceſſere ſeptem per totidem generationes, qui memoriae dignum nihil fecere. Poſtremus horum Nileus dictus, qui nomen ſuum fluvio, antea Aegypti nomine appellato, communicavit.

Nihil apud Herodotum hoc de rege. Dicaearchus, qui eius fecit mentionem, eum inquit 3) 436 annos ante primam Olympiadem, h. e. anno 3502 Julianae periodi, (2970 Job. Fr.) & 1212 annos ante Chriſtum vixiſſe. Pluribus infra cap XIII. de bello Troiano hoc de rege agetur, ibique corruptum Apollonii Scholiaſtae locum ſub examen vocabimus.

Chemmis, octavus regum, quinquaginta annos regnavit 4). Herodoti 5) Cheops hic eſſe videtur.

Succeſſit huic Chephrenes 6), quem alii fratrem, alii filium eius appellant, regnumque per annos 56 adminiſtravit. Chephrenem Herodotus 7) Cheopis fratrem, eiusque in regno ſucceſſorem, appellavit, ipſique annos regni 56 tribuit.

Poſt

---

1) Diodor. lib. 1. §. 62. p. 71.
2) Idem §. 63. p. 72.
3) Schol. Apollon. Rhod. ad. lib. 4. v. 272 & 276.
4) Diodor. Sic. l. l.
5) Herod. lib. 2. c. 124.
6) Diod. Sic. lib. 1. §. 64. p. 73.
7) Herod. lib. 2. c. 127.

Poſt hunc Mycerinus [1]) regno potitus eſt, in quo uterque conſentit hiſtoricus.

Succeſſor huius Bocchoris [2]). Omiſit Diodorus h. l. Tnephactum, Bocchoris patrem, cuius tamen antea meminerat [3]). Plutarchus [4]) quoque meminit huius regis, quem Technatin appellat, de quo nos iam ſupra quaedam monuimus. Si Bocchoris & Herodoti Anyſis unus idemque, & Tnephactus Aſychis eiusdem hiſtorici erit.

Longum [5]) poſt tempus Sabacon Aethiops Aegyptum expugnavit.

Anyſin a Sabacone Aethiope devictum regnoque exutum, refert Herodotus [6]. Anyſis in paludes confugit, & Sabacone in Aethiopiam redeunte, regnum ſuum recepit, annosque per aliquot regnavit. Nullum igitur Anyſin inter & Sabaconem tempus elapſum. Nec, ſi Bocchoris & Anyſis diverſi fuerint reges, intervallum longum inter hos eſſe potuit, Syncellus [7]) enim, Bocchorin a Sabacone, poſtquam pugnam ſimul cum libertate amiſerat, vivum combuſtum eſſe retulit. Sed hoc de Sabacone, quae infra §. 12 dicemus, conferenda.

Sabacos [8]) poſtquam redierat in Aethiopiam, tur-



1) Diod. Sic. lib. 1. §. 64. p. 74.
2) Id. ibid. §. 65. p. 75.
3) Id. ibid. §. 45. p. 54.
4) de Iſide & Oſir. p. 354.
5) Diodor. Sic. lib. 1. §. 65. p. 75.
6) lib. 2. c. 137.
7) Syncelli Chronogr. p. 74 & 184. ed. Pariſ. p. 59 & 147. ed. Venet.
8) Diodor. Sic. lib. 1. §. 66. p. 76.

turbulentus fuit Aegypti ſtatus per annos duo; quibus elapſis duodecim principes Aegyptii gubernacula reipublicae ceperunt, & per quindecim annos ſimul regnarunt. Pſammitichus horum unus, collegas aggreſſus, eos partim vi armisque devicit, partim in Libyam fugere compulit, regnumque univerſum ſibi ſoli vindicavit.

Diodorus de Sethonis regno, bello & clade ab Aſſyriis accepta memorabili, nihil retulit. Turbulentus, cuius meminit, rerum ſtatus vero haud quidem abſimilis, ſed poſt huius demum regis mortem, qui regii generis poſtremus fuit, incidiſſe videtur. In ceteris cum Herodoto ſatis conſentit Diodorus. Ille 1) Pſammitichum 54 annos in univerſum regnaſſe, hic 2) duodecim reges ſive δωδεκάρχας ſimul quindecim, & Pſammitichum poſtea ſolum 39 annos regnaſſe refert, qui, ſi 15 illis addantur, 54 annos Herodoteos efficiunt.

Quatuor generationes poſt Pſammitichum Apries viginti duo annos regnavit 3).

Diodorus & Herodotus hoc loco conſentiunt, qui inter Pſammitichum & Apriem, Nechum & Pſammin inſeruit. Graeci generationes numerantes extremas duas ſemper comprehendunt. Ut igitur quatuor Diodori generationes habeamus, Pſammitichus & Apries ſimul numerandi ſunt. Herodotus autem 25 anno regno

1) Herod. 2. lib. c. 157.
2) Diodor. Sic. loc. laud.
3) Idem ibid. §. 68. p 78.

gno Apriei tribuit, qui ſecundum Diodorum 22 tantum annos regnavit.

Amaſis contra Apriem rebellavit, regnumque huic eripuit, qui poſt regnum 55 annorum eo tempore, quo Cambyſes Aegyptiis bellum inferre parabat, h. e. anno tertio Olympiadis 63, mortuus eſt.

Vix opus eſt monere lectorem, in latina Diodori Siculi verſione Wecheliana (Francofurti 1604. fol.) vitioſe ſcriptum eſſe: *tertio Olympiadis ſexageſimae anno*, quod tamen typographi vitium Weſſelingius emendare oblitus eſt. Herodotus 1) Amaſi 44 annos regni tribuit, quocum Julius Africanus conſentit. Diodorus Pſammenitum, a Cambyſe poſtquam ſex menſes regnarat regno exutum, praeteriit.

## §. 8.

### *Synopſis rerum quae tradidit Diodorus.*

Methodus Diodori Siculi ſine dubio vitioſa, eaque in computandis regum Aegyptiorum annis nullo modo uti poſſumus Seriem horum regum a primo ad Amaſin usque ſi ſub examen vocemus, eam lacuna illa interruptam videmus, quae poſt Seſoſtrin II occurrit, cui reges plurimi ſucceſſerunt, quorum numerum Diodorus 2) non addidit. Qui tamen cum retulit, a Menete ad Olympiadem usque 180, fere 15000 annos elapſos eſſe, exinde Menetem 14940 annos ante Chriſtum regnare coepiſſe computamus.

D 5 Quod

1) lib. 3. c. 10.
2) lib. 1. §. 60. p. 69.

Quod ſi ſupponamus, reges 52 Menetis e progenie 1400 annos regnarunt. Singulis igitur horum regum 27 tantum anni regiminis poſſunt adſcribi, cui regula generationum adverſa eſt. Sumamus interim annos illos 1400, & cum Julio Africano[1]) Meneti 62 annos tribuamus, exinde Buſiridem I, qui poſt reges illos 53 diademate ornatus eſt, 13478 annos ante Chriſtum regno potitum eſſe ſequitur.

Poſt Buſiridem hunc primum octo reges regnarunt, quorum ultimus Buſiris II. Hic igitur 240 annos poſt Buſiridem I. regnavit, eiusque tempus incidit in annum 13228 ante Chriſtum.

Buſiridem hunc II iterum octo reges ſequuti ſunt. Uchoreus, poſtremus eorum, condidit Memphim. Uchorei igitur regnum in annum ante Chriſtum incidit 12988.

Moeris regnare coepit duodecim generationes poſt Uchoreum, h. e. 360 annos poſt huius obitum, & anno ante Chriſtum 12598.

Poſt hunc ſeptem elapſis generationibus Seſoſtris rex factus, h. e. 210. annos poſt Moeridis mortem & 12338. ante Chriſtum, cum quo tamen permagno annorum numero omnes de tempore huius regis opiniones conciliari nequeunt. Dicaearchus[2]) eum primum Aegyptiorum regem putavit, qui 3712 annos ante Chriſtum regnaſſet. Larcherius eum 48 annos regnaſſe, & Seſoſtrin II eius ſucceſſorem anno

1) Syncelli Chronogr. p. 54. Pariſ. 42. Venet.
2) Schol. Apollon. Rhod. ad IV. libr. v. 272 & 276.

anno ante Chriſtum 12290 regere coepiſſe, putavit.

Diodorus nunc de permagno regum numero loquitur, quorum Amoſis fuit poſtremus, ſed neque numerum regum neque annorum regni expreſſit. Series igitur hoc loco abrupta, nec ſine magna difficultate calculos eius invenire, numerumque regum de quibus loquutus eſt definire poſſumus. Amoſis quo circiter anno vixerit, ſi eruere poſſimus, & illud inde poſſet computari. Sed filo, uti iam diximus, abrupto, Amaſin ultimum Aegyptiorum regem putemus & ab hoc ad Amoſin usque retro annos numeremus, neceſſe eſt.

Amaſis poſtremus Aegypti rex, 55 annos regnavit & anno Juliano 4189, (3657 Job. Fr.) ante Chriſtum 580 mortuus eſt. Apries regnavit 22 annos, eiusque regnum in annum Julianum 4112, (3580 Job. Fr.) ante Chriſtum 602 incidit. Nechum & Pſammin Diodorus praeteriit, ſed cum Pſammitichum inter & Apriem quatuor numeravit generationes, & Graeci in computatione generationum extremas duas comprehendere ſolent, Pſammitichi, Nechi, Pſammis & Apriei regna 120 annorum ſpatium explere colligimus [1]). Amaſis regno potitus eſt anno Juliano 4134, (3602 Job. Fr.) ante Chriſtum 580, Pſammetichus igitur circa annum Julianum 4010, (3478 Job. Fr.) ante Chriſtum 704

1) Cum h. l. de Diodori Siculi annos computandi methodo ſermo eſt, ſingulis generationibus 30 tantum annos tribuimus.

704 regnare coepit. Diodorus nil amplius, niſi Pſammitichum cum ceteris undecim regibus ſimul per quindecim annos regnaſſe retulit, & reliquos regni eius annos ſilentio praeteriit. Herodotus eum 54 annos regnaſſe tradit. Solus igitur 39 annos regnavit, quorum initium in annum Julianum 4025. (3476 Job. Fr.) ante Chriſtum 689 incidit. Inter δωδεκάρχας iſtos & Sabaconem per annos duo turbulentus fuit Aegypti ſtatus, qui igitur anno Juliano 4008, (3476 Job. Fr.) ante Chriſtum 706 initium habuit.

Sabacon ἀναρχίαν hanc proxime anteceſſit, & Herodotus eum 50 annos regnaſſe tradit. Diodorus quidem Sabaconis regni durationem definito numero non expreſſit, ex eius tamen relationibus Aethiopem hunc non plures quam decem annos Aegyptum tenuiſſe veroſimile eſt. Aegyptum igitur anno Juliano 3998, (3466 Job. Fr.) ante Chriſtum 716 ſibi ſubiecit.

De Sabacone & Bocchori Diodorus haud accurate & definite loquutus eſt, qui longum tempus poſt Bocchorin Sabaconem regno potitum eſſe retulit. His ex verbis Diodori Bocchori eiusque in regno anteceſſoribus locum aſſignare certum non poſſumus. Intervallum temporis Bocchorin inter & Amoſin Diodorus explevit regno Actiſanis Aethiopis, & Mendetis, anarchia quinque generationum, Cetis ſive Protei, Rhemphitis Protei filii, regnis, quem poſtremum ſeptem reges ignavi ſequuti ſunt, quorum Nileus fuit ultimus, quem Chemmis excepit, qui 50 annos regnavit, & ſucceſſorem habuit Chephrenem, 56 annos regnantem, poſt

quem

quem Mycerinus & Bocchoris regnarunt. Haec viginti ſupponunt generationes, & annorum ſexcentorum ſpatium. Epocha ſola, quae ſecundum Diodori computandi rationem, certa eſt, Cetis ſive Protei eſt regnum, qui circa annum Julianum 3522, 2990 Job. Fr.) ante Chriſtum 1192 regnaſſe dicitur, quia Diodorus cum Apollodoro & Eratoſthene Troiam, hoc rege in Aegypto regnante, h. e. anno Juliano 3532 (3000 Job. Fr.) & ante Chriſtum 1182 exciſam putavit.

Si Protei huius a regno ad Amoſin retro numeramus, octo generationes ſive annos 240 inveniemus. Amoſin igitur, circa annum Julianum 3292, 2760 Job. Fr.) ante Chriſtum 1422 regnare coepiſſe, patet.

Si e contrario a Proteo ad Bocchorin computationem inſtituamus, tredecim generationes h. e. anni 390 efficiuntur. Incidit igitur Bocchoris regnum in annum Julianum 3912, (3380 Job. Fr.) ante Chriſtum 802. Sabacon autem anno Juliano 3998, (3466 Job. Fr.) ante Chriſtum 716 regnare coepit, Bocchoris igitur regnum duodecim tantum annorum fuiſſe videtur. Mortem eius ſi in annum Julianum 3924, (3392 Job. Fr.) ante Chriſtum 790 incidiſſe putemus, inter hunc regem & Sabaconem 74 anni elapſi ſunt. Quod quidem ſatis longum eſt temporis ſpatium, ut Diodorus inter duos hoſce reges magnum annorum numerum elapſum eſſe, rectiſſime dicere potuerit.

Progrediamur nunc ad temporis illud intervallum quod Seſoſtrin II inter & Amoſin oſtenditur. Regni Amoſis initium in annum circiter Julianum 3292, (2760 Job. Fr.) ante Chriſtum

ſtum 1422 cadit, uti ſupra iam dictum eſt, & Seſoſtris II, ſecundum Diodori rationes quadraginta regnavit annos, & 12250 ante Christum diem obiit, temporis igitur hos inter principes duos intervallum eſt 10828 annorum, in quibus 361 reges regnaſſe dicuntur, qui regum numerus permagnus veritati profecto contrarius, licet tradat hiſtoricus Siculus, permagnum regum numerum Seſoſtri II inter & Amoſin regnaſſe.

Diodorus ſine dubio ſyſtema ſuum de regibus Aegypti prudenter ſatis excogitavit. Fuerunt quippe ſecundum eius traditiones 470 reges indigenae, Aethiopes 4 & 5 reginae, qui omnes 479 regna efficiunt. Si vero omnes quos nominavit reges, omnesque numeremus generationes, de quibus fecit mentionem, centum & ſexdecim tam reges quam generationes habebimus. Ut igitur numerum regum 479 compleamus, Seſoſtrin ſecundum inter atque Amoſin 363 reges collocemus oportet, qui numerus ad 361 illos reges, quos per hoc tempus regnum tenuiſſe tradidit, proxime accedit, & duobus tantum minor eſt.

Diodorus fere ſemper contradicit Herodoto. Cui horum maior fides habenda? Vix hac de re dubium eſſe poteſt. Eo tempore, quo Herodotus in Aegyptum iter fecit, Aegyptii non nimis longo ex tempore Perſis fuerunt ſubiecti. Regum ſuorum hiſtoria, in primis res geſtae poſteriorum octo ſeculorum, Aegyptiis eo tempore adhuc ſatis cognita fuere. Nec omnia Aegyptiorum templa & ſacraria a Cambyſe ſpoliata, Thebis enim & Memphi adhuc ſacra de priſco Aegyptiorum ſtatu eorumque rebus geſtis ad

ſerva-

ſervabantur monumenta. Sacerdotes Memphitici Herodoto ſacros hoſce libros explicuerunt, qui, his minime contentus Thebas quoque ſe contulit, ut & Thebanorum ſacerdotum e libris ſuis relationes audiret, easque cum Memphiticis conferendo veritatem erueret. Poſtero vero tempore Perſici imperii durities & ſervilis populi oppreſſio, artes atque ſcientias Aegyptiorum, hiſtoriarum & hieroglyphicae ſcripturae vetuſtiorisque linguae ſtudium ſenſim ſenſimque exſtinxit. Aegyptus, Perſarum regno everſo, Graecis regibus parere coacta, qui Alexandriam urbem exſtruxerunt, Memphin neglexerunt. Ptolemaeis regnantibus Graecus ſermo Aegyptium veterem oppreſſit, in aula regia graece loquebantur omnes, in iudiciis graece omnia agebantur, ſic Graeca lingua omnibus paene in urbibus vulgaris facta. Lingua vetuſta Aegyptiorum, poſtquam vulgaris eſſe deſierat ſenſim oblita, paucis tantum doctioribus, quorum numerus in dies minuebatur, cognita, & hi quoque pauci imperfectam etiam eius cognitionem habuiſſe videntur. Rebus ſic ſe habentibus Diodorus in Aegyptum venit. Operis quod ſibi propoſuerat immenſitas ipſi non permiſit, omnia perquirere, & veritatem ex profundo quaſi exhaurire. Quare narrationes compilavit omnes, quas audiit, quae ſaepe cum eſſent tam imperfectae quam ſibi ipſis contradicentes, imperfectiones iſtae & contradictiones neceſſario in hiſtorias ſuas tranſierunt. Quae ſi vel lacunas quasdam in Herodoteis explere poſſint hiſtoriis, eas tamen multis ex cauſſis fide & auctoritate carere nemo poterit negare, & ad chronologiam ex

ex iis eruendam nullius plane ſunt uſus. Addit hiſce Larcherianis argumentis *Degenius*, non linguam ſolum Aegyptiorum externa ſub dominatione immutatam & depravatam, ſed & religiones, populi indoles, artes, opiniones & ſuperſtitiones varie immutatas & corruptas eſſe. Poſt Alexandri Magni expeditionem & Ptolemaeis regnantibus indoles & character plane ſingularis veterum Aegyptiorum ſenſim ſenſimque evanuit Graecis, quorum ſub dominatione vivebant, moribus aſſueti patrios antiquos aboleverunt. Et haec eſt cauſſa, cur de diverſis plane populis, ſi Herodoti & Diodori relationes Aegyptiacas conferamus, hiſtorias legere videmur.

*Meinerſius* 1) de Diodori in rebus Aegyptiacis fide diſputationem doctiſſimam, Larcherio haud cognitam, hoc loco ſilentio praeterire non poſſumus. Inveſtigator ille veritatis ſagaciſſimus extra omnem poſuit dubitationem, Aegyptios, de quibus Siculus noſter ſcripſit hiſtoricus, ab iis, quos Herodotus olim viderat & deſcripſerat, longe diverſos fuiſſe, mores & opiniones Aegyptiorum, quas Herodotus Graecis ſimiles iudicarat, Diodori tempore iam plane easdem factas, mythos Graecos cum Aegyptiis commixtos, fabulas & traditiones acceſſione Graecarum auctas, & ſacerdotibus ab Aegyptiacis Siculo noſtro falſa pro veris conſilio vendita eſſe, e narrationibus eorum de legibus & inſtitutis, de reli-

1) In libello germanico ſupra iam laudato de religionibus veterum in primis Aegyptiorum cap. 7. a pag. 128.

religionibus *cet.* demonſtravit & evicit. Fontes igitur, e quibus Aegvptiaca ſua hauſit Diodorus, Herodoteis longe impuriores fuere, & de his ne verbum quidem monuiſſe doctiſſimum Larcherium iure miramur, ſed ne nimis longa noſtra excreſcat diſputatio, ad *Heynii*, Viri Summi, de Diodori fide & auctoritate libellum [1]) lectores noſtros ablegamus, & cum his ordinem, quem in ſerie ſua regum Aegypti ſecutus eſt Diodorus, communicamus.

## §. 9.

***Regum Aegypti ex mente & ſyſtemate Diodori Siculi ſeries chronologica.***

| | Period. Jobel. | Period. Julian. | Anni ante Christum |
|---|---|---|---|
| Menes, primus Aegypti rex, regnavit 60 annos - - | | | 14946 |
| LII. Reges qui 1400 annos regnarunt | | | 14878 |
| Buſiris I. regnavit annos 40 - | | | 13478 |
| Octo huius ſucceſſores - | | | 13438 |
| Uchoreus, ultimus octo horum regum regnavit 30 annos - | | | 12988 |
| XII Generationes poſt hunc Uchoreum | | | 12958 |
| Moeris regnavit annos 50 - | | | 12598 |
| VII Generationes poſt Moeridem | | | 12548 |
| Seſoſtris I. regnavit 48 annos - | | | 12338 |
| Seſoſtris II. regnavit 40 annos - | | | 12290 |
| Intervallum 10828 annorum, quo tempore 361 reges - | | | |

fuiſſe

1) Vol. VII. Commentat. Nov. Soc. Scient. Goetting.

| | Period. Jobel. | Period. Jul. | Anni ante Christum |
|---|---|---|---|
| fuiſſe dicuntur. Relationes tamen Diodori 363 ſupponunt. Intervalli huius initium fuit - | | | 12250 |
| Amoſis regnavit 12 annos - | 2760 | 3292 | 1422 |
| Actiſanes regnavit 28 annos - | 2772 | 3304 | 1410 |
| Mendes regnavit 40 annos - | 2800 | 3332 | 1382 |
| Anarchia, quae quinque generationes perduravit, quae 150 annos comprehendunt. Initium habuit | 3840 | 3372 | 1342 |
| Cetes ſive Proteus regnavit 21 annos | 2990 | 3522 | 1192 |
| Remphis, Protei filius, regnavit 20 annos | 3011 | 3543 | 1171 |
| Septem reges ignavi - | 3031 | 3563 | 1151 |
| Nileus, ſeptimus horum regnavit 18 annos - - | 3241 | 3773 | 641 |
| * Chemmis regnavit 50 annos | 3259 | 3791 | 923 |
| * Chephren regnavit 56 annos | 3309 | 3841 | 873 |
| Mycerinus regnavit 15 annos - | 3365 | 3897 | 817 |
| Bocchoris regnavit 12 annos - | 3380 | 3912 | 802 |
| Intervallum 74 annorum quod incepit | 3392 | 3924 | 790 |
| Sabacos regnavit 10 annos - | 2466 | 3998 | 716 |
| * Anarchia duorum annorum | 3476 | 4008 | 706 |
| * Duodecim reges, quorum e numero fuit Pſammitichus, regnarunt coniunctim 15 annos - | 3478 | 4010 | 704 |
| Pſammitichus ſolus regnavit 39 annos | 3493 | 4025 | 689 |
| Nechos regnavit 34 annos - - | 3532 | 4064 | 65[illegible] |
| Pſammis regnavit 14 annos - | 3564 | 4098 | 61[illegible] |
| * Apries regnavit 22 annos - | 3580 | 4112 | 60[illegible] |
| * Amaſis regnavit 55 annos - | 3602 | 4134 | 58[illegible] |
| Amaſis mortuus & Cambyſes Aegyptum perdomuit - | 3657 | 4189 | 52[illegible] |

Generationi unicuiqui triginta tribuimus annos, uti computare ſolet Diodorus, exceptis tamen quinquaginta duobus Menetis ſucceſſoribus, quibus 1400 annos expreſſis verbis Siculus tribuit.

Eorum

Eorum regnorum durationem, quam numeris expreſſit Diodorus, aſteriſco notavimus. Ceterorum regum ex Herodoto & Julio Africano adſcripſimus annos, &, ubi & hi auctores duo ſilebant, coniecturis, quae ad veritatem proxime accederent, annos explere tentavimus.

§. 10.

*Chronologia regum Aegypti ex Herodoto. Theocratia.*

Seculo noſtro eruditione multifaria illuſtri, ſi Aegyptiorum veterum de Diis ſuis eorumque regnis opiniones adoptare vellemus, nil magis abſonum atque abſurdum poſſet excogitari. Si tamen omnes in eo conſentire videamus veteres hiſtoriarum ſcriptores, Aegyptum plura per ſecula a Diis & Heroibus regnatam fuiſſe, quas & primi Chriſtianorum chronologi adoptarunt opiniones; traditiones iſtas, praeſertim cum Aegyptii antiqui ſapientiſſimi nec omnibus iam iſtis, quibus poſteri eorum, ſuperſtitionibus imbuti fuerint, non omni deſtitutas eſſe fundamento, facile credamus. At, qui fieri potuit, ut opiniones iſtae ita praevaluerint, ut vulgares omnium redderentur? —

Aegyptios antiquiſſimos unum tantum Deum cognoviſſe, eumque pure & ſine ſuperſtitioſo cultu adoraſſe vero ſimile videtur. Eoque magis hanc in opinionem adducimur, quod Plutarchi [x]) temporibus de Thebaidis populis ferebatur, eos Deum *Cneph*, quem ſine initio & ſine fine ſibi fingebant, adoraſſe: Κνὴφ ἀγέννητον ὄντα καὶ ἀθάνατον.



x) Plutarch. de Iſide & Oſirid. p. 359. D.

τον. Orientis populorum more Aegyptii ſummi numinis attributa ingenioſis allegoriis explicare ſolebant, ſed temporum decurſu ſimplici illa de numine idea ſenſim oblita, ſacerdotes allegorias iſtas numinum loco habuerunt, populoque colendas praebuerunt. Sed quocunque modo idolorum cultus apud Aegyptios ortus ſit, hoc certum eſt, eos religiones cultumque numinum ſuorum in ſyſtema quoddam redegiſſe, & hierarchiam h. e. publicam ſacrorum adminiſtrationem primos inſtituiſſe. Altaria certo gentium numero, quae excludebant alias, propria & hi miniſtri Deorum varios in ordines a ſummo ſacerdote ad infimum usque fuerunt diviſi. Filius patri ſuccedebat [1]), nec ordine ex uno in alium transſlocari poterat. Sic Aegyptii a Menetis temporibus ad ſeculum usque Hecataei Mileſii, qui in Aegyptum iter fecit, 345 ſummos numerabant ſacerdotes Thebanos [2]), quorum ſemper pater filium habuerat ſucceſſorem. Veneratio numinis & ſacrorum antiquiſſimis temporibus vulgaris, tanſiit quoque ad cultus divini miniſtros atque interpretes. Hi otio abundantes artes atque ſcientias excoluere, & ſoli quaſi eruditi inter ſuos exſtitere. Orta inde conſuetudo, eos de rebus conſulendi omnibus, occaſionem ſacerdotibus praebuit exoptatiſſimam, auctoritatem ſibi ſummam atque imperium quoddam in populum vindicandi, quo tamen nimis gravi cum uterentur, iugum quod im-

---

2) Herod. lib. 2. c. 37. ad fin.
2) Herod. lib. 2. c. 143.

impoſuerant populus de collo deiecit regibusque parere maluit. Sacerdotibus reipublicae gubernacula tenentibus, hi omnia ſua edicta atque leges quaſi a Diis ipſis acceptas, promulgare, populumque, non ſe, ſed Deos ipſos dominium exercere, civitatis formam theocraticam eſſe, docere ſolebant. Herodotus ergo, ſi de regnis octo antiquiſſimorum Deorum, quos duodecim iuniores ab illis prognati ſequuti ſint, loquitur, aliud fortaſſe nihil dicere voluit, niſi ſummos horum Deorum ſacerdotes auctoritatem atque imperium ſibi ſummum, aliorum Deorum ſacerdotibus excluſis, vindicaſſe, & per tempus diuturnum uſurpaſſe. Certo quidem, hoc ita ſe habere, demonſtrari non poteſt, nec pro certo affirmare audet Larcherius; poſſe tamen, unanimam veterum ſcriptorum de Deorum atque Heroum in Aegypto regnis traditionem, ſi eam hoc modo explicare tentemus, vero ſimilem quodammodo reddi ſuſpicatur. Et, ſi Judaeorum conferamus hiſtoriam, pondus quoddam accedere putat ad hanc opinionem. Nam Hebraei, ſimulac jugum deiecerant Aegyptiacum, tribum Leviticum ſtatim elegerunt ad ſacra ſua curanda; hac e tribu iudices ſuos ſumſerunt, & ſummam hoc modo poteſtatem ſacerdotibus ſuis tribuerunt, qui ad Samuelis usque tempora ea uſi ſunt. Tunc tandem populus iniuriarum ſacerdotalium impatiens, uno ore regem poſtulare coepit, qui aliorum populorum more in eos regnaret. Ad hoc usque tempus in Theocratia fuere Hebraei, quamquam haec denominatio civitatis ſuae in libris eorum non occurrat. Colligimus hoc e

E 2 ver-

verbis, quae Deum ipſum loquutum eſſe tradunt[1]): *Audias*, *inquit* vati Deus, *audias vocem populi eisque morem geras in omnibus, quae poſtulant, non enim te, ſed me ipſum repudiarunt, neque regem ſuum in poſterum eſſe noluerunt.*

Dominatione ſacerdotali apud Aegyptios, quantum quidem fieri potuit, a Larcherio probata, huius duratio nunc definienda eſt.

Deos atque Heroes circiter 18000 annos regnaſſe, e Diodoro Siculo iam vidimus, quo loco hunc ſibi ipſum contradicere ſcriptorem, obſervatum a nobis eſt. Chronicon vetuſtum regnis Deorum multo tribuit longiorem durationem, annorum ſcilicet 34201. Herodotus certi nil retulit. Deos tres in ordines diſtinxit, ordoque primus antiquiſſimorum Deorum, octo ſecundus ordo, duodecim habuit Deos, tertii ordinis numerus ignotus.

De primi ordinis Diis neque regnorum initium neque durationem Herodotus deſcripſit & ad ſecundum ſtatim ordinem duodecim Deorum tranſit[2]), qui 17000 annos ante Amoſin, h. e. circa annum ante Chriſtum 7570, & ante Menetem primum regem 5214 coepiſſe regnum dicuntur.

Deorum tertii ordinis numerum Herodotus non addidit. Oſiridem tamen, Aegyptiorum Bacchum, poſtremo horum Deorum in regno anteceſſiſſe, & 15000 ante Amoſin annos h. e.

1) 1 Sam. c. 8. v. 3. 4. 5.
2) Herod. lib. 2. c. 43.

h. e. anno ante Chriſtum 1557o & ante Menetem 3224 regnaſſe dixit[1].

Oſiridi Orus filius ſucceſſit, quem Apollinem Graeci dicunt[2], isque deorum tertii ordinis poſtremus fuit. Huius autem regni initium, Herodoto ſilente, ignotum.

Tandem Aegyptii grave ſacerdotum imperium repudiantes eorum iugum deiecere regemque poſtulavere. Menes rex primus electus, qui, uti ſupra iam diximus, luxu populum ſuum corrupit; quod, niſi populus iam tunc artes atque ſcientias, vitaeque civilis commoda cognoſſet, nullo modo fieri potuiſſet. Menete igitur rege conſtituto, ſtatui iam civili adſueti fuere Aegyptii, & ſtatum iſtum alium eſſe poſſe nullum, niſi ſacerdotale imperium, Larcherius iudicavit. Ingenioſa quidem haec *Larcherii* de Theocratia Aegyptiorum ſententia eſt, in eamque abire non dubitaremus, niſi nobis magis arrideret *Gattereriana* huius implicatiſſimi loci Herodotei explicatio, qui vir longe doctiſſimus octo priores Herodoti, & ſeptem Diodori Siculi Aegyptiorum Deos, Solem cum planetis ſignificare, quibus dies hebdomadales ſacri fuere, demonſtravit, duodecim ſecundi ordinis Deos de menſibus duodecimque ſignis zodiacalibus interpretatus eſt, & tertii ordinis Deos, a ſecundi ordinis diis progenitos, quorum e numero Oſiris & Iſis fuere, annum duodecim e menſibus compoſitum ſignificare oſtendit. Omnes



1) Herod. lib. 2 c. 144. 145.
2) ibid. c. 144.

nes igitur iſti Dii eorumque regna numquam exſtitere, ſed e male vel interpretatis vel intellectis aſtronomicis hieroglyphis originem ſuam duxere[1]. Nullum igitur neque in hiſtoria neque in chronologia locum habere poſſunt.

## §. 11.

### *De Menete ad Seſoſtrin.*

Menetis epocha primo quidem intuitu facile definiri poſſe videtur. A Menete enim ad Moeridem, inquit Herodotus[2]), 330 reges fuere, patrique ſemper filius ſucceſſit, & Moeridis mors, uti retulit Herodotus, fere nongentos ante ſuum adventum in Aegyptum annos accidit. Mortem ergo Moeridis in annum Julianum 3358, (2826 Job. Fr.) ante Chriſtum 1356 ponamus. Generationes 330, annos efficiunt 11000, h. e. 12356 annos ante Chriſtum, & 8373 ante orbem conditum ſecundum Petavii rationes, qui calculos Hebraeorum ſequutus, eſſe videtur.

Nil dicemus nunc de contradictionibus, quae inter Hebraeorum ſcriptores ſacros & Herodotum occurrunt, hae enim nobis, qui immenſam Aegyptiorum antiquitatem iure fabuloſam putamus, nullas quidem creare poſſunt difficultates; ſed argumenta, Hebraeorum e ſcriptis petita, Herodotum fortaſſis non convicerint, is enim Aegyptiorum ralationibus pro-

1) Gattereri Weltgeſchichte Goettingae 1785. Vol. I p. 213 &c.

2) Herod. lib. 2. c. 100.

procul dubio maiorem fidem tributurus fuerit. Nec nobis hoc loco propoſuimus, veram atque genuinam Aegyptiorum chronologiam explicandam, quod profecto nemo hominum poterit, ſed Herodoti noſtri computationes annorum illuſtrandi conſilium cepimus. Quod ipſum difficultatibus non caret, iisque maximis, ita ut ſaepe in coniecturis ſolis nobis erit acquieſcendum, quae tamen unam alteramve harum fortaſſis tollere poterint difficultatum.

Refert Herodotus cap. 100 a Menete ad Moeridem 330 reges & inter hos octodecim Aethiopes, reginamque Aegptiam Nitocrin fuiſſe. Refert idem cap. 142. a Menete ad Sethonem 341 generationes exſtitiſſe, totidemque fuiſſe reges & pontifices, quorum quidem 341 pontificum ligneos vidit coloſſos, uti cap 143 narravit, dixeruntque Aegyptii filium ſemper patris ſucceſſorem fuiſſe. A Seſoſtri ad Sethonem decem tantum reges regnaſſe certum eſt, quippe, qui Aegyptum expugnaverat, Aethiops numerari non poteſt, Anyſi rege inſulam Elbo tenente, & poſt Aethiopis receſſum regnum ſuum recipiente. Nos infra §. 12 oſtendemus in contexto Herodoteo poſt cap. 140 lacunam inveniri haud contemnendam, eamque ſeptem regibus eſſe explendam. Quod ſi probatur, ſeptemdecim reges, non decem, inter Seſoſtrin & Sethonem fuerunt, Sabaconem enim non numeramus.

In opinionem quidem adducebamur, e vero ſuo loco transpoſitos eſſe hoſce ſeptem reges, qui ſtatim poſt caput 140 locum habere debuiſſent, & erronee in caput 100 translocati

 eſſent.

eſſent. Hoc in errore dum verſabamur, ſeptem reges capite 100 omiſimus, legimusque *τριηκοσίων τε καὶ τριήκοντα ὀνόματα.* Sed poſtquam animadverteramus, Diodorum Siculum 470, & Julium Africanum plures 500 reges indigenas Aegyptiorum numeraſſe, regum inter Menetem & Seſoſtrin numerum apud Herodotum minime eſſe minuendum putavimus. Accedit, hanc emendationem arbitrariam fore, & talibus ſi uti vellemus, omnis rebus in vetuſtis tolleretur certitudo. Quare textum nunc Herodoteum intactum relinquendum putavimus.

Sed alia adhuc supereſt quaeſtio; reges hi, num una e progenie fuerint, patrique ſemper filius ſucceſſerit, vel regnum in lineas collaterales, uti vocantur, vel etiam gentem in aliam tranſierit? Hanc Herodotus capite 142 explicuit quaeſtionem, qui ſi generationibus iſtis 11340 annos tribuit, ſi de generationibus nec de ſucceſſionibus loquutum eſſe, clariſſime oſtendit. Patet hoc luculentius e capite ſequente, ibi enim his ſub regibus 341 totidem pontifices fuiſſe narrat, quorum filii ſemper patribus ſucceſſerunt. Quod quamquam in ſe quidem fieri potuiſſet, cum nullus ſit hominum, qui genus ſuum ab Adamo non ducat, ita ut filius ſemper ortus a patre ſit; genus tamen haud facile inveneris, in quo tam longum per tempus filii ſemper patribus ſuis ſucceſſerint, quam hoc in regio & pontificio genere Aegyptiorum accidiſſe traditur. Eoque magis adducimur ut credamus, non aliter in regio Aegyptiorum genere ac aliis in regiis generibus, tam vetuſtis quam recentioribus, fuiſſe, quod expreſſis

preſſis verbis tradidit Herodotus, inter reges illos 330, Aethiopes duodeviginti unamque reginam Aegyptiam, Nitocrin, extitiſſe.

Ordine igitur generationum undeviginti ſaltem regibus interrupto, non generationes ſed ſucceſſiones computandae ſunt, & cum terra Aegypti eiusque incolae magnas haud ſubiiſſe revolutiones videantur, hominumque aetatem ibi diuturnam fuiſſe certum ſit [1]; ſucceſſioni unicuique viginti annos iure tribui poſſe putamus, qua re 6600 anni efficiuntur; qui ſi 1356 annis addantur, quo ſcilicet anno mortuus eſt Moeris, in annum ante Chriſtum 7956 incidimus, & Menes hunc ſecundum computum 3973 annos ante orbem conditum, ex rationibus ſcilicet Petavianis, regnaſſet. Minus fortaſſis a veritate aberraremus, ſi annalium Aegyptiorum certitudinem affirmare vellemus, &, hanc ut defendere poſſimus, inter hos 330 reges immenſum generationum numerum, & paucas tantum ſucceſſiones fuiſſe contendamus, tunc enim 27 circiter anni unicuique tribuendi. Hanc ſecundum opinionem 330 illi reges 8910 annos regnaſſe videntur, Menetisque regni initium in annum 10266 ante Chriſtum, h. e. 6283 annum ante orbem conditum, ſecundum Petavii rationes caderet. Haec quidem coniectura ut plures ſcilicet generationes, paucas vero extitiſſe ſucceſſiones, & unicuique 27 annos tribuendos eſſe, ad veritatem proxima nobis accedere videtur. Sed cum Aethiopes illi reges belli iure

Ae-

1) Herod. lib. 2. c. 77.

Aegyptum tenuerunt, regum Aegyptiorum genus tempore ſervitutis Aethiopicae non exſtinctum eſſe, ſed perduraſſe videtur, Aegyptiique ſine dubio reges ſuos patrios, quamquam nulla in provincia tunc regnantes, in annalibus ſuis annotare haud omiſerunt. Et ex Herodoto, hoc ita ſe habuiſſe, certiſſimum eſt. Quamquam igitur pro altera explicatione plura poſſint proferri, tamen cum Herodoto putamus, Menetis regni initium in annum 11000 ante Seſoſtrin, h. e. 12360 annum ante Chriſtum cecidiſſe.

Maneros, filius Menetis, patri non ſucceſſit, diem enim vivo adhuc patre iam obierat. A populo tam adoratus, & memoria eius venerata eſt. Elegos in obitum eius cecinerunt, quos 11880 annos poſt eius mortem, Herodoto in Aegypto 1) peregrinante, canere nondum deſierant.

## §. 12.

*De Seſoſtri huiusque ſucceſſoribus ad usque Cambyſis everſionem regni veteris Aegyptiorum.*

Vix nongentos annos Moeridem mortuum fuiſſe, cum ipſe iter ſuum in Aegyptum ſuſciperet, Herodotus ſcripſit 2). Cadit hoc iter Herodoti in annum circiter 4254 Julianum, (3722 Job. Fr.) 460 ante Chriſtum, quo quidem tempore Herodotum annum aetatis circiter 24 egiſſe, veroſimile eſt, hac enim aetate maturus

1) Herod. lib. 2. c. 79.
2) ibid. c. 13.

rus iam eſſe potuit ad talia ineunda itinera. Natus erat anno 4230 Juliano, (3668 Job. Fr.) 484 ante Chriſtum, quod e loco quodam Auli Gellii patet [1]), qui Herodotum primo Peloponneſiaci anno annum aetatis 53 egiſſe retulit. Eſt autem primus huius belli annus, Julianus 4283, (3751 Job. Fr.) & 431 ante Chriſtum. Moeridis igitur mortem in annum circiter 896 ante iter Herodoteum ſi ponamus, inde regem hunc circa annum Julianum 3358 (2826 Job. Fr.) h. e. 1356 ante Chriſtum obiiſſe collegimus.

Hoc ipſo in anno Seſoſtrin [2]) habuit ſucceſſorem. Regni Seſoſtris durationem Herodotus non definivit. E Diodoro [3]) tamen, ſi fides ipſi habenda, eum 33 annos regnaſſe videmus. Marshamus [4]), Syncellum [5]) ſequutus, 48, alii 51 vel 55, Joſephus [6]) ſecundum Manethonem, 59 annos ipſi tribuit. In tanta varietate veritas haud facile eruetur. Medium igitur teneamus, & regi huic magno bellatori, qui multas in terras arma ſua victorioſa portaſſe dicitur, annos 44 regni tribuamus, diem igitur ſuum anno Juliano 3402, (2870 Job. Fr.) ante Chriſtum 1312 obiiſſe videtur.

Pheronem [7]) hoc eodem anno habuit ſucceſſorem, qui varie apud auctores veteres appella-

---

1) A. Gellius Noct. Att. lib. 15. c. 23.
2) Herod. 2. lib. c. 102.
3) Diodor. Sic. lib. 1. c. 53.
4) Chronic. Aegypt. p. 383.
5) Syncelli Chronogr. p. 59. Pariſ. 47. Venet.
6) contra Apion. lib. 1. §. 26. p. 460.
7) Herod. lib. 2. c. 111.

pellatur. Diodorus 1) eum patris nomine Seſoſtrin nominavit, Plinius Maior 2) Nuncoreum dixit. In Chronico Paſchali 3) Nachor, apud Manethonem 4) Lachares audit. Poſteriora tria nomina parum inter ſe differunt, & Diodoro Plinioque maximis in rebus, quae ad Seſoſtrin pertinent, cum Herodoto conſentientibus, de uno eodemque rege omnes ſcripſiſſe, dubium eſſe non poteſt. Nullus tamen horum regni eius annos definivit praeter Manethonem, qui eum octo annos regnaſſe refert. Buherius 5) tamen duodecim ipſi annos aſſignare voluit. Sed cum decem per annos viſu caruiſſe, uſuque oculorum reſtituto magnas res geſſiſſe dicitur, ad minimum duodeviginti annos regnum tenuiſſe Seſoſtrin hunc ſecundum putat Larcherius.

Proteus, uti Herodotus 6) refert, Pheroni ſucceſſit. Is ergo anno Juliano 3420, (2888 Job. Fr.) ante Chriſtum 1294 in thronum aſcendit. Huius regis in tempus Paridis cum Helena adventus in Aegyptum incidiſſe dicitur. Helena autem decem ante Troiae oppugnationem annos rapta, Troia decem per annos a Graecis oppugnata, urbsque iſta, uti infra de Troiae excidio capite probavimus, anno Juliano 3444 (2912 Job. Fr.) ante Chriſtum 1270 expugnata com-

1) Diodor. Sic. lib. 1. c. 59. p. 69.
2) Hiſt. Nat. lib. 36. c. 11. p. 737.
3) p. 48.
4) Syncelli Chronogr. p. 59. Pariſ. 47. Venet.
5) Bouhier Recherches & Diſſertat. ſur Herodote c. 7. p. 66.
6) Herod. lib. 2. c. 112 &c.

combuſtaque. Bellum igitur Troianum anno Iuliano 3434 (2902 Iob. Fr.) ante Chriſtum 1280 coeptum, Helenaque anno Iuliano 3424 (2892 Iob. Fr.) ante Chriſtum 1290 a Paride rapta eſt. Epochae hae cum Protei regno optime congruunt, eius tamen duratio incerta. Vecchietus [1]) 67 annorum regnum ipſi tribuit, nullis tamen rationibus, quare hoc fecerit, additis. *Larcherius* quinquaginta potius annos Proteum regnaſſe credit, qui numerus ſequentibus cum epochis melius convenit, quam nimis longum illud 67 annorum regnum. Diodorus Siculus [2]) Pheronem inter & Proteum permagnum regum numerum & turbulentum regni per quinque generationes ſtatum fuiſſe tradit, quam quidem opinionem ſupra §. 7 ſub examen vocavimus. Plinius Maior [3]) Rhampſinitum, Protei ſucceſſorem, excidii Troiani tempore regnaſſe ſcripſit. Herodotus hac de re nihil memoravit, & eius ex hiſtoriis id potius colligere poſſumus, eundem, qui Helenam raptori Paridi eripuerat, regem, Menelao ipſam reſtituiſſe. Diſſimulandum vero non eſt, *Euripidem* [4]) in tragoedia, quam *Helenam* inſcripſit, ſuppoſuiſſe, Proteo iam mortuo Menelaum in Aegyptum ad Helenam ſuam repetendam navigaſſe. Sed quales poetae ſibi ſumant libertates, hiſtoria oeconomiae fabularum ſuarum contraria, nemini ignotum eſt.

Rhamp-

1) de anno primitivo p. 201.
2) lib. 1. p. 54.
3) Hiſt. Nat. lib. 36. v. 8.
4) Eurip. Helena v. 4. & paſſim.

Rhampſinitus [1]) Protei fuit ſucceſſor anno Juliano 3470 (2938 Job. Fr.) ante Chriſtum 1244. Plinium, qui tempore Trojani excidii eum regnaſſe ſcripſit, erraſſe, ſupra iam oſtendimus. Regni eius durationem Herodotus ſilentio quidem praeteriit, ſed Manethon apud Joſephum [2]) regnum ipſi 66 annorum tribuit, nec cauſam ullam, cur annos hos deminuamus, videmus.

Cheops, qui teſte Herodoto [3]) eum in regno excepit, 50 annos regnavit, quo in numero Herodotus & Diodorus [4]) conſentiunt. Initium regnandi fecit anno Juliano 3536, (3003 Job. Fr. ante Chriſtum 1178. Bohetius [5]) inter Rhampſinitum & Cheopem ſeptem reges fuiſſe ſuſpicatus eſt, quorum nulla apud Herodotum mentio occurrit, & quibus hanc ſuam opinionem probare ſtuduit argumentis, nos infra videbimus.

Poſt hunc Chephren ſequutus, & 56 annos regnum adminiſtravit, uti tradunt Herodotus & Diodorus [6]). Regnare coepit anno Juliano 3586 (3054 Job. Fr.) ante Chriſtum 1128.

Chephrenes fratri ſucceſſit Cheopi, quod ideo vero ſimile videtur, quia filius Cheopis Mycerinus patre mortuo minorennis fuit. Sed Che-

1) Herod. lib 2. c. 121 &c.
2) contra Apion. lib. 1. §. 26. p. 460.
3) lib. 2. c. 126. 127.
4) Diodor. Sic. lib. 1. c. 63. p. 72.
5) Recherches & Diſſert. ſur Herodote c. 7. p. 67.
6) Herod. lib. 2. c. 127. Diod. Sic. lib. 1. c. 64. p. 73.

Chephrene mortuo ſceptra Mycerino reddita ſunt, de cuius regni duratione nil tradidit Herodotus. Sed cum regem hunc ſubditos ſuos felices florentesque reddidiſſe, pyramidem exſtruxiſſe, ad cuius aedificationem plures requiruntur anni, & poſtea ſex adhuc annos regnaſſe retulit [1]), regnum eius non infra viginti annos duraſſe videtur.

*Buherius* [2]) affirmare ſtuduit, regem hunc ſeptimo regni ſui anno mortuum eſſe, Herodotumque huius rei teſtem citavit, qui tamen ipſi aperte contradicit. Poſtquam enim varias huius regis res geſtas retulerat [3]), oraculum ex urbe Buto, quod vita ſex poſt annos ipſi finenda ſit, praedixiſſe addit. Apparere nobis clariſſime videtur hac ex Herodoti relatione, iam per annos aliquot principem hunc regnaſſe, quum Oraculo ex urbe Buto ſex tantum vitae annos ſibi ſupereſſe admoneretur, quod non animadverterat Buherius doctiſſimus.

Aſychis eius fuit ſucceſſor. Regni huius tempus ignotum, neque quidquam vel apud Herodotum vel alium apud auctorem, unde regni eius durationem definire poſſumus, legitur. Vecchietius [4]) eum ſeptuaginta annos regnaſſe contendit. Cum neque veſtibulum templi Vulcani neque pyramidem brevi tempore exſtruere

1) Herod. lib. 2. c. 129. 134.
2) Recherch. & Diſſert. Herod. chap. 7. p. 70.
3) Herod. lib. 2. c. 133.
4) de anno primitivo p. 219.

ſtruere potuerit, quae ipſi opera adſcribi ſolent, longum per tempus ſine dubio regnavit, ſed ad haec opera perficienda non opus eſt, ut 70 annos regni ipſi tribuamus, quare nos quidem cum Larcherio eum quadraginta per annos regnum tenuiſſe, putamus.

Anno Juliano 3702 (3170 Job. Fr.) ante Chriſtum 1012 regnare coepit Anyſis, rex coecus. Aethiopum rex, initio ſtatim regni Anyſis, Aegyptum occupavit, Anyſisque in inſulam Elbo, mediis in paludibus ſitam, confugit, ex qua poſt quinquaginta demum annos Aethiope in patriam ſuam reverſo ad regnum recuperandum egreſſus eſt. Herodotus hunc eventum pluribus verbis a cap. 137 ad 141. expoſuit, Aethiopemque regem Sabaconem appellavit.

Fuga Anyſis in inſulam Elbo circa annum Julianum 3703, (3171 Job. Fr.) ante Chriſtum 1011 facta videtur, & rex iſte ſi 50 annos hac in inſula manſit, eum inde exiiſſe anno Juliano 3753, (3221 Job. Fr.) ante Chriſtum 961 claſum eſt. Quodſi poſt recuperatum regnum ſuum ſeptem adhuc annos ipſi tribuamus, ut 58 annos in univerſum regnarit, mors eius in annum 3760 Julianum, (3228 Job. Fr.) 954 annum ante Chriſtum incidit, & Sethonem eo ipſo anno habuit ſucceſſorem.

Quod tamen ſecus ſe habere videtur. I. enim tradit Herodotus [1]), Sanacharibum a Sethone victum eſſe, probavitque *Larcherius* [2]) in diſpu-

1) lib. 2. c. 141.

2) Memoire lu à l'academie des belles lettres en 1783.

diſputatione ſua de epochis Aſſyriorum variis, hanc pugnam anno Juliano 4002, (3470 Job. Fr.) ante Chriſtum 712 accidiſſe. Per aliquod tempus quidem credidit *Larcherius*, regem hunc iam anno Juliano 3989, (3457 Job. Fr.) ante Chriſtum 725 regnaſſe, eumque Hoſeam, Samaritanum regem ultimum, ad foedus ſecum contra Aſſyrios ineundum per legatos ſollicitaſſe. Haec opinio, quam Desvignolius & Buherius [1]) defendunt, Larcherium initio a vero abduxit, ipſique eo magis arriſit, quod tale foedus cum Samaritano rege inire noluit Aegyptius, pacis enim ſtudio, cui deditus ſemper fuit, adverſabatur. Patet quoque ex Herodoto, regem hunc milites a ſe abalienaſſe, qui propterea, cum Sanacheribus poſtea bellum inferret Aegyptiis, dimicare noluerunt. Sed re penitius examinata Larcherius vidit, iſtum numerum cum Herodoti relationibus minime convenire, qui Sabaconem Pſammitichi patrem interfeciſſe tradidit. Pluribus infra hoc de argumento.

II. Seriem regum Aegypti, regnorumque durationem a Sethone ad Pſammenitum Herodotus accuratiſſime deſcripſit, qui numeri eo certiores nobis videntur, quia cum aliorum populorum hiſtoriis optime conveniunt. Sethon, quod infra demonſtrabitur, anno Juliano 4001 (3469 Job. Fr.) ante Chriſtum 713 regnare coepit. Sunt igitur a morte Anyſis anno 3760

 (3228

1) Desvignoles Chronologie de l'hiſt. ſainte lib. 4. c. 3. §. 3. T. 2. p. 127 &c. Boubier Recherches & Diſſert. ſur Herod. c. 7. p. 71.

(3228 Job. Fr.) ad Sethonis regni initium anno 4001 (3469 Job. Fr.) anni 241 elapſi.

Horum regum a Seſoſtri ad Anyſin regna, una cum regno Anyſis, quum annos 402 compleant, Sethonisque regni initium in annum Julianum 4001, (3469 Job. Fr.) ante Chriſtum 713 cadat; exinde, Sethonem ſi Anyſis ſucceſſorem proximum putamus, Seſoſtrin anno Juliano 3599 (3067 Job. Fr.) ante Chriſtum 1115 regnare coepiſſe, Moeridemque hoc eodem anno mortuum eſſe, colligitur. Quod tamen cum Herodoti narrationibus minime poterit conciliari, qui Moeridem vix nongentos ante ſuum adventum annos mortuum eſſe tradidit. Et Protei, qui Seſoſtrin non proxime excepit, regnum, cum Seſoſtris ipſe 67 annos poſterior Troiano fuit excidio, ſi vel maxime ſero hunc eventum ponamus, quomodo cum Troiano bello conciliare poterimus?

Regna quae Sethoni praeceſſerunt, ſi vel longiſſima putemus, intervallum tamen temporis huius inter initium regni, & Seſoſtrin, nullo poterimus modo explere. Patet igitur temporum ordinem hic eſſe confuſum. Herodotus noſter vel cum fide, quae a ſacerdotibus acceperat, retulit, vel hiſtorias, nullo veritatis reſpectu habito, ſecundum ſuas ipſius opiniones expoſuit. Quod primum ſi fecerit, fidusque fuerit ſacerdotum interpres, profecto, ut erat ſagaciſſimus, relationes ſacerdotum minime cohaerentes eſſe, animadvertiſſet, idque auctoribus ſuis ingenue oſtendiſſet. Sacerdotes dubia Graeci ſcrutatoris vel ſolviſſent vel hoc a ſe nullo modo fieri poſſe, non negaſſent. Herodotus

dotus ergo defectum hunc vel ſuſtuliſſet, vel lacunam ſuis in narrationibus lectoribus oſtendiſſet.

Si contra Herodotus male cum fide, quae acceperat, referre voluiſſet, nihil profecto facilius ipſi fuiſſet, quam, exemplo Diodori, plures, vel fictos reges inter Seſoſtrin & Sethonem collocare. Seculo iam Herodoti perdifficile fuiſſet eum fraudis & malae fidei convincere, & quis noſtro id umquam facere poſſet? Conſtat igitur, Herodotum, quae a ſacerdotibus acceperat, cum fide retuliſſe, nullumque horum in relationibus defectum animadvertiſſe. Qui, cum eius in contexto, qualem nos eum habemus, ſine dubio occurrat, librariorum negligentium, qui periodos plures deſcribendo omiſerunt, culpa is ortus eſſe videtur. Antequam vero lacunam hanc inveſtigamus, Diodorum, quae hoc de tempore is narrat, audiamus.

Siculus ille hiſtoricus [1]), minus felix in perſcrutanda Aegyptiorum antiquiſſima hiſtoria, quam fuerat Halicarnaſſenſis, inter Pheronem, quem, ſicuti patrem, Seſoſtrin appellat, & Proteum plures non modo reges incognitos, quorum neque numerum neque nomina addidit, ſed & Amaſin ſive Amoſin, Aethiopem Actiſanem, Mendeſium ſive Marrotem, turbulentumque regni ſtatum quinque per generationes durantem, inſeruit, qui Proteo rege conſtituto finem tandem habuit, cui Rhemphis filius, ab Herodoto Rhampſinitus dictus, ſucceſſit.

 Con-

1) Diodor. Sic. lib. 1. c. 60. & ſqq. p. 69. & ſqq.

Contextum Herodoti huic relationi Siculi hiſtorici, quae neque cum Herodotea neque alia cum chronologia conformari poteſt, aperte contradicit. Diodorus cum Eratoſthene & Apollodoro Troiam ſerius everſam putavit, quam Herodotus, Thucydides & vitae Homeri auctor tradiderunt; quare Pheronem inter & Proteum plures inſerere oportuit reges, ut Protei tempus cum Troianae urbis interitu, quem anno Juliano 3532, (3000 Job. Fr.) ante Chriſtum 1182 eveniſſe putavit, coaevum reddat.

Hanc igitur ob cauſſam [1]) Rhemphi, Protei filio, mortuo, regnum ad reges perveniſſe ſeptem ignavos tradit, quos Chemmis, (Herodoti Cheops) & hunc Chephrenes, Mycerinus & Bocchoris ſequuti ſint. Quo poſtremo per longum tempus iam mortuo, Sabacos Aegyptum ſibi ſubiecit, qui diuturnam poſt dominationem in Aethiopiam reverſus eſt, Aegyptiis regem ſibi eligendi poteſtate permiſſa. Reverſo in Aethiopiam Sabacone turbae exortae, quae binos annos perdurarunt, quibus elapſis duodecim principes Aegyptiorum gubernacula reipublicae ceperunt, & ſimul regnarunt. Quatuordecim reges, longumque temporis ſpatium, quod inter Bocchoris mortem & Sabbaconis dominationem in Aegyptios interceſſit, quod quidem tempus 74 annorum fuiſſe putat Larcherius, ſedecim generationes vel 533 annos continet. Duodecim principes, ut alio loco probabimus, ſine dubio anno Juliano 4043 (3511 Job.

1) Diod. Sic. lib. 1. c. 62 & ſqq. p. 71 & ſqq.

Job. Fr) ante Chriſtum 671 electi ſunt. Proteus igitur, ſecundum Diodori rationes, anno Juliano 3522, (2990 Job. Fr.) ante Chriſtum 1192 rex conſtitutus eſt. Helena quoque, ſecundum Diodori calculos, hoc regnante tempeſtatibus in Aegyptum delata, ab eoque Menelao reddita videtur. Sed Diodorum ſi ducem ſequamur, quo loco Sethon, qui δωδεκάρχας proxime dicitur anteceſſiſſe, & cuius tempus certiſſimum eſt, quod cum Herodoto Hebraeorumque libris optime congruit, erit inſerendus?

Larcherio igitur extra omne dubium poſitum eſſe videtur, Diodorum Aegyptios reges eorumque ſeriem non ſecundum tempora, quibus regnarant, ſucceſſionesque eorum ordinaſſe, ſed hoc eum ſibi propoſuiſſe, Proteum regem, quem plurimi hiſtoricorum Troiano bello coaevum fecere, aliquod tempus ante annum Julianum 3532, (3000 Job. Fr.) ante Chriſtum 1182, quo quidem anno, ſecundum rationes Eratoſthenis & Apollodori, quos ſequitur Siculus, Troia capta dicitur collocare. Longe aliter Herodotus, qui nullum ſyſtema ſibi feciſſe videtur. Retulit is cum fide, quae vel ipſe in Aegyptiorum legerat libris, vel a ſacerdotibus acceperat, alias enim ipſi, Moeridis & Seſoſtris regna vetuſtioribus temporibus aſſignare, & reges illos, quos inter Pheronem, & Proteum collocavit Diodorus, ſine Protei regni, quod facillime cum opinione ſua de Ilii excidio conveniens reddere potuiſſet, transpoſitione inſerere, facillimum fuiſſet.

Interim hoc non negandum eſt, nonnullos, quos Diodorus vel nominavit, vel ſine nominibus inſeruit, reges inter Seſoſtrin & Sethonem collocandos, lacunamque Herodoteo in contexto ineſſe, Seſoſtris epocha nota, qui Moeridis fuit ſucceſſor, cum Moeris circiter annos ante Herodoti adventum nongentos regnâſſe, diemque obiiſſe dicitur. Nota quoque Protei eſt epocha, cuius tempore Helena rapta, in Aegyptum tempeſtate delata, ibi a rege retenta, Troia oppugnata & expugnata, Menelaus domum rediens in Aegyptum delatus, ibi Helenam ſuam a Proteo rege poſt viginti circiter annos recepiſſe fertur. Inter Pheronem igitur & Proteum lacuna eſſe poteſt nulla, neque inter Proteum & Rhampſinitum, cum Herodotus [1]) expreſſis affirmarit verbis, ſibi, Rhampſinitum Proteum in regno excepiſſe, a ſacerdotibus relatum. Conſentiunt hoc in loco Halicarnaſſenſis & Siculus [2]), is enim Rhampſinitum hunc, quem Rhemphin nominavit, Protei filium appellavit. Lacuna quoque inter Rhampſinitum & Cheopem nulla eſſe poteſt, quamquam hoc Buherio [3]) viſum ſit, qui hos inter ſeptem ab Herodoto praeteritos regnaſſe reges putavit. Quam coniecturam ſuam his ex argumentis probare ſtuduit vir doctiſſimus: primum, inquit, apud Diodorum [4]) inter Rhampſinitum & Chemmin, quem

1) Herod. lib. 2. c. 121.
2) Diodor. Sic. lib. 1. c. 61. p. 71.
3) Rech. & Diſſ. ſur Herod. c. 7. p. 67.
4) lib. 1. c. 63. p. 72.

quem cum Rhodomanno & Weſſelingio eundem cum Herodoti Cheope putavit, ſeptem inveniuntur reges, quorum poſtremus, Nileus, ſolus appellatur, deinde Cheopem Rhampſiniti ſucceſſorem proximum ſi putare vellemus, non plures quam ſeptem generationes hunc inter & Pſammitichum fuiſſent, inter quos tamen reges, ſecundum Herodotum, circiter quinque ſecula elapſa ſint.

Ad primum quod attinet, nusquam Diodorum dicere, reſpondet Larcherius, ſe Aegyptiorum ſacra monumenta, doctosque horum interpretes de rebus antiquiſſimis conſuluiſſe, ideoque relationes eius eam haud mereri fidem, quam Herodoti merentur, qui[1]) ſacerdotes Aegyptios conſuluiſſe &, ut varietatem hiſtoriarum erueret. de rebus antiquis populi ſaepe cum iis colloquutum eſſe, affirmat, & Aegyptios ſibi nihil plane reticuiſſe, ſed omnia, quae cognoſcere cuperet, lubenter explicuiſſe, addit.

Deinde, ſeptem generationes haud ſufficere, ad lacunam Rhampſinitum inter & Pſammitichum explendam, ideoque Herodoteo e contexto aliquid excidiſſe, certum quidem eſt. Sed rationem nullam videmus, quare hoc loco lacunam ſupponamus, cum expreſſis dicat verbis Herodotus, Cheopem Rhampſinito proxime ſucceſſiſſe. En verba ipſa [2]): Μέχρι μὲν νυν Ῥαμψινίτε βασιλῆος, εἶναι ἐν Αἰγύπτῳ. πᾶσαν εὐνομίην

 ἔλεγον,

1) Herod. lib. 2. c. 3. 4. 99. 100 & paſſim.
2) ibid. c. 13.

ἔλεγον, καὶ εὐθηνέειν Αἴγυπτον μεγάλως· μετὰ δὲ τοῦτον, βασιλεύσαντά σφεων Χέοπα, ἐς πᾶσαν κακότητα ἐλάσαι h. e. ad Rhampſinitum usque regem floruiſſe dicitur Aegyptus omnibus in rebus, ſed Cheope poſt hunc regnante omnis everſa terrae felicitas eſt. — Cum auctor hoc loco florentem ſub Rhampſinito regni ſtatum & grave Cheopis regnum, quo felicitas omnis evanuit, invicem oppoſuit, exinde, verba μετὰ δὲ τοῦτον ad Rhampſinitum, non ad alium quam a librario ex errore praeteritum regem pertinere, clarum eſt. Lacuna quoque nulla neque inter Cheopem & Chephrenem, neque hunc inter & Mycerinum eſſe poteſt. Conſentiunt enim Herodotus [1]) & Diodorus [2]) quamquam prior Cheprenem Cheopis dicat fratrem, poſteriorque referat, ab aliis fratrem, ab aliis filium eius appellatum eſſe. Filium eum potius, nec fratrem fuiſſe, e diuturno regno duorum horum regum, Cheopis 50, & Chephrenis 56 annorum veroſimile videtur, ideoque & Buherius [3]) hanc in ſententiam ivit. At ſi Chephrenem Cheopi multo iuniorem fuiſſe ſtatuamus, Herodotique teſtimonium ipſorum Aegyptiorum ſacerdotum teſtimonium eſſe, clarum ſit, frater potius quam filius Larcherio fuiſſe videtur, & hoc eo magis, quod obſcuri tantum auctores quidam filium eum dixere.

My-

1) Herod. lib. 2. c. 127.
2) Diodor. lib. 1. c. 64. p. 78.
3) Recherches & Differt. ſur Herodote c. 7. p. 69.

Mycerinum porro inter & Aſychin lacuna eſſe poteſt nulla, haec enim verbis Herodoti contradiceret. *Μετὰ δὲ Μυκερίνον*, inquit [1]), *γενέσθαι Αἰγύπτου βασιλέα ἔλεγον οἱ ἱερέες Ἄσυχιν*. h. e. poſt Mycerinum ſacerdotes retulerunt, Aſychin regnaſſe. Omiſit quidem Aſychin Diodorus [2]), & Bocchorin Mycerino ſucceſſiſſe, dicere videtur, ſed minus definite ſe expreſſit, dicens: poſt reges ſupra nominatos regnavit Bocchoris. Ex his ejus verbis non certo demonſtrari poteſt, Bocchorin proximum eorum fuiſſe ſucceſſorem. Et alio quoque loco [3]) huic ipſe opinioni videtur contradixiſſe, ubi Tnephactum, Bocchoris patrem, regem fuiſſe contendit, cui & Plutarchus [4]) aſſentit opinioni. Patet igitur, Diodorum hunc regem vel conſilio vel negligentia h. l. omiſiſſe. Suſpicatus ergo Larcherius, Diodori Tnephactum, Herodoti Aſychin, illiusque Bocchorin, huius eſſe Anyſin.

Suſpicari poſſemus, lacunam iſtam poſt Aſychis regnum eſſe, ipſaque Herodoti verba innuere videntur, hoc loco eam eſſe quaerendam. *Μετὰ δὲ τοῦτον*, inquit [5]), *βασιλεῦσαι ἄνδρα τυφλὸν ἐξ Ἀνύσιος πόλιος, τῷ οὔνομα Ἄνυσιν εἶναι*. h. e. poſt hunc regnaſſe dicitur coecus vir ex urbe Anyſi, cui nomen Anyſis fuit. Dubium eſſe nequit voces *μετὰ δὲ τοῦτον* varie explicari poſſe, & ſi lacuna ſit hoc in loco, voces iſtas ad

---

1) Herod. lib. 2. c. 136.
2) lib. 1. c. 65. p. 75.
3) ibid. §. 45. p. 54.
4) de Iſide & Oſir. p. 354.
5) Herod. lib. 2. c. 137.

ad ultimum regem, de quo mentionem Herodotus fecerat, poſſe referri, cuius vero nomen & res geſtae negligentia librariorum e contexto Herodoteo exciderunt. Sed hoc in loco lacunam ortam eſſe Larcherio non videtur. Herodotus enim infra [1]), Anyſin hunc regni initio in inſulam Elbo confugiſſe, eamque inſulam ad Amyrtaci usque regnum, ſeptem per ſecula incognitam manſiſſe retulit. Aegyptii contra Perſas rebellantes [2]) Inarum regem conſtituerunt, cui Amyrtaeum regni ſocium adiunxerunt. Athenienſes, ipſis auxilio venientes, Perſas pluribus proeliis vicere [3]), ſed tandem coacti recedere, & Aegyptii ad obſequium reverterunt, Amyrtaeo tamen excepto [4]), qui in paludes, inſulamque Elbo confugit. Inarus a ſuis relictus Perſisque proditus eſt, qui eum in crucem tollere iuſſerunt. Bellum iſtud ſecundum Diodorum [5]) anno Juliano 4251 (3718 Job. Fr.) ante Chriſtum 463 ortum, finem habuit anno Juliano 4256, (3724 Job. Fr) ante Chriſtum 458 altero octogeſimae Olympiadis anno circa Junium menſem, brevi ante tertii anni initium. Animadvertendum enim eſt Metonis cyclum tunc temporis nondum fuiſſe cognitum, qui quidem in Olympiade 87, ante Chriſtum 432 inventus eſt, uti noſter *Rambachius* [6]) de Chronologia Graecorum

1) lib. 2. c. 137. 140.
2) Diod. Sic. lib. 11. c. 71. Thycyd. lib. 1. c. 110.
3) Diodor. Sic. lib. 11. c. 74 & ſqq.
4) Thucyd. lib. 1. c. 110. Diod. Sic. lib. 11. c. 77.
5) lib. 11. c. 71.
6) Archaeol. Graec. Vol. 3. p. 12.

rum probavit, ideoque anni civilis Athenienſium initium menſe Januario, olympici vero anni in ſolſtitio aeſtivo fuit. Diodorus interim finem huius belli in annum Julianum 4254 (3722 Job. Fr.) ante Chriſtum 460 poſuit. Rectius tamen Thucydides 1) ſex annorum durationem ipſi tribuit. Amyrtaeus igitur in inſulam Elbo confugit anno Juliano 4256 (3724 Job. Fr.) 458 ante Chriſtum. Et hoc a termino ſecula iſta ſeptem & amplius computanda ſunt, quae a fuga huius regis in inſulam Elbo ad Anyſis exitum ex ea praeterierunt. Si ergo 700 annos ſubducamus a 4256 annis, reſiduum annum indicat 3556 Julianum, (3024 Job. Fr.) qui in annum ante Chriſtum 1158 coincidit. At Cheops tunc regnum Aegypti tenebat! Si ponamus altero Anyſis anno id eveniſſe, quod neceſſario fieri debet, inter primum vel ſecundum huius regis, & poſtremum Protei annum 112 annos elapſos eſſe reperiemus; *poſtremum* ideo diximus Protei annum, quia Proteus rex, qui Menelaum e bello Troiano redeuntem recepit, eodem anno diem obire potuit ſuum. Sed tam brevi in temporis ſpatio qui fieri potuit, ut reges quinque, quorum, teſtibus Herodoto & Diodoro, unus 50 alter 56 per annos regnavit, Aegypti regnum tenuerint? Sine omni dubio, annorum, qui inter Anyſis receſſum in inſulam Elbo & Amyrtaei eandem in inſulam adventum praeterierunt, corrupti ſunt numeri. Si enim affirmare vellemus, inter Aſychin & Anyſin aliquot

---

1) Thucyd. lib. 1. §. 110.

aliquot excidiſſe reges, itidemque alios inter Anyſin & Sethonem; duas lacunas in textu Herodoti ex mero arbitrio fingeremus, & neceſſario temporis ſpatium quod inter Anyſis exitum ex inſulo Elbo, & Amyrtaei in eum ſeceſſum interceſſit, diminuendum foret. Accedit & hoc, quod Aſychis, ſi nempe recte coniecimus, & prior cum Tnephacto, poſterior cum Bocchori unus idemque fuit, tam apud Herodotum, quam apud Diodorum Anyſin habuit ſucceſſorem.

Quare ſine ulla dubitatione lacunam, quam Buherius initio capitis 124 ſuſpicatus fuerat, initio capitis 141 inveniri credit, Larcherius, cui eius opinioni verba Herodoti, *μετὰ δὲ τȣτων*, *poſt haec*, favere videntur. Nam auctor noſter, ſi poſt Anyſin ſeptem vel plures reges nominaſſet, eorumque facta in regno expoſuiſſet, poſt ſeptimum tandem eorum hiſce verbis ad ſequentia tranſitum facere potuiſſet.

De duratione regnorum plurimorum horum regum quamquam certi nihil affirmare poſſumus, & coniecturis contenti ſimus oportet, a veritate tamen haud multum aberraſſe videtur Larcherius, & licet duratio regnorum nonnullorum ex hiſce certo probare nequeat, nemo tamen contrarium umquam probabit. Anyſis regni gubernacula cepiſſe videtur circa annum Julianum 3702, 3170 Job. Fr.) ante Chriſtum 1072. In inſulam Elbo ſecundo iam regni ſui anno transfugit, e qua, poſtquam quinquaginta ibi moratus fuerat annos, iterum egreſſus eſt anno Juliano 3753, (3221 Job. Fr.) ante Chriſtum 961. Regno ſic recuperato aliquot annos adhuc regnavit,

quare

quare mortuum, eum anno Juliano 3760, (3228 Job. Fr.) ante Chriſtum 954 putamus. Sethos rex factus anno Juliano 4001, 3469 Job. Fr.) ante Chriſtum 713 uti mox videbimus, intervallum igitur 241 annorum hos inter reges apparet, quo quidem tempore, eorum regum, quos Diodorus appellavit, quidam regnaſſe videntur. Sed quid iis de regibus ſtatuendum eſt, quos Siculus hiſtoricus inter Pheronem ſive Seſoſtrin II, & Proteum, item inter Rhemphin ſive Rhampſinitum, & Chemmin nominavit? Larcherio quidem Menetem inter & Moeridem regnaſſe videntur, quorum ille quidem primus, hic poſtremus eſt regum 330, quorum mentionem Herodotus 1) fecit. Veroſimile ergo videtur, Diodorum poſt Seſoſtrin ideo tam multos collocaſſe reges, quia Danaum Seſoſtris fratrem putabat! eiusque ideo regnum Aegyptiacum cum Danai Argivi principatu coaeuum reddere conabatur. Hoc in intervallo 241 annorum, reges 7 ad minimum fuerint neceſſe eſt, qui librariorum incuria & negligentia e textu Herodoteo exciderunt.

Sunt autem & alii errores hac e negligentia orti. Sabacon enim Aethiops ille victor eſſe nequit, qui Anyſin in paludes confugere coëgit. Si enim poſt quinquaginta annorum regnum circa annum Julianum 3753, (3221 Job. Fr.) ante Chriſtum 961 ex Aegypto in Aethiopiam ſe receperit. Neconem, Pſammitichi patrem, profecto non potuit interficere, quod tamen

1) lib. 2. c. 100.

men de rege huius nominis narratur [1]). Si enim Sabaconem ultimo regni ſui anno, h. e. Juliano 3753, 3221 Job. Fr.) ante Chriſtum 961 hoc facinus patraſſe, & Pſammetichum tunc recens natum ſuſpicemur, exinde hunc anno aetatis 290 inter δωδεκάρχας cooptatum eſſe, ſequitur. — Quam abſonum atque abſurdum! Nullum igitur dubium eſſe poteſt, alium regem Aethiopem Anyſin e regno fugaſſe, qui, poſtquam ex Aegypto receſſus fuerat, Anyſis, relictis ſuis paludibus, in regnum rediit & gubernacula civitatis denuo recepit, quem mortuum plures in regno ſequuti ſunt reges Aegyptii, librariorum incuria omiſſi, quorum ſub ultimo Sabacon Aethiops Aegyptum bello aggreſſus, eam ſubegit, Neconemque circa poſtremum regni annorum Juliano ſcilicet 4000, (3468 Job Fr.) ante Chriſtum 714, interfecit. Pſammitichus, Neconis filius, eo tempore recens natus, vel primum adhuc vitae annum agens erat. Hunc in Syria [2]) ut Sabaconis effugeret crudelitatem amici abdiderant. Sabacone in patriam redeunte Sethos regnum adeptus eſt, qui annos quadraginta regnavit, & anno Juliano 4041, (3509 Job. Fr.) ante Chriſtum 673 obiit. Turbae nunc duorum annorum ſequutae, quae Dodecarcharum electione finitae ſunt, quorum e numero fuit Pſammitichus. Duodecim iſti principes per quindecim annos ſimul ad gubernacula ſederunt, quibus elapſis a Pſammeticho devicti, aucto-

1) Herod. lib. 2. c. 142.
2) ibid.

auctoritateque regia ſpoliati ſunt. Pſammitichus autem annos in univerſum 54, quindecim nempe cum reliquis undecim, & 39 ſolus regnavit. Dodecarchia haec initium habuit anno Juliano 4043 (3511 Job. Fr.) ante Chriſtum 671 Pſammitichus eo tempore annum agebat 43, qui cum anno Juliano 4097, (3565 Job. Fr) ante Chriſtum 617 vitam depoſuiſſe dicitur, 97 annos natus mortuus eſt. Aliam profecto nullam videmus rationem, quo modo contradictiones variae, in contexto Herodoteo, quale quidem nunc eſt, obviae, tolli poſſint, quam haec, quae iam expoſuimus, ſupponendo, nec e ſenectute Pſammitichi argumentum ad coniecturas noſtras refellendas peti poteſt, ea enim non ſine omni exemplo, & plures eo ſeniores exſtitiſſe homines, certiſſimum eſt.

Sed hi errores non omnes ſunt quos librarii admiſerunt. Herodotus enim ad finem capitis 140 inſulam Elbo, in quam Anyſis ſe receperat, per ſeptem ſecula regibus, huius ſucceſſoribus, ad Amyrtaeum usque, qui in eam confugerat, ignotam fuiſſe: *ἔτεα ἐπὶ πλέω ἢ ἑπτακόσια οὐκ οἷοί τε ἦσαν αὐτὴν (τὴν νῆσον) ἀνευρεῖν οἱ πρότεροι γενόμενοι βασιλῆες Ἀμυρταίου. Perizonius* [1]), quantum nos quidem ſcimus, primus vitium in textu Herodoti ſuſpicatus eſt, legendumque ἔτεα ἐπὶ πλέω ἢ τριακόσια coniecit, h. e. *per tria ſecula & amplius. Buberius* [2]) & *Weſſelingius* in adno-

---

1) Perizon. Orig. Aegypt. inveſtig. c. 11. p. 202.
2) libro ſaepe iam laud. c. 7. p. 70.

adnotationibus ad hunc locum coniecturam Perizonii probarunt. Doctiſſimorum horum trium virorum conſenſus dubium nullum de corruptela huius loci Horodótei relinquit. Ad annorum autem numerum quod attinet, quem viri iſti doctiſſimi ſubſtituendum iudicavere, is partim a tempore reditus Anyſis ex inſula Elbo in regnum, partim a tempore fugae Amyrtaei pendet, & vix opus eſt, ut lectores moneamus, hos annos, in primisque annum reditus Anyſis, ſecundum rationes temporum Aegyptiorum, quae doctis his triumviris placuerunt, definitum eſſe. Nobis conſtitutum eſt Herodotum ſequi, &, ſi uno alterove in regno coniecturis uſi ſumus, hoc nullam aliam ob cauſſam, niſi quod Herodotus noſter non omnibus regibus addiderat regni annos, factum eſt. Hoc ſolo in caſu coniiciendi libertatem nobis ſumſimus, nec ultra veriſimilitatem progredi ſumus auſi, ſed cum durationibus tantum regnorum ab Herodoto ipſo aliisque hiſtoricis definitis, noſtros concordes reddere laboravimus. A veritate igitur haud multum aberraſſe nos putamus, Anyſi e latebris ſuis anno Juliano 3753 (3221 Job. Fr.) ante Chriſtum 691 rediiſſe affirmantes. Ad annum quod attinet, quo Amyrtaeus hanc eandem in inſulam confugiſſe dicitur, Thucydidem & Diodorum ſequuti ſumus, ideoque, uti ſupra iam a nobis expoſitum eſt, Amyrtaeum anno Juliano 4256, (3724 Job. Fr.) ante Chriſtum 458 hunc petiiſſe receſſum affirmavimus. Sunt igitur inter Anyſis ex ea reditum & Amyrtaei in eam fugam 503 anni praeteriti. Praeterea, quod *Buberius* Aegyptiorum regum chrono-

nologiam arbitrarie ſatis compoſuit, quamquam Herodoti veſtigia ſequutus eſſe videri voluit, ad Amyrtaeum quoque quod attinet, is erravit, dum Syncelli[1]) ex auctoritate regem hunc ſub Dario Notho anno Juliano 4297 (3765 Job. Fr.) ante Chriſtum 417 vixſſe putavit. Buherium doctiſſimum, miratus eſt Larcherius, non animadvertiſſe, Syncelli, ſi graviſſimi ipſi auctores, qui uno eodemque tempore vixerunt, contradicant, nullius ponderis teſtimonium eſſe. Quare Larcherio Herodotum non ἑπτακόσια ſed πεντακόσια ſcripſiſſe, locumque corruptum ſic reſtituendum eſſe videtur: ἔτεα ἐπὶ πλέω ἢ πεντακόσια οὐκ οἷοί τε ἦσαν αὐτὴν ἀνευρεῖν οἱ πρότεροι γενόμενοι βασιλῆες Ἀμυρταίου, h. e. reges, qui Amyrtaeum in regno anteceſſerunt, eam quinque per ſecula reperire non potuere.

Conſentiunt hac in feliciſſima emendatione *Larcherius* & *Reizius*, cuius doctiſſima e recenſione Herodoti nos eam in *Lemgavienſem* editionem recepimus. Hac noſtra editione uſus erat Larcherius, quare nobis, quae *Reizio*, cuius recenſio ipſi manſit ignota, debebatur, coniecturam tribuit. Reizium rationes huius emendationis non addidiſſe cum Larcherio dolemus. & hoc eo magis, quia praematura morte in abſolvenda ſua recenſione Herodotea prohdolor! impeditus eſt.

Venimus nunc ad Sethonem. Regni huius initium quidem ignoramus, sed anno Juliano

 4041

1) Chronogr. p. 76. Pariſ. 61. Ven. Rech. & Diſſ. ſur Herod. c. 1. p. 6.

4041, (3509 Job. Fr.) ante Chriſtum 673 vivere eum deſiiſſe certum eſt[1]); & Senacharibum anno Juliano 4002, (3470 Job. Fr. ante Chriſtum 712 a Sethone hoc victum eſſe, *Larcherius* in diſputatione ſua de Aſſyriis, in Academia bonarum litterarum Pariſienſi habita, demonſtravit. A Sethonis igitur regni initio ſi 40 ipſi annos tribuamus, eumque anno Juliano 4001, (3469 Job. Fr.) ante Chriſtum 713 regnare coepiſſe ſtatuamus, haud multum aberraturi videmur. Hanc in opinionem nos adducit, quod Sabacon, qui Sethonem in regno proxime anteceſſit, Neconem, Pſammitichi patrem, interfeciſſe dicitur. Sethonis enim regnum ſi prius hoc anno collocemus, Pſammitichum ad eam, quam vix quisquam mortalium attigit, ſenectutem perveniſſe, ſtatuendum foret, quae etiam opinio argumentis deſtituta eſt omnibus.

Sethone mortuo, & cum eo regio genere exſtincto, Aegyptii libertatem ſuam priſtinam receperunt[2]), ſed regibus parere ſueti, alium denuo regem conſtituere decreverunt. Pluribus hanc ad dignitatem ſummam adſpirantibus, duodecim potentiſſimorum principum cauſſa praevaluit, quae auctoritate & divitiis ſibi invicem pares putabantur. Factio quoque nulla cedere volebat alteri, ſingulis pars populi adhaerebat, nullus alterius in gratiam a petitione deſiſtebat. Res igitur, niſi populus, bella civilia deteſtans, ſapien-

---

1) Regum Aegyptiorum ſeries hoc extra dubium ponit.

2) Herod. lib. 2. c. 147.

ſapientiorem iniiſſet rationem, omnesque hos duodecim pari cum poteſtate atque imperio dominos conſtituiſſet, armis fuiſſet decernenda. Dodecarchia tamen iſta prius conſtitui non potuit, quam ſingulis horum regnum petentium principum poſtquam perſuaſum fuerat, neminem eorum maximam populi partem in ſuam cauſſam umquàm conciliaturum nec ſibi ſoli regnum vindicaturum fore, Quare facile in Diodori ſententiam adducimur, qui ante hanc dodecarchiam per duos annos turbulentum Aegypti ſtatum fuiſſe tradit [1]). Variis enim profecto artibus opus fuit, antequam duodecim iſti principes unanimes redderentur.

Herodotus loco laudato, duodecim hos principes poſt Sethonis mortem ſtatim dominos conſtitutos eſſe, innuere videtur; cuius tamen opinioni, propter iam dicta, calculum noſtrum adiicere non poſſumus. Sed quoquo modo res ſe habuerit, duodecim hi principes, poſtquam regia ipſis poteſtas credita fuerat, Aegyptum inter ſe diviſerunt, & ut nullus alteri bellum inferret, alter alteri auxilio eſſet, convenerunt, foeduſque inter ſe ſanctiſſimum ad poteſtatem ipſorum ſtabiliendam ſanxerunt. At oraculum principem, qui e numero horum duodecim in Vulcani templo, aheneo e vaſe libaturus eſſet; univerſae Aegyptus regem dominumque futurum praedixerat. Dodecarchae dum ſacra quaedam ſimul celebrabant, ultimoque die feriarum



1) Diodor. Sic. lib. I. c. 66. p. 76.

Vulcano ſacrarum huius Dei in templo ſimul convenerant[1]), pontifex iis ad libandum more ſolito aurea vaſa porrexit. Cum undecim horum tantum invenirentur, Pſammitichus, cui vas aureum deeſſet, galeam de capite ſuo ſumſit, eaque ad libandum uſus eſt. Quod cum ceteris a regibus animadverteretur, hi oraculi iſtius memores ex eo cauſſam huius facti quaerebant, & caſu nec conſilio factum audientes, necare quidem Pſammitichum noluerunt, ſed in paludes tamen relegarunt. Pſammitichus in collegas iratus, vindictae quaeſivit occaſionem, eamque mox invenit.

Jones atque Cares [2]) praedae cupidi maris pererrabant, navibusque in Aegypto appellebant. Praedatores hos ſtipendio conduxit, horumque & Aegyptiorum, qui ſuis e partibus ſtabant, auxilio undecim collegas ſuos devicit, Aegyptumque ſibi omnem ſubiecit. Herodotus quidem annos durationis huius dodecarchiae non addidit, Diodorus [3]) autem quindecim annos eos ſimul regnaſſe retulit. Herodotus [4]) interim Pſammiticho 54 annorum regnum tribuit, quibus quindecim iſti anni, quos cum ceteris undecim ſimul regnavit, ſi ſubtrahas, eum 39 annos ſolum regnaſſe videbimus.

Necos

1) Herod. lib. 2. c. 151.

2) Ibid. c. 152. Diodor. Sic. lib. 1. c. 66. p. 76. 77. qui Arabes quoque addit, quos tamen cum nonnullis in codd. non inveniantur, ut ſpurios omiſimus.

3) lib. 1. c. 66. p. 76.

4) lib. 2. c. 157.

Necos filius Pſammiticho in regno ſucceſſit, qui mare internum cum rubro foſſa iungere tentavit [1]), quod quum perficere non poſſet, utroque in mari, interno atque rubro, naves aedificari iuſſit, quae maria iſta terrasque adiacentes inveſtigarent. Aſſyriis poſtea bellum intulit, qua in expeditione Judaeorum rex Joſias [2]) contra eum progreſſus praelium cum vita ſimul amiſit, quae pugna ad Mageddonem, ab Herodoto Magdolus appellatur locus, pugnata eſt. Magdoli oppidum hoc in Aegypto inferiori prope mare mediterraneum ſitum, in Antonini Itinerario [3]) Magdelos appellatur, duodecimque milliaria a Peluſio ſitum dicitur. At oppidum iſtud a Joſiae regno nimis longe abfuit, ut Joſiam ad hunc usque locum, qui ipſis Neconis in terris ſitus erat, quocum nullum habebat bellum, progreſſum eſſe, credere poſſimus. Vidimus autem Manaſſis [4]) in tribu, in confiniis Iſſacharis & Aſeris tribuum, oppidum ſitum fuiſſe, quo *Mageddo* vel *Megiddo* appellatur. Hoc ad viam, qua Neconi in Aſſyriam eundum erat, ſitum fuit, & prope hoc oppidum Joſias infeliciter contra Neconem pugnavit [5]). Herodotus, qui Judaeorum terras haud ſatis cognitas habuit, nominum propter ſimilitudinem [6]) Mageddonem



1) Herod. lib. 2. c. 158. 159.
2) 1. Regum c. 23. v. 29. 30. Herod. lib. 2. c. 159.
3) p. 171.
4) Judic. c. 1. v. 27. Joſua c. 17. v. 11.
5) 2. Regum cap. 23. v. 29.
6) Marshamus Chronic. Can. p. 531.

nem cum Magdola permutavit [1]). Neconi cum marium mediterranei & rubri coniunctio minus ſuccederet, Phoenicios [2]) naves aſcendere, & e mari rubro Africam circumnavigantes, per Herculenm fretum redire iuſſit. Quod cum melius ipſi coeptum ſucceſſiſſet, Phoenicii redeuntes plurima retulerunt, quae ſuo loco ſub examen vocabimus [3]). Omittimus iam cetera huius magni regis facta, & hoc ſolum addimus, regnum eius 16 annorum fuiſſe [4]).

Pſammin filium habuit ſucceſſorem, qui ſex annos regnavit [5]). Huic Apries, eius filius, ſucceſſit, & 25 regnavit [6]) annos. Diodorus Siculus [7]) inter Pſammitichum & Apriem quatuor numeravit generationes, cum tamen duo tantum reges, Necos & Pſammis, inter hos fuerint. More igitur Graecorum, qui extrema duo genera ſimul computare ſolent, uſus. Vix opus eſt ut moneamus, Diodorum Apriei 22 annos tantum adſcripſiſſe, cum ſupra iam fidem Herodoti graviorem eſſe demonſtravimus. Amaſis [8]), qui poſt hunc regnum uſurparat, 44 annos

1) Conferri merentur, quae Hennicius de Geographia Africae Herodotea, Goetting. 1788. p. 69. diſputavit.

2) Herod. lib. 4. c. 42.

3) Animadvertit *Degenius*; *Mannertum* in Geographia Graecorum Norimb. 1788. edita, p. 20. gravia contra hanc expeditionem dubia moviſſe.

4) Herod. lib. 2. c. 159.

5) ibid. c. 160.

6) ibid. c. 161.

7) lib. 1. c. 68. p. 78.

8) Herod. lib. 3. c. 10.

nos regnavit. Idem Julius Africanus apud Syncellum 4) tradidit. Contra hunc Cambyſes, Perſarum rex, arma ſumſit, ſed, antequam ad Aegyptum accederent Perſae, rex Amaſis mortuus eſt. Succeſſerat ipſi filius Pſammenitus, qui regnum poſt ſemeſtre amiſit. Cambyſes enim Aegyptum occupavit, & Perſarum imperio ſubiecit. Secundum Canonem Ptolemaei Cambyſes anno Nabonaſſareo 219, qui in annum Julianum 4185, (3653 Job. Fr.) ante Chriſtum 529 incidit, patri Cyro ſucceſſerat. Expeditionem Aegyptiacam anno tertio Olympiadis 63, circa Junium menſem, anni Juliani 4189, (3657 Job. Fr.) ante Chriſtum 525 ſuſcepit. *Gattererus* autem noſter expeditionem hanc anno ante Chriſtum 515, h. e Juliano 4199, (3667 Job. Fr.) factam eſſe, ſcripſit.

Elapſi igitur anni 145 cum dimidio ab initio Dodecarchiae ad Pſammeniti interitum. Quos ſi deducamus ab anno Juliano 4189, (3657 Job. Fr.) vel ante Chriſtum 525, quo Cambyſes Aegyptum Perſarum imperio ſubiecit, dodecarchiae initium in medium annum Julianum 4043, (3511 Job. Fr.) ante Chriſtum 671 incidit. Hoc igitur anno, vel, ſi cum Diodoro turbulentum poſt eius mortem ſtatum fuiſſe ponamus, duobus ante annis, Sethon mortuus eſt. Anno circiter 4001, (3469 Job. Fr.) Juliano, ante Chriſtum 713 regnare coeperat, ſequitur ergo, eum, ſi cum Diodoro anarchiam duorum annorum inter eius mortem & dodecarchiam fuiſſe ſtatuamus,



4) Syncelli Chronogr. p. 75. Pariſ. 60. Venet.

mus, quadraginta annos & aliquot menſes vel ſecundum Herodotum 42 annos & aliquot menſes regnum tenuiſſe.

Addidit tandem *Larcherius* doctiſſimus quasdam obiectiones, quae contra Herodoteam chronologiam Aegyptiacam proferri poſſint, quae & ipſi, opere ſuo iam ſub prelo ſudante, a doctis viris factae ſunt, easque refutare ſtuduit.

*Desvignolius* 1), vir haud vulgaris eruditionis, contendit, apud Hebraeos annos ſaepe dierum nomine appellari, & e ſimilitudine linguarum collegit, Chaldaeos errantes, quos *dies* dicere debuiſſent, *annos* appellaſſe. Idem de Aegyptiis, maiore cum iure, affirmavit. Suidas enim de his ſcripſit: οἱ μὲν γὰρ τὰς ἡμέρας ἐνιαυτὰς ἐψήφιζον. Vago igitur atque aequivoco hoc loquendi modo eos Graecis illuſiſſe putavit. Haec Desvignolii hac de re ſententia eſt.

Suidas autem non haec modo ſcripſit, ſed addidit 2) quoque, Solem, ſive Helium, Vulcani filium, 4477 dies regnaſſe, qui 12 annos 3 menſes & quinque dies efficiunt. Hoc non apud Suidam modo legitur, ſed & in Chronico Paſchali 3), ubi, loco quinque, quatuor tantum dies numerantur. Vitium enim translatoris latini, qui 5477 loco 4477 ſcripſit, tam apertum atque evidens eſt, ut verbo non egeat.

Opinio tamen haec antiquior Suida & Chronici

---

1) Desvignoles Chronol. de l'hiſt. ſainte l. 6. c. 4 p. 649.

2) Suidas ſ. v. Ἥλιος, T. 2. p. 55.

3) p. 45. D.

nici Paſchalis auctore videtur. Plutarchus 1) enim antea iam ſcripſerat, Aegyptiorum annum lunarem initio menſis tantum longitudinem & poſtea quatuor menſium habuiſſe. Quam ob cauſſam addit, Aegyptii, licet terram colant recentem, vetuſtiſſimi putantur, & in genealogiis ſuis immenſum ſemper annorum numerum habent, quia menſes, annos, nominarunt.

Hanc, ut opinatur Larcherius, a Judaeis ortam opinionem poſtea Chriſtiani, quia etiam Graecorum nonnulli idolorum cultores, receperunt. Tempore ſervitutis Aegyptiaci Judaei, ſervilibus operis oppreſſi, omnes negligebant ſcientias, nec tempus ſupererat iis Aegyptiorum antiquitatem perſcrutandi, nec, ſi ſuperfuiſſet, opiniones Aegyptiorum ponderare atque refellere ſciviſſent. Poſtquam vero populus Judaeorum regium ſibi conſtituerat imperium ſtatumque ſuum civilem fixerat, mercaturae ſtudium aliaeque ceteris cum Orientis populis, qui ſcientias iam adamare atque excolere inceperant, connexiones ipſos quoque ſcientiarum amore imbuerunt eorumque ſacris e libris quantos fecerint progreſſus, clariſſime elucet. His fortaſſis temporibus, cum Aegyptios eorumque hiſtorias iam penitius cognorant, Judaei ſuos, Aegyptiorum libris contradicere animadvertebant. De veritate ſuorum librorum ne minimum quidem dubium ipſis nec erat, nec ori debebat, quare omnes aliarum gentium annales, ut corruptos, condemnare oportuit, nam omne

---

1) in Numa p. 72. B.

omne eorum contextum atque argumentum, ut falſum fictumque, reiicere non audebant. Vera e falſis eruere artes & ſcientias poſtulabat ipſis ignotas, quare aliud excogitarunt remedium. Annos in dies alii commutarunt, in menſes alii, & qui antiquiores aliquanto putabant Aegyptios, annum quatuor menſium ipſis tribuerunt. Certo quidem affirmari hoc nequit. Sed quî alii populo Aegyptiorum tantam antiquitatem negare, intereſſe potuerit? Profecto nil intererat Aſſyriis, qui ſibi aequalem ſaltem cum Judaeis antiquitatem vindicabant, nec, Aegyptiorum annales perſcrutando, aliis exemplum praebere volebant, ipſorum libros ſimili ſtudio examinandi. Graeci quoque id minime curabant, num Aegyptiorum antiquitas in obſcuriſſimam vetuſtatem aſſurgeret. De mundi huius origine certi nihil ſciebant, plurimique inter eos ſapientes viri aeternitatem univerſi docebant. Aliter cum Judaeis res ſeſe habuit. His mundi origines eiusque creatio haud incognita, hi, quot ſecula orbis a primordiis ad ſua tempora iam praeterita fuerant, cognovere. Judaei igitur, quibus ſolis intererat, remedium hoc excogitarint oportet.

Graeci Judaeos poſt Alexandri Magni demum expeditiones cognitos habuere, hisque Judaeorum libros e ſola verſione Alexandrina, ſub Ptolemaeo Philadelpho facta, notos fuiſſe, affirmare non dubitamus. Poſt haec tandem tempora Judaei Alexandrini, quorum magna erat multitudo, Graecorum linguam addiſcere, eaque in libris ſuis uti coepere, nec a veritate multum aberrare putamus, ſi eos his demum tempori-
bus

bus Aegyptiorum annales ſuis conſentientes reddere ſtuduiſſe, coniiciamus, quamquam ſupra iam dixit Larcherius, hoc regum tempore a Judaeis iam factum videri. Sed quoquo modo haec res ſeſe habuerit, has Judaeorum explicationes Graecis vel non innotuiſſe putamus, vel ſi innotuerint, quia divinam Judaeorum librorum originem negabant, ideoque horum de Aegyptia antiquitate nullius ipſis momenti erat ſententia, non curabantur. Chriſtianorum vero cultu longe lateque conſtituto, docti quidam Chriſtianorum optimum hoc a Judaeis inventum remedium ad vetuſtam Aegyptiorum antiquitatem refellendam iudicarunt, eoque in libris ſuis uſi ad Graecos id propagarunt.

Judaei, ſi iam regum ſuorum temporibus in hiſtoria Aegyptiaca operam ſuam collocaſſent, ſanae criſeos ope atque auxilio ſine dubio in regna illa Deorum lumen inferre potuiſſent, & regum Aegyptiorum e ſerie plures ſine dubio fictos deleſſent, nec ad commutationem illam annorum in dies vel menſes confugere oportuiſſet. Syſtema hoc Aegyptiacae chronologiae, quod primo quidem intuitu peringenioſum videtur, & longaevitati Aegyptiorum immenſae fines ſuos praeſcribit, ſi recte & ſubtili cum iudicio examinatur, profecto abſurdum eſt. Menes enim primus Aegyptiorum rex 11000 annos ante Seſoſtrin regnum fundaſſe, & ad Seſoſtrin usque 330 ſucceſſores habuiſſe dicitur. Si vero 11000 illos annos in dies comminuemus, ſinguli horum 330 regum 33 tantum dies regnaſſe dicerentur, & ſi annorum loco menſes ponamus, ſingulis regibus duo anni & novem menſes ad

ſcri-

ſcriberentur; quod quis credere poteſt? Accedit, quod opinio iſta a nemine adhuc probata eſt, nec probari poteſt, quod tamen iure requiritur. Macrobius quoque, vir inter antiquos profundae eruditionis atque doctrinae, opinioni huic expreſſis verbis contradixit: *Anni*, inquit [1], *certus modus apud ſolos ſemper Aegyptios fuit.*

Herodotus ſine dubio fidem noſtram omnibus meretur in rebus, quas vel oculis ſuis ipſe contemplatus eſt, vel a fide dignis auctoribus accepit. Huic nemo profecto, qui patrem hiſtoriarum cum iudicio legit, & de fide hiſtorica recte iudicare poteſt, contradiceret. In rebus tamen Aegyptiacis ſacerdotes, & monumentorum veterum interpretes, a quibus multa accepiſſe affirmavit, fide minime dignos *fuiſſe* auctores, *Meinerſius* [2]) noſter extra dubium poſuit. Pro reliquis narrationibus fidem ſuam Herodotus numquam interpoſuit ſemperque addidit: *retulerunt*. Ex his pars quaedam vero non abſimilis, pars veritati contraria videtur. Illas credere, has reiicere licet. Aegyptiorum annales, ſi orbem vel aeternum, vel multo antiquiorem, quam Hebraei tradidere, ſtatuamus, ad veritatem aliquanto propius accedere videntur, ſed omnis eorum veritas, Hebraeis ſi fidem habeamus libris, ſtatim corruit. His fidem habendam eſſe, *Larcherius*, ob divinam eorum originem, ſtatuit.

*Dege-*

---

1) Macrob. Saturnal. lib. 1. c. 12. p. 169.
2) libro ſupra laud. c. 5 & 7.

*Degenius* hunc ad locum annotavit, Aegyptiorum annales, e quibus hauſit Herodotus, a ſacerdotibus ſibi fictos videri, & quos ſeriores Graeci exhauſiſſe dicuntur, ab his ipſis eſſe fictos. Nec quidquam, addit, ex eo lucrari hiſtoriae ſtudium, ſi Herodoto fidem tribuamus, cuius relationes, Moſaicis contradicentes, confuſionem rerum potius augeant quam minuant, cum ad Moſen, ſi res Aegyptiorum illuſtrare velimus, ſemper ſit recurrendum. Menetis quoque epocham ſi ſecundum Herodotum figere vellemus, ceterorum tamen regum epochas neminem demonſtrare atque probare poſſe. Menetis enim, Seſoſtris, Pheronis, Protei, Rhampſiniti, Mycerini, Aſychis, Anyſis, & reliquorum regnorum durationes, quas Herodotus non annotavit, ignotae, is enim Cheopis tantum & Chephrenis regnis & deinde Pſammitichi ad Pſammenitum usque, addidit annos, quorum tempore clarior Aegyptiorum redditur hiſtoria. Epochas quidem regum a Menete ad Amoſin *Larcherius* e Syncello, Manethone, & Diodoro ſumſit, ſed quomodo hoc cum eius his de auctoribus iudiciis, & cum eorum differentia ab Herodoteis narrationibus conciliandum ſit, non vidit *Degenius*, ideoque ſummam hanc omnis ſuper Aegyptiorum Chronologia diſputationis hanc eſſe, inquit, Chronologiam omnem ante Pſammitichum incertam eſſe, quem ante Chriſtum 650 regnaſſe, certum ſit. Haec *Degenius*.

Nos quidem ingenue fatemur, neminem umquam in antiquitate peritiſſimum omnes difficulta-

ficultates & contradictiones e chronologia Aegyptiorum antiquiori ſublaturum. Nodi Gordii ſemper remanebunt, quos niſi Macedonis modo audaci nemo ſolvere poterit. Non negamus, ſacerdotes bono Herodoto falſa interdum pro veris venditaſſe, monumentorumque veterum interpretes monumenta ipſa minus recte intellexiſſe, ideoque falſe interpretatos eſſe. Attamen ſi Herodoti relationes ſtudioſe perveſtigemus, easque cum Hebraicis, quae non ſolum ob divinam ſuam originem, de qua in utramque partem poſſet diſputari, ſed ob antiquitatem profundam, Moſisque eruditionem Aegyptiacam haud vulgarem, ob Hebraeorum cum Pharaonibus commercium, fide digniſſimae ſunt, conferamus, non omnem fidem ipſis abrogandam eſſe & bonis quoque e fontibus patrem hiſtoriam hauſiſſe putemus, de quo ſuis locis noſtris in commentariis diſputabimus. Hoc tantum hoc loco monemus, neminem in antiquiſſimam Aegyptiorum hiſtoriam ſtudioſius accuratiusque inveſtigaſſe, feliciusque illam explicuiſſe, noſtro quidem iudicio videri, viro incomparabili illo, qui maiori iure quam Halicarnaſſenſis noſter, *pater hiſtoriarum* dici meretur, *Gatterero*, ad cuius doctiſſimum de orbis hiſtoria opus lectores brevitatis cauſſa ablegamus.

§. 15.

## §. 13.

### *Chronologia regum Aegypti ex Herodoto breviter deſcripta.*

| | Period. Jobel. | Period. Julian. | Anni ante Chriſtum. |
|---|---|---|---|
| Theocratia in Aegypto conſtituta. | | | |
| Pontifices octo vetuſtiſſimorum Deorum regnarunt, ſed horum imperii initium ignotum. | | | |
| Pontifices duodecim alterius ordinis Deorum regnum uſurparunt, & regnare coepiſſe dicuntur circa annum | | | 17570 |
| Pontifices Deorum tertii ordinis hos ſequuti ſunt, Oſiridis Pontifex regnavit circa annum - | | | 15570 |
| Ori Pontifex hos regno privavit tempore ignoto. Menes primus Aegypti rex, ſecundum Eratoſthenem, 62 annos regnavit. Syncelli Chronogr. p. 91. Pariſ. 73. Venet. - | | | 12356 |
| CCCXXIX Reges, quorum Moeris fuit ultimus, regnare coeperunt circa annum - | | | 12294 |
| Moeris 68 annos. *Vecchieti* - | 2758 | 3290 | 1424 |
| Seſoſtris 44 annos - | 2826 | 3358 | 1356 |
| Pherox 18 annos - | 2870 | 3402 | 1312 |
| Proteus 50 annos - | 2888 | 3420 | 1294 |
| Rhampſinitus 66 annos. *Manetho* | 2938 | 3470 | 1244 |
| Cheops 50 annos. *Herodotus* - | 3004 | 3536 | 1178 |
| Chephrenes 56 annos. *Herodotus* - | 3054 | 3586 | 1128 |
| Mycerinus 20 annos - | 3110 | 3642 | 1072 |
| Aſychis 40 annos - | 3130 | 3662 | 1052 |
| Anyſis 58 annos - - | 3170 | 3702 | 1012 |
| – in inſulam Elbo confugit - } Aethiops rex Aegyptum expugnavit eique imperavit 50 annos - | 3171 | 3703 | 1011 |

H Any-

| | Period. Jobel. | Period. Jul. | Anni ante Chriſtum |
|---|---|---|---|
| Anyſis poſt Aethiopis reditum ex inſula Elbo in regnum ſuum rediit. *Herodotus* - | 3221 | 3753 | 961 |
| Anyſis poſt 7 annos obiit circa annum - | 3228 | 3760 | 954 |
| Intervallum 241 annorum, quo tempore Sabacos Athiops Aegyptum ſubegit, in eaque regnavit 50 annos | 3419 | 3951 | 763 |
| Sethon regnavit 40 annos - | 3469 | 4001 | 713 |
| — Aſſyrios vincit - | 3470 | 4002 | 712 |
| Anarchia duorum annorum. *Diodor.* | 3509 | 4043 | 671 |
| Dodecarchia, Pſammitichus inter duodecim duravit annos 18. *Diodor.* | 3511 | 4043 | 671 |
| Pſammitichus ſolus 39 annos regnavit, in univerſum annos 54. *Herodot.* | 3526 | 4058 | 656 |
| Necos 16 annos. *Herodot.* - | 3565 | 4097 | 617 |
| Pſammis 6 annos. *Herodot.* - | 3581 | 4113 | 601 |
| Apries 25 annos. *Herodot.* - | 3587 | 4119 | 595 |
| Amaſis 44 annos. *Herodot.* - | 3612 | 4144 | 570 |
| Pſammenitus 6 menſes. *Herod.* } Kambyſes Aegyptum expugnat } - | 3657 | 4189 | 525 |
| Amyrtaeus in inſulam Elbo confugit | 3724 | 4256 | 458 |
| Intervallum inter Anyſis reditum e latebris ſuis Elbenſibus, & Amyrtaei in hunc receſſum — annorum 503. | | | |

Cap. II.

# Caput II.

## *Tyri urbis fundatio.*

Joſephus de antiquitate Judaica[1]) Tyriorum urbem 240 annos ante Salomonis templum, h. e. anno Juliano 3462, (2930 Job. Fr.) ante Chriſtum 1252 fundatam eſſe tradidit; quam eius ſententiam Euſebius[2]) magnaque pars chronologorum recentium, ut Petavius, Marshamus, alii, probarunt, qui in eo tantum, quod templi Salomonei exſtructionem diverſum in annum collocarunt, inter ſe diſſerunt. Euſebius tamen de Tyri hoc anno fundatione haud convictus eſſe videtur, quippe qui alio loco[3]) Phoenicem & Cadmum, poſt Thebas Aegyptiacas relictas, anno poſt Abrahamum natum 562, qui in Julianum 3159, (2626 Job. Fr.) ante Chriſtum 1555 incidit, Tyriorum & Sidoniorum reges nominavit. Tyrus igitur tunc temporis iam condita fuerat, quae & Herodoti[4]) ſententia eſt, qui Graecos praedatores, qui Europam rapuerant, ad Tyriorum urbem appuliſſe, expreſſis verbis tradidit. Europam autem anno Juliano 3162, (2623 Job. Fr.) ante Chriſtum 1552 raptam putat Larcherius, qui hoc dum ſtatuit ab Euſebio, ad Cadmi in Tyriorum urbe vitam quod attinet, non recedere videtur.



1) lib. 8. c. 3. §. 1. p. 422.
2) Chron. pars poſter. p. 88.
3) Chron. pars poſter. p. 72.
4) lib. 1. c. 2.

Omnes veterum & recentiorum de Tyri urbis fundatione, ſi hoc loco explicare vellemus opiniones, nimis longum hoc caput eſſet extendendum, & cur in refellendis opinionibus operam noſtram tempusque perdamus, quarum manifeſta eſt falſitas atque indubitata? Herodoti, antiquiſſimi doctiſſimique, & veritatis ſtudioſiſſimi auctoris, ſententiae accedere placuit, cuius tamen probationem minime recipit Larcherius, cum Hebraeorum de diluvio univerſali traditionibus aperte contradicat. Herodotus enim, ſi Tyrum in Phoeniciam, inquit [r]), navigaſſe, ubi ſplendidum atque magnificum Tyrii Herculis templum vidit, de quo ipſi ſacerdotes retulerunt, eiusdem atque urbem ipſam vetuſtatis eſſe, quam ante 2300 annos fundatam contendebant.

Incidit autem iter Herodoteum in annum circiter Julianum 4254, (3722 Job. Fr.) ante Chriſtum 460. Tyrus igitur anno Juliano 1954, (1421 Job. Fr.) ante Chriſtum 2760, hoc eſt 432 annos ante diluvium Noachidicum ſecundum Petavianas rationes, condita diceretur.

Perſcrutationes rerum naturalium, quae noſtris temporibus doctiſſimis viris plura antea abſcondita revelarunt, patris hiſtoriarum de antiquitate populorum opiniones plures confirmare videntur. Satius tamen duxit Larcherius Hebraeis credere, & Herodoteam de Tyri fundatione ſententiam ſi probare videatur, nil niſi hoc affirmare voluit, nullam cur Herodoti ſen-

r) lib. 2. c. 44.

ſententiae contradicamus, eſſe rationem eamque, niſi Hebraeorum libris contradicat, veram eſſe habendam.

Diluvium Noachidicum, non univerſum terrarum orbem, ſed partem tantum, inundaſſe extra dubium nobis poſitum videtur. Nullum igitur ex hoc contra Tyriorum antiquitatem dubium peti poſſe putamus. E Joſuae autem libro Tyrum, circa annum Jobeleum Frankianum 2744, qui in Julianum 3277 incidit, portum tantum ſine urbe fuiſſe caſtello munitum, patet; urbisque fundatio a *Gatterero* in annum Jobeleum Frankianum 2938, h. e. Julianum 3471 ponitur, quae computatio ab Herodotea 1517 annos abit, veriorque ſine dubio habenda.

# Caput. III.

## *De regibus Aſſyriorum.*

Herodotus noſter, cuius nobis explicationem propoſuimus, cum de rebus Aſſyriorum eorumque regibus pauca tantum operi ſuo inſeruit, nos quoque de regibus Aſſyriis hic pauci eſſe & labori ingrato, qui non plagulas ſed volumen requireret, iam poſſumus ſuperſedere.

Aſſyrii, inquit [1]), Aſiam ſuperiorem per 520 tenuerant annos, cum Medi contra eos rebellarent, ipſisque ſuperioris Aſiae dominatio-

 nem

1) Herod. lib. 1. c. 95.

nem eriperent. Incidit, ut infra capite ſequenti de regibus Medorum probabimus, hic eventus in annum Julianum 3967, (3435 Job. Fr.) ante Chriſtum 747 & id ſub rege effeminato, quem Sardanapalum omnes dicere ſolent, factum narratur. Unum ſolum ſic dictum regem fuiſſe, alio loco probavit Larcherius [1]. Omnes igitur auctores antiqui Aſſyriorum regni everſionem hoc tempore factam conſentiunt. Judaeorum tamen hiſtorias ipſumque Herodotum [2]) contra hanc opinionem obiici poſſet, ſic de Aſſyriorum regno loqui, quaſi poſt hoc tempus adhuc floruerit. Concedamus. Amiſerat autem poſt Medorum & Babyloniorum defectionem Aſſyriorum imperium priſtinam ſuam dignitatem atque ſplendorem & ex eius ruinis nova condita imperia ſurgant, quorum ſplendor omnes tunc orientis populos terreret. Et hoc imperium, ſi tunc non plane everſum fuerit, omnes tamen in eo conveniunt ſcriptores, id, quia magnas res gerere deſierat, quaſi finitum conſiderare. Herodotus [3]) noſter 520 annorum durationem ipſi tribuit, coepiſſe igitur anno Juliano 3447, (2915 Job. Fr.) ante Chriſtum 1267 putavit. Ceteri, qui de huius imperii origine tradidere auctores, longe maiorem ei aſſignarunt durationem. Cteſias 4) v. c. 1360, Diodorus

1) in Diſſertatione de epochis quibusdam Aſſyriorum, in bonarum litterarum academia Pariſienſi 1782 habita.

2) lib. 1. c. 103. 106. lib. 2. c. 141.

3) lib. 1. c 95.

4) Diodor. Sic. lib. 2. c. 21. p. 135.

dorus [1]) cum Aemilia Sura [2]) 1310. Caſtor [3]) 1250, & Velleius Paterculus [4]) 1070 annos.

Tanta in opinionum varietate nemo profecto veram huius regni durationem definire poterit. Vix tamen perſuadere nobis poſſumus, Herodotum annos tantum 520 huic imperio tribuiſſe, & verbis patris hiſtoriarum accuratius examinatis, is de florente tantum rerum Aſſyriacarum ſtatu loquutus eſſe videtur. Idem placuit quoque *Buherio* [5]). Nec aliter enim cum regnis quam cum hominibus comparatum eſt, pueritiam & ſuam iuventutem, virilem aetatem atque ſenectutem, eamque etiam decrepitam habent. Videtur igitur, ſi Aſſyriorum imperio 520 annorum durationem tribuit Herodotus, per quod tempus ſuperioris Aſiae domini fuerint, de flore tantum dominationis Aſſyriacae loquutus eſſe, annosque ante hunc elapſos neglexiſſe. Herodotus ſi, quod promiſerat [6]), de rebus Aſſyriorum opus perfeciſſet, vel ſi nobis hoc eius opus, ſi perfecerit, ſupereſſet, coniecturis ſuperſedere poſſimus, ex eo enim originem huius imperii cognoſcere, deque fide & auctoritate Herodoti diiudicare poſſemus, quaecumque dictorum quatuor epocharum ipſi

 pla-

1) ibid. c. 28. p. 142.
2) Vellej. Paterc. lib. 1. c. 6. p. 25.
3) Syncelli Chronogr. p. 205. 206. Pariſ. 163. 164. Venet.
4) Vellej. Paterc. lib. 1. c. 6. p. 22.
5) Rech. & Diſſ. ſur Herod. c. 2. p. 16.
6) lib. 1. c. 106. 184.

placuerit. Cum autem opus iſtud vel numquam ab eo perfectum, vel tamen perditum eſt, in canone chronologico epochas iſtas quatuor omnes collocavimus, quia nullam ceteris veriorem neque demonſtrari atque evinci poteſt. Si tamen unam ex iis ceteris praeferre oporteat, Velleio Paterculo accedere mallet Larcherius, is enim Sardanapalum 1) ait 33 regem a Nino fuiſſe, & ſecundum generationum regulas reges iſti 1100 annos regnarint oportet. Velleius autem 1070 annos ipſis tribuit, qui ad illum proxime accedens numerus fidem dictis ſuis conciliare poteſt. Ait porro Diodorus 2), a Ninya ad Sardanapalum reges Aſſyriorum per generationes 33 fuiſſe, & filiam ſemper patri ſucceſſiſſe. In generationum igitur numero cum Velleio conſentit & in duratione tantum regni huius, quam 240 annos longiorem facit, ab eo recedit. Veroſimile nobis igitur videtur, eum, cum Velleio in generationum numero adſentiat, in regni quoque duratione cum eo conſenſiſſe & huic 1100 annos circiter tribuere voluiſſe. Accedit Velleium & cum Cteſia magis convenire quam primo intuitu appareat. Canon enim Julii Africani, qui ſecundum Cteſianas rationes compoſitus eſt, uti Syncellus eum nobis ſervavit, 40 habet reges, apud Euſebium vero tantum 36. Syncellum Euſebio obieciſſe, quod conſilio 4 reges omiſerit, nobis non eſt ignotum. Sed quid reſpondeamus Cephalioni 3) haud vulgari tem-

1) loco laud.
2) lib. 2. c. 21. p. 135.
3) Syncelli Chronogr. p. 167. C. Pariſ. 133. Venet.

temporum ſcrutatori, qui Cteſiam 23 tantum reges numeraſſe affirmat? Aperte quidem numerus iſte corruptus, ſed tamen non uterque, e quibus compoſitus eſt. Videtur ergo primus ſolum corruptus, & loco 23 legendum eſſe 33. Emendatio iſta minime arbitraria, ſed in Diodori, qui Cteſiae veſtigia ſequi videtur, fundata. Ceteri, is ait[1]), reges Ninyae ſucceſſores, in huius vitam inciderunt, & ad usque Sardanapalum per triginta generationes filius patri ſemper ſucceſſit. Cteſias igitur 33 tantum numeravit generationes, a Nino enim ad Ninyam tres fuere. Velleii ergo rationes, in certo generationum numero fundatae, certiſſimae rectiſſimaeque videntur, & Cteſiae Diodorique numeros ex his cenſemus emendandos. Nino annus Julianus 2897, (2364 Job. Fr.) ante Chriſtum 1817 aſſignandus eſt Series ſucceſſorum eius minuenda, & Sardanapalus, quo regnante Medi & Babylonii rebellarunt, in annum circiter Julianum 3949, (3417 Job. Fr.) ante Chriſtum 765 collocandus. Fuit is, ut putat *Larcherius*, primus Aſſyriorum rex, qui Iſraelitarum bellum intulit regibus, & octavo Menahemi, Samaritani regis, anno, h. e. 3951, (3419 Job. Fr.) Juliano & 763 ante Chriſtum Samaritanorum regnum vaſtavit[2]). Medi iugum Aſſyriacum de colle deiecerunt anno Juliano 3966, (3434 Job. Fr.) ante Chriſtum 748, quorum exemplum Babylonii ſequenti anno ſequuti, & belli ſocii

 Sar-

1) Diodor. lib. 2. c. 21. p. 135.
2) 2 Regum c. 15. v. 19.

Sardanapalum in urbe ſua Ninive oppugnarunt, qui ad extrema perductus ſe ipſum cum regia & divitiis combuſſit. Medi atque Babylonii, libertatem recuperaſſe contenti, in patriam rediere, Thelgathi Phal Naſaro, Sardanapali ſucceſſori, tributo impoſito. Qui poſtquam in terris Aſſyriacis, quae in fide manſerant atque obſequio, reſtituerat quietem, Judaeorum regi Achaſo bellum intulit. Expeditio haec circa annum [1]) Achaſi duodecimum ſuſcepta, ideoque Julianum in annum 3985, (3453 Job. Fr) ante Chriſtum 729 referenda. Annus, quo obiit Thelgath Phal Naſar, ignotus, quare primus Salmanaſaris annus definiri nequit. Certum tamen eſt, Salmanaſarem hunc anno Juliano 3987, (3455 Job Fr.) ante Chriſtum 727 Samaritanum regem Hoſeam ad tributum ſolvendum coepiſſe [2]). Hoſea vero brevi tempore tributum denegante, arma recepit Salmaneſar, Samariam urbem anne Juliano 3990, (3458 Job. Fr.) ante Chriſtum 724 oppugnavit [3]), eaque tertio oppugnationis anno expugnata atque everſa, anno Juliano 3993, (3461 Job. Fr.) ante Chriſtum 721 incolas eius cum omnibus Iſraelitis, qui ſub Hoſeae fuerant ditione, in Aſſyriam abduxit. Succeſſit ipſi mortuo Sanheribus, is intulit arma Judeae, ducem copiarum Hieroſolymam [4]) ire iuſſit, ipſe anno Juliano

1) 2 Chronic. cap. 28. v. 20.
2) 2 Regum cap. 17. v. 3.
3) ibid. v. 4. 5 6.
4) 2 Regum c. 18. v. 13 &c.

Juliano 4001, (3469 Job. Fr.) ante Chriſtum 713. Aegyptum profectus eſt. Sed victus ab Aegyptiis 1) poſtquam in regnum redierat, a filiis Adramelecho & Sarazare in urbe ſua Ninive, in templo Néſrochi anno Juliano 4092, (3470 Job. Fr.) ante Chriſtum 712 interfectus eſt. Parricidae a populo deteſtati & perſequuti in Armeniam 2) confugerunt, regnumque Aſſyriacum fratri Aſarhaddoni reliquerunt. Recepit eos rex Armenius, ipſisque ſuo in regno terras dedit ſatis amplas, ibique ab his parricidis potentes duae gentes Arzerunienſes & Genunienſes, originem duxerunt 3). Aſarhaddon populis ſuis pacem & quietem reddere ſtuduit nullique finitimorum regum bellum inferre cogitavit.

Deioces hoc tempore a Medis rex conſtitutus, regnum novum confirmare potius, quam bellis dilatare, & populum conſilio & ſapientia regere maluit; qua re Aſarhaddonis regnum quietum manſit. At Phraortes, Deiocis in Media ſucceſſor, ipſi Perſiam 4) cum aliis terris eripuit, quod circa annum Julianum 4060, (3528 Job. Fr.) ante Chriſtum 654 accidiſſe videtur. Aſarhaddone mortuo regnum ad Nabuchodonoſorem ſive Nebucadnezarem tranſiit. Phraortes autem Aſſyriis moleſtus eſſe, iisque provincias eripere, ſuoque cum imperio iungere,

1) 2 Regum c. 19. v. 35. Herod. lib. 2. c. 141. Moſes Choren. Hiſt. Armen. lib. 1. c. 22. p. 60.
2) 2 Regum c. 19. v. 37.
3) Moſes Choren lib. 1. c. 22. p. 60.
4) Herod. lib. 1. §. 102.

gere, non deſtitit; ſed proelio victus & occiſus Cyaxarem filium habuit ſucceſſorem. Victoria haec anno Juliano 4080, (3548 Job. Fr.) ante Chriſtum 634 parta, quod his ex argumentis probat Larcherius.

Deioces, quod infra cap. IV. de Medorum regibus evincitur, ſine dubio anno Juliano 4005, (3473 Job. Fr.) ante Chriſtum 709 Medorum rex conſtitutus eſt. Regnavit is annos 53. Phraortes autem 22, ſecundum ipſa Herodoti[1]) verba. Phraorten igitur anno Juliano 4080, (3548 Job. Fr.) ante Chriſtum 709 occiſum patet. Quod ſi ſtatuamus, Nabuchodonoſoris regni initium facile poterit definiri. Scimus enim e Judithae[2]) libro, Nebucadnezarem hunc Phraortem Medum duodecimo regni ſui anno viciſſe; anno igitur Juliano 4068 (3536 Job. Fr.) ante Chriſtum 646 in regno ſucceſſerat. Aliam *Buberius* ire maluit in ſententiam, quam *Larcherius* alio loco, in diſputatione[3]) de epochis quibusdam Aſſyriorum, refutare conatus eſt. Cyaxares initio ſtatim regni patris necem ulciſci decrevit, exercitus igitur ſui collegit reliquias, eum novis delectibus auxit, & ſecundo imperii ſui anno Ninivem urbem oppugnare aggreſſus eſt. Dum vero hac in oppugnatione occupatus erat, Scythae omnem ſuperiorem Aſiam inundarunt, quo nuncio ad eum perlato, ſolvit oppugnationem, & contra Scythas progreſſus, ſed

1) loc. laud.
2) cap. 1. v. 5.
3) in Diſputat. acad. bonar. literar. 1783.

ſed victus ab his proelio, & ad tributum pendendum coactus eſt. Idem ſine dubio Aſſyriis accidit, quamquam tam ſacra quam profana hiſtoria hac re de ſileant. Scimus enim barbaros illos praedatores Syriam cum Judaea. provincias eo tempore Aſſyriacas, depraedaſſe ſibique ſubieciſſe. Herodotus [1]) quippe Aſcalonem urbem a Scythis ab Aegypto redeuntibus captam & direptam memoravit, & Judaeorum e libris patet oraculo [2]) praedictam fuiſſe Judeae a ſeptemtrionali populo vaſtationem; & alio iterum loco Jeremias [3]) vaticinatus eſt, populum e ſeptemtrionibus adventurum numeroſum, terraeque Judaeorum arma ſua illaturum, armatum fore ſagittis & clypeis, crudelem & inhumanum tempeſtatis ſaevae inſtar omnia evertentem rel. Sic anno Joſiae regis decimo tertio cecinit. Jeremias, qui in Julianum 4085, (3553 Job. Fr.) ante Chriſtum 629 incidit. Scythae igitur ſi Judaeam anno ſequenti vaſtarunt, id anno Joſiae regis decimo quarto, Juliano 4086, (3554 Job. Fr.) ante Chriſtum 628 accidiſſe apparet, qui quidem annus quintus Scythicae in Aſiam ſuperiorem irruptionis fuit. Singularis profecto Synchroniſmus, qui Herodoti & Hebraeorum conſenſum luculentiſſime demonſtrat, noſtraeque temporum rationi haud leve pondus addit.

Grave

1) lib. I. c. 163. 104.
2) Jerem. c. 4. v. 6.
3) c. 6. v. 22. 23. 24.

Grave Cyaxari hoc tributum, qui niſi terras ſuas in Scytharum, qui omnes in provincias copias ſuas diſperſerant, poteſtate fuiſſent, iugum de collo deiicere nullus dubitaſſet. Quod igitur vi non poterat, arte & fraude perficere cogitavit. Ducibus Scytharum adulando hisque omnia obſequia praeſtando, omnem avertit ſuſpicionem, ſe male quid contra eos moliri. Aderat tandem dies ad vindictam conſtituta, qua ad epulas invitavit Scythas, eosque, vino repletos, iugulavit. Idem fecere ceteri Medi, Scythas tale quid minime ſuſpicantes opprimunt, interficiunt, in fugam compellunt. Sic Media poſt 28 annorum oppreſſionem tandum liberata [1]) eſt. Scytharum irruptione anno Iuliano 4081, (3549 Job. Fr.) ante Chriſtum 633, facta, eorum oppreſſio anno Juliano 4109, (3577 Job. Fr.) ante Chriſtum 605 facta ſit oportet. Primo quidem anno in id intentus Cyaxares, ut pacem atque tranquillitatem civibus reſtitueret, anno autem ſequenti, Juliano 4111, (3579 Job. Fr.) ante Chriſtum 603, Ninives urbis oppugnationem denuo inchoavit. De Aſſyriorum imperio tot provinciarum defectione debilitato praeter Ninivem urbem vix quidquam ſupererat; quae tamen urbs maximis operibus munita, hoſti oppugnanti diutiſſime reſiſtere valebat. Herodotus cum de huius oppugnationis duratione nil monuit, & praeter eum alius nullus eius mentionem fecit, eam certo definire non audemus, non diuturnam tamen fuiſſe, Cyaxaremque hoc ipſo

1) Herod. lib. 1. c. 106.

ipſo anno urbem expugnaſſe, ſupicamur. Hoc ex eo Herodoti loco colligimus, quo de bello Cyaxarem inter & Alyatten Lydorum regem ob transfugas Scythas orto, retulit. Medum enim hoc bellum ante finitum Aſſyriacum coepiſſe vix credimus. Lydicum hoc bellum ſex annorum fuiſſe, annoque Juliano 4117, (3585 Job. Fr.) ante Chriſtum 597 finem habuiſſe ſcimus. Arma inter ſe conferebant Medi & Lydi, cum ſol deficeret, quo eventu utrique territi, arma poſuerunt [1]), pacemque mox inter ſe reſtituerunt, in qua Syenneſis Cilicum, & Labynetus Babyloniorum rex, operam ſuam praeſtiterunt. Thales hanc Solis defectionem praedixerat, nec ea ab Herodoto ſolo memoratur, ſed Euthydemus quoque apud Clementem Alexandrinum [2]), in Aſtrologiae hiſtoria mentionem eius fecit. Thales, inquit ille, ſolis defectionem praedixerat, quae arma conferentibus Medis & Lydis evenit; Cyaxares, Aſtyagis pater, Medos, & Alyattes, Croeſi pater, Lydos tunc regnabat. De huius defectionis ſolis tempore veteres & recentiores non conveniunt, ſed longum foret in rationes eorum inquirere, quare ad Desvignolium [3]) lectores ablegamus, cuius tamen ipſius ſententiam haud probamus. Is enim Solis hunc defectum ab Herodoto memoratum die 28 Maii menſis anni Juliani 4129, (3597 Job. Fr.) ante Chri-

1) Herod. lib. 1. c. 74. 103.
2) Stromat. lib. 1. p. 353. 354.
3) Desvignoles Chronol. de l'hiſt. ſainte l. 4. c. 5. T. 2. p. 247 ſqq.

Chriſtum 585 accidiſſe [1]) putavit. Erraſſe autem virum doctiſſimum ex eo iam apparet, quod Cyaxares tunc iam novem annos vivere deſierat, eiusque loco Aſtyages regnabat. Plura contra hunc Desvignolii opinionem protulit Buherius [2]), quem, quibus intereſt ea cognoſcere, evolvant.

In Petavii ergo potius ſententiam ire placuit, cui & Marshamus [3]) cum Buherio [4]) acceſſere, & hanc defectionem in diem 9 Julii menſis anni Juliani 4117, (3585 Job. Fr.) ante Chriſtum 597 incidiſſe ſtatuimus. Quae cum digitorum decem & dimidii fuiſſe dicatur, ſecundum emendationem a Petavio [5]) libro ſuo adſcriptam, qui Harduinum [6]) in ea ſequutus eſt, diem quidem in noctem non commutavit, quod Herodoto fuerat relatum, at ſatis magna fuit, ut populos ſuperſtitioſos, eius rationes ignorantes, terrere potuerit. Melius quoque haecce defectio cum rerum ordine congruit, quam aliae omnes. Si enim Lydicum iſtud bellum anno Juliano 4117, (3585 Job. Fr.) ante Chriſtum 597 finitum eſt, anno 4112, (3580 Job. Fr.) Juliano, & ante Chriſtum 602 inchoatum apparet, & hic proximus poſt Ninives expugnationem fuit annus.

Sed cuius nominis rex Aſſyrius hoc tempore imperaverit, a nemine umquam eruetur, cum

---

1) ibid. p. 242. ſqq.
2) Recherch. & Diff. ſur Herod. chap. 4. p. 41. &c.
3) Chron. can. p. 561.
4) libro laud. p. 42.
5) de doctr. temp. T. I. lib. 8. c. 13. p. 482.
6) de LXX hebdom. initio.

cum eius nemo omnium, qui ad nos pervenerunt, hiſtoricorum fecerit mentionem. Syncellus [a]) fragmentum quidem ſervavit ex Alexandro Polyhiſtore, quod lucem huic rei affundere poſſet, ſed a librariis nimium corruptum eſt. *Larcherius* fragmentum hoc in diſputatione de epochis Aſſyriorum illuſtrare tentavit, ad quam lectores ablegavit. Teſtimoniis veterum deſtitutus doctiſſimus Francogallus coniecit, Nebucadnezarem Aſſyrium, qui Phraortem Medum vicerat, adhuc ſuperſtitem fuiſſe, eoque regnante Ninivem iterum captam eſſe. Victoriam de Phraorte, ſi, quod ſupra probavimus, anno Juliano 4080, h. e. regni ſui duodecimo ante Chriſtum 634, (3548. Job. Fr.) reportavit, anno Juliano 4068, (3556 Job. Fr.) ante Chriſtum 646, regnare coepiſſe apparet. Regnum igitur 53 annos tenuerat, Ninive altera vice capta, quod vero haud abſimile videtur. Certo tamen, omnibus ex re de ſilentibus veterum ſcriptis, affirmare non audemus.

## Caput IV.

### *de Regibus Medorum.*

Tempus quidem, quo Medi Aſſyriis parere coacti ſunt, ignotum, ſed epocha libertatis recuperatae dubio carere videtur. Medi enim primi contra

a) Chron. p. 210. Pariſ. 167. Ven.

contra Aſſyrios rebellarunt, eorumque exemplum Babylonii ſequuti ſunt [1]). Aera, quae a Nabonaſſare denominari ſolet, libertatis Babyloniorum aera videtur, quam ut feliciſſimae huius rebellionis memoriam ad poſteros perducerent, ſine dubio uſurparunt. Tempore enim ſervitutis hanc eos excogitaſſe non putamus. Incidit autem aera haec, omnibus conſentientibus, in annum Julianum 3967, (3435 Job. Fr.) ante Chriſtum 747, qui fuit Olympiadis octavae ſecundus. Breve ante hoc tempus Medi in libertatem fuerant reſtituti, quare libertatis eorum epocham annum Julianum 3966, (3434 Job. Fr.) ante Chriſtum 748 ſtatuimus. Probatur ea Velleii Paterculi teſtimonio. *Inſequenti tempore*, inquit [2]), *imperium Aſiaticum ab Aſſyriis, qui id obtinuerant annis MLXX, translatum eſt ad Medos abhinc annos DCCLXX, quippe Sardanapalum eorum regem, mollitiis fluentem & nimium felicem malo ſuo, tertio & triceſimo loco ab Nino & Semiramide, qui Babylona condiderant, natum, ita ut ſemper ſucceſſor regni paterni foret filius, Arbaces Medus imperio vitaque privavit.* — In hiſtoria ſua Velleius a conſulatu M. Vinicii Quartini exit; qui in annum Julianum 4743, (4211 Job. Fr.) poſt Chriſtum 30 incidit. Arbacis igitur rebellio, hunc ſecundum auctorem, in annum Julianum 3973, (3441 Job. Fr.) ante Chriſtum 741 facta; & numerus iſte 7 tantum annis differt ab eo, qui ex Herodoto & Nabonaſſaris aera,

1) Herod. lib. 1. c. 95.
2) Vellej. lib. 1. c. 6. p. 21. 22.

tera, computatur. Eſt ergo quantum quidem in tanta vetuſtate & teſtimoniorum penuria certitudo poteſt exſpectari, certiſſimus.

Arbacis, qui Medorum Satrapes & rebellionis huius duxerat, fortaſſis conſilium fuit, regnum ſibi ipſe vindicare, quod conſpiratis, quorum antea fuerat aequalis, populisque ipſis minus placuiſſe videtur, qui, gravitatem imperii Aſſyriaci per ſecula perpeſſi, novam ſervitutem deteſtabantur, liberique eſſe malebant. Moſes tamen Chorenenſes[1]) quinque reges, qui ſtatim poſt hanc rebellionem in Medos regnarint, nominavit, ſed Euſebius[2]) & Syncellus[3]) quatuor tantum numerarunt. Herodotus his omnibus longe vetuſtior, nullos Medorum hoc tempore reges appellavit, ſed, eos ex legibus ſuis rempublicam adminiſtraſſe, expreſſis verbis retulit[4]). Conciliari tamen patris hiſtoriarum traditio cum recentiori poſteriorum hiſtoricorum poſſet. Fuerint nempe reges apud Moſen Chorenenſem. Euſebium & Syncellum non veri nominis reges, ſed iudices potius, quorum quisque provinciam ſuam cum poteſtate paene regia adminiſtraret. Euſebius[5]) etiam primos Athenienſium Archontes, reges appellavit, qui,

 quam-

1) Hiſt. Armen. lib. 1. c. 21. p. 58.
2) in Chron. p. 57. &c.
3) Chronogr. p. 197. Pariſ. 157. Ven.
4) Herod. lib. 1. c. 96.
5) Poſt Codrum, Principes quod mors finiebat; quorum primus *Medon regnum* in finem vitae obtinuit Athenis, & poſt eum exteri *Reges*. Euſeb. Chron. lib. poſter. p. 99.

quamquam poteſtatem regiae parem habebant, regio tamen nomine non utebantur. Sic quoque in Media fuiſſe, & Euſebius ipſe, ſecundum D. Hieronymi verſionem [1]), hanc in ſententiam iſſe videtur: Arbaces, enim inquit, Medus Aſſyriorum imperio deſtructo, regnum in Medos transtulit; & interim ſine *Principibus* res agebatur usque ad Deiocem Regem Medorum.

Judices imbecilli, affectibus ſuis nimis indulgentes, ſine auctoritate & gravitate iudicabant, quare innocentes, quos defendere atque tueri debuiſſent, res ſuas ipſi agere atque defendere cogebantur, vel, viribus deſtituti, ſine effectu gemitus tollebant inanes. Jus tantum valebat fortioris. Ex quo brevi tempore licentia ea effrenata eſt orta, quam iure Herodotus [2]) *ἀναρχίαν* appellavit, quae usque eo progreſſa eſt, ut innocentiſſimi atque optimi cives exſulare potius, quam in tantis turbis vitam agere ſuam vellent. Judicum tunc temporis iuſtiſſimus erat Dejoces, qui provinciam ſuam optime & aequiſſime adminiſtravit. Fama iuſtitiae huius omnem per Mediam divulgata, omnesque ad eum, ut res ſuas iudicaret, confluxerunt. Potens ille, nec minus honoris cupidus, quam aequus & callidus vir, rerum ſuarum curam ſibi non amplius permittere, ut res populi diiudicaret, prae ſe ferens, iudicem agere deſtitit. Denuo nunc turbae exortae & rapinarum

---

1) Euſeb. Chronic. Can. p. III.
2) lib. 1. c. 96. 97.

narum multitudo ſecuritatem ſuſtulit omnem, ſic ut Mediae univerſae ſtatus deſperatus erat. Nullum enim ſupererat populo auxilium, quam vel emigratio e patria, vel regis, cui omnes parerent, electio. Omnium tunc oculi in Deiocem converſi, cuius magnum admirabantur animum, quem omnes aequiſſimum fore dominum ſtatuebant, eique regnum deferre, omnibus placuit.

Electionis eius annus nunc definiendus eſt. quem ſi cognoverimus, quot annos Medi ſine rege fuerint, colligere poterimus. Diodorus [1]) inquit, Deiocem Olympiadis 17 anno ſecundo h. e. Juliano 4003, (3471 Job. Fr.) ante Chriſtum 711 regem eſſe conſtitutum, Herodotumque huius rei citat teſtem, quamquam pater hiſtoriarum Olympiadis neque hoc neque alio loco utitur aera. Euſebius [2]) eum Olympiadis 18 anno primo, h. e. Juliano 4006, (3474 Job. Fr.) ante Chriſtum 708, Syncellus [3]) autem eum anno orbis 4784 h. e. Juliano 3998, (3466 Job. Fr.) ante Chriſtum 716 regem electum ſcribunt. Diſſentiunt ergo triumviri iſti. Euſebius enim a Syncello annos octo, Syncellus a Diodoro quinque, Diodorusque ab Euſebio tres tantum annos differt. Nec melius conſentiunt recentiores. *Uſſerius* [4]) Euſebio calculum ſuum adiecit. *Eduardus Simſonius* [5]) Deiocem in annum quartum

I 3

1) lib. 2. c. 32. p. 145. 146.
2) Chronic. Can. p. 154.
3) Chronogr. p. 198. Pariſ 158. Ven.
4) Annales V. & N. T. p. 58.
5) Simſoni Chron. cathol. ad A. M. 3296. col. 522.

tum Olympiadis 17. h. e. Julianum 4005, (3473 Job. Fr.) ante Chriſtum 709. poſuit, *Petavius* [1]) autem in annum Julianum 4018, (3486 Job. Fr.) ante Chriſtum 696 eum collocavit, Diodorum atque Euſebium teſtes citans, quorum tamen ille Juliano 4003, (3471 Job. Fr.) ante Chriſtum 711 anno, hic Juliano 4006, (3474 Job Fr.) ante Chriſtum 708 regni eius initium fuiſſe tradidit. *Desvignolius* [2]) in annum Julianum 4015, (3483 Job. Fr) ante Chriſtum 699. *Freretus* [3]) in annum ante Chriſtum 709. *Buberius* [4]) in annum 715 ante Chriſtum eius epocham collocarunt. His omnibus ex ſententiis *Simſonianam*, cui poſtea quoque *Freretus* acceſſit, praecipue probamus, commotus, de quibus ipſi ſiluerunt, argumentis ſequentibus.

Julius Africanus apud Euſebium [5]), Chronographiae libro tertio ſcripſit, omnes hiſtoricos & chronologos veteres, ut Polybium. Diodorum, Caſtorem, Thallum, Phlegonem, Cyri regni in Medos initium unanimi conſenſu in primum Olympiadis 55 annum collocaſſe, qui incidit in Julianum 4154, (3622 Job. Fr.) ante Chriſtum 560. *Larcherius* in ſequentem annum hunc ideo cenſuit collocandum, quia Cyrus 29 vel 30 annos regnaſſe ab Herodoto [6]) dicitur, & ſecun-

1) de doctr. temp. T. 2. p. 3.
2) Chronol. de l'hiſt. ſainte lib. 4. c. 5. §. 9, p. 261.
3) Memoires de l'acad. des belles lettres Vol. 5. Mem. p. 400.
4) Diſſert. ſur Herod. p. 38.
5) Præpar: Evang. lib. 10. c. 10. p. 488.
6) lib. 1. c. 214.

ſecundum Babyloniorum regum Canonem Ptolemaei anno Juliano 4184, (3652 Job. Fr.) ante Chriſtum 530 obijt. Aſtyages ergo anno Juliano 4155, (3623 Job. Fr.) ante Chriſtum 599 regno privatus eſt. Tribuit autem Herodotus quinque Medorum regibus 150 annos, qui ſi annis 559 addantur, efficitur annus Julianus 4005, (3473 Job. Fr.) ante Chriſtum 709 quo Deioces regnare coepit. Exinde Medos, qui Juliano 3966, (3434 Job. Fr.) ante Chriſtum 748 anno in libertatem reſtituti ſunt, 39 annos in republica a iudicibus adminiſtrata vixiſſe, & 150 annos a regibus regnatos eſſe patet, quorum primus Deioces anno Juliano 4005, (3473 Job. Fr.) ante Chriſtum 709, regnum accepit, poſtremus Aſtyages anno Juliano 4155, (3623 Job. Fr.) ante Chriſtum 559 amiſit.

Longiores hac de re eſſe, operis huius fines non permittunt, quare ad diſputationem anno 1782 in conſeſſu bonarum litterarum academiae recitatam de epochis quibusdam Aſſyriorum *Larcherius* lectores ablegavit, quam cum conſcriberet, duas *Anquetilii Perronis* nondum viderat diſputationes, quarum in prima [1]) vir doctiſſimus Graecos ſcriptores, in primis Herodotum & Cteſiam de initio & duratione regni Aſſyriaci inter ſe, & cum Perſarum ſcriptoribus conciliare tentavit, apud quos Peſchdadienſes iſtae dynaſtiae appellantur, in ſecunda [2]) earum autem

 Me-

1) Memoir. de l'acad. des Belles Lettres T. 40. p. 356.
2) ibid. p. 477.

Medicum atque Perſicum regnum ſecundum Græcos cum Ceanienſium Dynaſtia apud Perſas comparare ſtuduit. His poſtea, niſi omnem ſuam diſputationem denuo repetere vellet, uti non potuit, quod cum nimis ipſi moleſtum iudicaret, has ad diſputationes doctiſſimas lectores ablegavit. Nobis quoque neque Perronianis neque Larcherianis uti licuit diſputationibus, quare e *Gattereri* hiſtoria orbis terrarum Goettingae 1792 edita obſervamus, doctiſſimum hunc hiſtoricum *Arbacis* rebellionem in A. M. 3275, ante Chriſt. 907. *Deiocis* regni initium in A. M. 3281. ante Chriſt. 901. *Phraortem* in A. M. 3334 ante Chr. 848. *Cyaxaren* in A. M 3356 ante Chr. 826. *Aſtyagen* in A. M. 3396 ante Chriſt. 786, eiusque a Cyro ſubactionem Medorumque regni finem in A. M 3431 ante Chr. 751 collocare, annosque mundi ſecundum *Franckii* principia computare.

# Caput. V.

## *De Babyloniorum regibus.*

Babyloniam antiquiſſimis temporibus ſingulare regnum domeſticis ſub regibus fuiſſe vero ſimile eſt. Poſtero tempore Babyloniorum regnum ab Aſſyriis expugnatum, horumque cum imperio iunctum eſt. Libertatem tandem Babylonii, Medorum aliorumque populorum ab Aſſyriis defectione recuperarunt. Non multum poſt libertatem reſtitutam Babylonii, ſui iuris

facti,

facti, validum atque opulentum fundarunt imperium, quod ad expugnationem urbis Babylonis a Cyro Perſa factam, perduravit. Aera a Nabonaſſare denominatò eo conſilio inſtituta videtur, ut libertatis hoc ſub rege reſtitutae memoria hac epocha aeternum conſervaretur, vel ob aliam nobis ignotam cauſſam. Incipit ex anno Juliano 3967, (3435 Job. Fr.) ante Chriſtum 747, quo anno Nabonaſſar regnandi initium fecit. Hoc ante tempus neque apud Hebraeos neque Graecos apud ſcriptores rex huius populi nominatur. Primus Hebraeorum in libris memoratus rex Babylonius fuit Merodach Baladan, Baladani filius [1]), qui ad Ezechian Judaeorum regem legatos Hieroſolymam, ut de reſtitutione gravi e morbo ipſi gratularentur, miſit. Ezechias rex, quod extra dubium poſuit Petavius [2]), anno 14 regni ſui hunc in morbum incidit, idemque [3]) Ezechiam anno Juliano 3987, 3455 Job. Fr.) ante Chriſtum 727 patri ſucceſſiſſe probavit. Annus igitur regni eius 14 in Julianum 4001, (3469 Job Fr.) ante Chriſtum 713 incidit. Merodachi legatio anno proximo, qui eſt Merodachi decimus, quem Ptolemaeus in Canone Mardocempadum appallavit, Hieroſolymam profecta eſt. Incidit autem annus iſte in 36 annum Nebonaſſareae aerae, ea igitur ſimul cum reſtitutione libertatis atque regni Babyloniorum initium habuit.

I 5 Quum

---

1) 2 Regum XX, 12.
2) de doctr. temp. lib. 9. c. 38. T. 2. p. 70.
3) ibid. c. 62. T. 2. p. 74.

Quum nihil nobis iam propoſuimus niſi Herodoti explicationem, reges Babyloniorum tam Ptolemaei in canone quam Judaeorum in libris memoratos ſilentio nunc transeamus. Loquitur autem Herodotus duabus de reginis, quae cum multa laude regnaſſe feruntur, quorum tamen nomina in canone iam laudato non leguntur. Semiramidem primam, Nitocrim alteram nominavit, huiusque poſterioris aevum accurate annotavit. Cyaxaris Medi victoriis, Niniveſque interitu perterrita, ad regnum conſervandum ſapientiſſima iniit conſilia, ut, ſi bellum ipſi quoque inferret Medus, par ei eſſe poſſit, Ninive autem anno Juliano 4111, (3579 Job. Fr.) ante Chriſtum 603, qui annus in Magni Nebucadnezaris, quem Nabopolaſſarum II. Ptolemaeus in canone, Labynetum Herodotus appellavit, annum vigeſimum primum incidit, expugnata. Regem hunc gravem in morbum incidiſſe, uſumque rationis ad tempus amiſiſſe notum [1]) eſt e libro Danielis, cui Beroſus [2]) quoque adſenſit. Propius adhuc accedit Megaſthenes [3]), qui Nebucadnezarem in regiam ſuam conceſſiſſe ait, ubi, divinitus inſpiratus ſubito, & poſterorum de fatis vaticinatus, diſparuerit. Veteres inſanos & mente captos veneratos eſſe, hosque divino inſtinctu agere ſibi perſuaſiſſe, notum eſt. Nebucadnezaris filio nondum maturo Nitocris regina regni gubernacula cepit, & hoc in

1) Daniel IV. 30.
2) Euſebii Praep. Evang. lib. 9. §. 40. p. 455.
3) ibid. §. 41. p. 456.

in tempore res magnas iſtas geſſit, perfecitque, quae de ea apud Herodotum[1]) leguntur. Dum autem filii ſui nomine omnia ageret, nomen eius in regum Babyloniorum ſerie neque apud Ptolemaeum, neque apud Beroſum, neque apud Megaſthenem occurrit. Tutorio nomine regnavit, ob poteſtatem tamen regiam ipſi traditam, ab Herodoto regina appellatur. Nitocris igitur regina anno Juliano 4110, (3578 Job. Fr.) ante Chriſtum 604 regni adminiſtrationem ſuſcepit, eamque ad Nebucadnezaris usque mortem, qui anno Juliano 4133, 3601 Job. Fr.) ante Chriſtum 581 obiit, retinuit. Si hoc ab anno 165 annos retro numeramus, in quibus quinque floruerint generationes, Semiramis incidit in annum ſecundum aerae Nabonaſſaris, eiusque uxor ſine dubio fuit. Eſt autem haec Babylonica Semiramis cum eiusdem nominis regina Aſſyriaca, quae Nini fuit uxor, minime confundenda. Aſſyriaca enim multa ſecula ante Babyloniam vixit. Videtur ergo Nabonaſſar, Babyloniorum imperii conditor, ultimis vitae annis morbo gravi laboraſſe, quo durante Semiramis uxor eius loco & nomine regnavit & magna illa ab Herodoto laudata opera perfecit.

Mortuo Nebucadnezare, quem Labynetum Herodotus appellavit, Iluarodamus ipſi ſucceſſit, & tres annos regnavit. Quem Neregaſolaſarus ſequutus eſt, qui quinque regnavit annos, & ſucceſſorem habuit Nabonadium. Huius regni

1) lib. 1. c. 185. 186.

regni anno 34 Cyrus orbem Babylona cepit. Sic Ptolemaeus in Canone.

Beroſus [1]), poſt memoratum Nebucadnezaris morbum, addit, eum poſt regnum 43 annorum obiiſſe. Huc usque cum Ptolemaei canone convenit: Sed addit: Evilmaluruch filius ipſi in regno ſucceſſit, cuius mala rerum adminiſtratio ſororis marito Nerigliſſari occaſionem inſidiarum, & regem poſt duorum annorum regnum interficiendi praebuit. Facinore hoc patrato Neviglissor ſibi regnum ſubiecit, idque poſt quatuor annos filio Chabaſſoaraco, quem Joſephus Laboroſoarchodum dixit, reliquit. Infans adhuc Laboroſoarchodus, novem tantum menſes regnavit, cognati, qui malum eius ingenium cognorant, eum vi interemerunt, & coniuratorum unus, Nabonidus Babylonius, regnum uſurpavit, quo regnante Babylon capta eſt.

Megaſthenes quoque Beroſi ſententiae accedit. Narravitis [2]), Nebucadnezarem poſt magnas res geſtas, quibus regnum ſuum illuſtraverat, in regiam ſuam ſe contuliſſe, ibi ſubito divino afflatu correptum, fata poſteriorum ceciniſſe, ſubitoque evanuiſſe; Filium ipſi Evilmerodachum ſucceſſiſſe, qui cum crudelitate & ſaevitia populum a ſe abalianaſſet, a Nerigliſſare, uxoris marito, occiſus eſt. Erat eo tempore filius eius Labaſſoaraſcus adhuc minorennis,

1) Euſebii Praep. Evang. lib. 9. §. 40. p. 455. Joſephus c. Apion. lib. 1. §. 20. p. 451.
2) Ibid. lib. 9. §. 41. p 456. 457.

rennis, qui cum violenta quoque morte interemtus eſſet, a coniuratis Nabannidocho, peregrino, nec regio a ſanguine prognato regnum traditum eſt.

In codice Hebraeorum ſacro Evilmerodachi huius in libro ſecundo de Regibus[1]) & in Jeremiae[2]) carminibus mentio facta, eſtque is ſolus regum Babyloniorum, qui, praeter eos, qui in libris Danielis & Baruchi occurrunt, in libris Hebraeorum, ad Cyrum usque memoratur. Baruchus Baltaſſarem ſive Belſazerum, Nebucadnezaris filium primogenitum, regnique heredem nuncupavit. *Orate*, inquit[3]), *pro conſervatione vitae Nebucadnezaris eiusque filii Balſazeri.* Daniel[4]) ſic de eo loquitur, quaſi tunc rex fuerit, eumque paſſim Nebucadnezaris quoque filium dixit. Ultra tres annos non videtur regnaſſe. Daniel[5]) enim viſionem tertio huius regis anno ſibi oblatam deſcripſit. Supra iam[6]) de convivio magno retulerat, ad quod amicos ſuos rex Belſazer convocarat, hoc in convivio, inquit, in pariete domus ſubito verba apparuiſſe, quae nemo omnium interpretari ſciret, ſibi igitur horum verborum interpretationem demandatam, eaque ipſa nocte regem interemtum eſſe. Ex his *Belſazarum* Baruchi & Danielis, *Evilmerodachum* in libro ſecundo de regibus & apud

1) cap. 25. v. 27.
2) cap. 52. v. 31.
3) Baruch. c. 1. v. 11.
4) Daniel c. 5 v. 11. 13. 22.
5) Daniel c. 8. v. 1.
6) Daniel c. 5. v. 1-30.

apud Jeremiam, Beroſum, & Megaſthenem; *Iluarodamum* apud Ptolemaeum unum eundemque regem fuiſſe, colligimus. De his omnibus enim Nebucadnezaris filios fuiſſe, tres annos regnaſſe, occiſos eſſe, traditur. Haec *Marshamo* [1]) tam clara viſa ſunt, ut Evilmerodachum, Iluarodamum, & Belſazarum unum eundemque eſſe regem contenderet. Addidit Daniel [2]), poſt Belſazarem interemtum Darium Medum, 62 annos iam natum in regno ſucceſſiſſe.

Plurima ſuper hoc Dario Medo a doctis viris diſputata ſunt, quae iam repetere non poſſumus, quare, quae nobis maxime veriſimilia apparuerunt, adiiciamus. Retulit Daniel, Darium, Evilmerodachi ſucceſſorem, Medum fuiſſe. At quo iure peregrinus, qui Babyloniam iure belli non occuparat, in regno potuit ſuccedere? Talem principes regii ſanguinis & populi regem num tolerare voluiſſent? Satis ne fuit, ut rex conſtitueretur Darius, eum coniuratorum unum fuiſſe? Num veroſimile poteſt haberi, principem peregrinum, ſine exercitu, ſine copiis, regnum in Babylonios ſibi vindicaſſe? Darium enim hunc Medorum regem dicere, nimis abſurdum eſt, quam ut refutatione ſit opus. Niſi ſupra iam laudatum Megaſthenis locum haberemus, nihil umquam explicare poſſemus. Narravit is, Neriglisſarem Evilmerodachi ſororem uxorem duxiſſe: qua re omnes tolluntur difficultates. Evilmerodachus enim ob

1) Chronogr. Can. p. 555.
2) c. 5. v. 31.

crudelem dominationem populis odioſus redditus, principes in eum coniurarunt, horumque dux fuit Neriglissar ſororis regis maritus, qui regem Evilmerodachum interemit. Neriglissar hic quidem peregrinus fuit, qui ad regnum iure non poterat adſpirare; ſed matrimonium eius cum regia ſorore ipſiusque merita, & opera in tyranni interemtione praeſtita, inprimisque uxor eius, Nebucadnezaris Magni filia, omnes facile commovere poterant, ad regnum ipſi tradendum. In Canone Ptolemaei is appellatur Neregaſolaſorus. Haec *Larcherii* fuit ſententia iam ante evolutas & perſcrutatas chronologorum ſententias, e quibus poſtea cum voluptate animadvertit, *Conringium* [1]) & *Buberium* [2]) eadem iam ſenſiſſe. Beroſus, ut ſupra iam diximus, regi huic annos quatuor, Canon Ptolemaei quinque tribuit. Huius diſſenſionis cauſſa eſt, quod Beroſus Megaſthenes Neriglissarem poſt quatuor annorum regnum mortuum, filiumque Labaſſoaraſcum ſucceſſorem habuiſſe, tradiderant, qui poſt novem menſium imperium ab amicis h. e. propinquis ſuis interemtus eſt; huius, quia novem tantum menſes regnarat; in canone nulla mentio facta, ubi hanc ob cauſſam filii tempus adſcribitur patri. Rege hoc interfecto coniurati unum ſuorum regem crearunt, quem Beroſus Nabonidum Babylonium appellavit, additque, Babylonem eo regnante a Cyro

---

1) Herm. Conringii adverſaria chron. c. 13. p. 180.
2) Rech. & Diſſ. ſur Herod. c. 3. p. 29. ſq. c. 21. §. 11. p. 243.

a Cyro Perſa captam eſſe. Megaſthenes, Nabonidum hunc, quem Nabannidochum appellat, regii generis principem non fuiſſe contendit. Hebraeorum huius quidem regis non meminerunt libri, nihil tamen, quod Beroſi & Megaſthenis relationem, falſitatis arguere poſſet, tradunt, quae & canonis, qui Nabonadii tempore Babylonem captam ſcripſit teſtimonio probatur. Conſentiunt ergo omnes hi auctores, Babylonem Nabonido regnante captam eſſe! Nabonidus ergo idem fuit Babyloniorum rex, qui apud Herodotum Labynetus dicitur [1]. Fuit autem Labynetus, Nitocris maritus, Hebraeorum Nebucadnezar, & Canonis Nabolaſſar II. Si autem filius eius fuit Labynetus II., quare proximus is patris in regno ſucceſſor non fuit? Hanc ſine dubio Herodotus ſolviſſet difficultatem, ſi, quem promiſerat [2], rerum Aſſyriacarum librum, abſolviſſet. Quod cum vel non fecit, vel ſi fecerit, liber iſte periit, haec *Larcherius* ad nodum hunc ſolvendum coniecit. Labynetum I, ſive Nebucadnezarem duos filios, filiamque, cuius nomen ignotum, habuiſſe, priorem Evilmerodachum, poſteriorem Labynetum dictum. Evilmerodachum patri ſucceſſiſſe quod ex laudatis Hebraeorum libris, Beroſo & Megaſthene patet: Nebucadnezaris filiam Medo cuidam principi nupſiſſe, uti ſupra iam vidimus, & Danielis [3]) quoque e libro probatur, ubi filius

1) Herod. lib. 1. c. 188.
2) Idem c. 184.
3) Daniel c. 9. v. 1.

filius Ahasveri Medorum e gente appellatur. Matrimonium hoc eo magis probabile videtur Larcherio, quod Nebucadnezaris uxor [1]) ipſa quoque Medorum fuit regia princeps, quam Darium hunc generum elegiſſe, ipſique, inter Aſſyrios rebus geſtis iam claro [2]), ſuoque cognato, regnum deſtinaviſſe Babylonium ſuſpicatur: Hunc ergo fuiſſe Darium Medum Danielis, & Megaſthenis Nerigliſſarem. Fuiſſe eum ſine dubio ambitioſum & regni cupidum. Evilmerodachius imperium, ſi cum iuſtitia & aequitate adminiſtraſſet, Darius hic ambitionem ſuam ſupprimere debuiſſet; ſed rege ob crudelitatem gravemque dominationem populis inviſo, exoptata Dario ſe praebuit occaſio, votis ſuis ſatisfaciendi. Coniurationem is igitur init, huiusque dux factus, regem interemit. Quinque annos Darius hic regnavit, filioque eius minorenni, nec regno eius ſatis firmato, Labynetum II parvulum regem interfeciſſe, regnumque paternum recepiſſe non mirandum eſt. Nebucadnezar enim Magnus haud diu ante obierat, eiusque memoriam Babylonii venerabantur. Labynetus, huius filius, regnique iuſtus erat haeres; Labaſſoaraſcus contra peregrini uſurpatoris, qui caede regis regnum ſibi arripuerat, filius, idemque puer adhuc erat, ad regnandum ineptus, nec tutores eius atque amici tanta potentia valebant, ut principibus populoque imponere

1) Joſeph. c. Apion. lib. 1. §. 19. p. 451.
2) Euſeb. Praep. Evang. lib. 9. §. 41. p. 457.

nere hosque ſuas in partes ſeducere poſſent, parvulo praeſertim rege pravam ſuam indolem iam prodente, nec felicia tempora pollicente, quae omnia Labynetum II ad regnum recuperandum haud parum adiuvaſſe videntur.

Sed dubium hic oritur quod ſolvendum eſt, Labynetus, ſi Nebucadnezaris fuit filius, quomodo tradere potuit Megaſthenes, eum regis anteceſſoris cognatum non fuiſſe? Labynetus ille, reſpondit *Larcherius*, quem Canon Nabonidum, Megaſthenes Nabonnidochum appellavit, cum Labaſſoaraſco ſanguine coniunctus non fuit; is enim peregrina e gente, a patre Medo prognatus, qui per matrimonium cum filia regia Magni Nebucadnezaris initum in regiam Babyloniorum gentem receptus tantum fuerat.

Pauca nunc reſtant de Canone Ptolemaei, quo uſi ſumus, monenda. Exſtat is in Theonis commentario in librum Ptolemaei, qui inſcriptus eſt πρόχειρος κανών, *canon ſuccinctus*. Viri docti plurimi hunc ediderunt, maximi tamen aeſtimatur Dodwelliana editio, in appendice Dodwellianarum Diſſertationum Cyprianicarum, quia Voſſianis uſus eſt codicibus. Syncellus in Chronographia canonem hunc quoque ſervavit, nec, cur eius editio minoris pretii ſit Dodwelliana, videmus; nos eam ideo Dodwellianae praeferendam duximus, quia Herodoteis relationibus propius accedit. Ninivis expugnatio, qua Nitocris regina tam valde turbata territaque eſt, in annum Julianum 4111, (3179 Job. Fr.) ante Chriſtum 603 incidit. Nebucadnezar ergo anno praecedente in morbum

ſuum

ſuum incidiſſe videtur, quam ob cauſſam Nitocris gubernacula regni ceperat. Si contra Dodwellianas rationes magis probaremus, Nebucadnezaris regni initium in annum Nabonaſſareum 144, Julianum 4110, (3578 Job. Fr.) ante Chriſtum 603 cadit, h. e. in annum Ninives expugnationem antecedentem. Accedit, canonem hanc ſecundum editionem cum ſacris Hebraeorum libris minime convenire, quare *Desvignolius* [1]) contendere ſtuduit, Hebraeorum libros Nebucadnezaris regni initium maturius collocaſſe, quam re vera coeperit regnare. Differunt interim ſolummodo in longiori vel breviori nonnullorum regnorum duratione, in eoque conſentiunt, a Nabonaſſaris regni initio ad Cyri expugnationem Babylonis quatuor ſecula & decennium eſſe elapſa.

# Cap. VI.

## §. 1.

### *De Deucalione eiusque poſteris.*

Plurimis Graecorum Heroibus & principibus a Deucalione genus ducentibus, tempus, quo natus dicitur Deucalion, ante omnia definire debemus. Quam autem ſcriptores, qui memoriam eius fecerunt, de ſeculo, quo floruerit, nihil dixerint, in coniecturis, quae ad veritatem accedere videantur, acquieſcamus oportet.



1) Chronol. de l'hiſt. ſainte lib. 5. c. 9. T. 2. p. 428.

tet. Nos quidem e poſteris eius nonnullos, quorum tempus ſatis certum eſt, ut Deucalionis ex eo ſeculum computari poſſit, poſtea nominabimus; ideoque hoc in capite, quae inde peti poſſunt argumenta, ſilentio transeamus, de uno tantum, quod nobis maximi videtur eſſe momenti, eius e genealogia capite, iam diſputaturi.

Fuit Deucalion, ut refertur, Promethei filius, in Theſſaliaeque parte ea, quae Phthiotidi confinis erat, regnavit. Duxit is uxorem Pyrrham [1]), e ſorore neptem, Epimethei, Promethei fratris, filiam, cum eaque [2]) Hellenen genuit & Amphyctyonem, qui poſtremus poſt Cranaum [3]) Atticae rex factus. Sunt tamen qui contendunt [4]), hunc ex Attica terra ortum eſſe.

Deucalioni Hellen [5]) ſucceſſit, qui e Nympha Orſeide [6]) tres filios, Dorum, Xuthum & Aeolum genuit, regnumque Aeolo reliquit. Dorus & Xuthus alias ſibi ſedes aliaque regna quaeſivere [7]). *Conon* quidem Hellenis tertium filium non nominavit, quem tamen, cum dicat, eum Athenas veniſſe, Creuſam, Athenienſium

---

1) Apollodor. lib. 1. c. 7. §. 2. pag. 22.
2) Strabo. lib. 8. p. 587. C.
3) Apollod. lib. 1. c. 7. p. 24. ſecundum veriſſimam ſummi Heynii emendationem, qui μετὰ Κραναὸν legit.
4) Apollod. lib. 3. c. 13. §. 6. p. 225.
5) Strabo loc. laud.
6) Apollod. lib. 1. c. 7. §. 2. p. 24.
7) Strabo loc. laud. Conon Narrat. 27.

ſuum regis Erechthei filiam uxorem duxiſſe, ex eaque Jonem & Achaeum genuiſſe, haud difficile cognoſcere poſſumus. *Palmerius* 1) Xuthi loco Amphictyonem habet. Vitium hoc ſine dubio typographi, quod in Strabonis editione Amſterodamenſi 1707 non correctum, profecto miramur. De Doro & Xutho nos infra cap. XIV. de Graecorum coloniis, ſect. II, §. 3. uberiores erimus.

Aeolus 2) ex Enarete, Deimachi filia, ſeptem genuit filios, Cretheum, Siſyphum, Ashaman, Salmoneum, Deionem, Magnetem, Perierem, praetereaque filias quinque: Canacem, Alcyonen, Piſidicen, Calycen, Perimeden. Nos de Salmoneo tantum dicamus, quia ſolus iſte horum omnium in Deucalionis ſeculo definiendo in auxilium vocari poteſt.

Salmoneus 3) hic initio ſedem ſuam in Theſſalia habuit, ex qua poſtea in Elidem migravit, ibique Salmoniam 4) urbem fundavit. Salmoneus Alei filiam Alcidicen duxit cum eaque Tyronem filiam procreavit. Alcidice mortua duxit Sideronem uxorem, quae cum perſequeretur Tyronem, haec in Theſſaliam ad Cretheum miſſa eſt. Quae fluvii Enipei amore incenſa, cum huius in ripis ſemper gemitus funderet, Neptunus, fluvii forma induta, cum ea concubuit, gemelloſque Pelian & Neleum ex

 ea

1) Palmerii Exercit. in opt. auct. Graec. p. 313.
2) Apollod. lib. 1. c. 7. §. 2. p. 24.
3) Apollod. lib. 1. c. 9. §. 7. p. 39.
4) Diodor. Sic. lib. 4. c. 68.

ea procreavit. Supervacaneum foret hoc loco explicare, opiniones his temporibus de Diis vulgares amantibus haud raro periucundas utilesque fuiſſe, eiusque rei in Aeſchinis Oratoris epiſtola decima, quam *Fontanius* in narratione de Scamandro imitatus eſt, exſtat exemplum.

Neleus[1]) Meſſeniam petiit, ibique Pylon urbem exſtruxit. Duodecim is filios habuit, Taurum, Aſterium, Pylaonem, Deimachum, Eurybium, Epidaum, Rhodium, Eurymenem, Evagoram, Alaſtorem, Neſtorem, Periclymenum, filiamque Peronem, quae Bianti, Amythaonis filio, nupſit. Nelei huius filii, Neſtore, qui armis ferendis nondum idoneus erat, excepto, ab Hercule[2]) interemti ſunt omnes, Neſtorque apud Gerenios educatus eſt. Gereniorum oppidum in confiniis Meſſeniae & Eleuthero-Laconum ſitum fuit. Neſtor in patriam reverſus rebus geſtis inclaruit, ab Homero in Iliade laudatis. Expeditioni is GraecorumIlienſi interfuit, prudentiaque & conſiliis principes multum adiuvit. Anaxibiam duxit uxorem, ex eaque duas genuit filias Piſidicem & Polycaſtam, filiosque ſeptem, Perſeum, Stratichum, Aretum, Echephronem, Piſiſtratum, Antilochum, & Thraſymedem.

Piſiſtrato eiusdem nominis filius fuit. Thraſymedes autem genuit Sillum, Alcmaeonis patrem. Antilochi filius Paeon dictus, cuius filio-

1) Apollod. loc. laud. §. 9. p. 41.
2) Heſiod. Fragm. p. 194. ex edit. Robinſon. Apollodor. l. l.

filiorum nomina ignoramus, ſicuti quoque ceterorum Neſtoris filiorum poſteri a nemine nominantur. Principes iſti omnes [1]) ab Heraclidis, in Peloponeſum redeuntibus, Meſſenia ſpoliati, ex eaque fugati ſunt. Veroſimile eſt Piſiſtratum Athenas conceſſiſſe, eiusque e genere Piſiſtratum illum [2]) famoſum, Athenienſium tyrannum, ortum eſſe. Alcmaeonis quoque & Paeonis filii Athenas migrarunt, nobilesque illi Alcmaeonidae & Paeonidae horum poſteri fuere.

Periclymenus, Nelei filius, Neſtorisque frater, filium reliquit nomine Penthilum, qui Borum genuit, Andropompi patrem, qui Melanthum habuit filium Meſſeniae, poſt Heraclidarum reditum, regem, ex qua, ſicuti ceteri Neſtoridae, pulſus, Atticam petiit, ibique regno potitus eſt.

Tempus quo Piſiſtratus, Alcmaeon, Paeonidae & Melanthus e terris ſuis expulſi ſunt, certum eſt. Heraclidae enim, quod infra cap. XV. demonſtrabimus, Peloponneſum octoginta poſt Troiam captam annis, h. e. anno 3524 Juliano, (2992 Jobeleo Franckiano) 1190 ante Chriſtum, occuparunt.

Graeci ante Olympiadum initium alio nullo, niſi generationum, in temporibus definiendis, uſi ſunt calculo, quod infra de Troiae excidio capite XIII. demonſtrabimus, ſecundum has igitur nos quoque putavimus tempora iſta computanda

 eſſe.

1) Pauſan. in Corinth. ſive lib. 2. c. 18. p. 151.
2) Herod. lib. 5. c. 65.

eſſe. Quae computandi methodus, ſi de paucis tantum quaeſtio eſt generationibus, quamquam incerta ſit, tamen, ſi de pluribus agitur, certiſſima, uti recentioribus e genealogiis probatur. Ludovicus enim XVI. v. c. haud interrupta generationum ſerie a Roberto Forti, Comite Andegavenſi, anno Chriſti 865 mortuo, qui maiorum eius fuit undetrigeſimus, genus ſuum ducit. Numerum autem hunc 29 ſi per numerum 33 multiplicemus, qui quidem ab Herodoto pluribusque veterum unicuique tribui ſolet generationi annorum numerus, 957 annos habebimus, quos a 1783 annis ſi ſubducamus, 826 reſidui erunt anni. Scimus autem Robertum hunc Fortem anno 865 in proelio contra Normanos periiſſe; natum ergo ante annum 826 ſuſpicamur, quia, ſi ſerius lucem adſpexiſſet, mortis tempore 39 tantum vitae annos compleſſet.

Sed ad Nelei poſteros redeamus. Piſiſtratus, Neſtoris nepos, quartus Nelei poſterorum fuit. Alcmaeon autem & Paeonidae fuere quinti, & Melanthus, eodem tempore e Meſſenia pulſus, ſextus inter eiusdem Nelei poſteros fuit. Huius quidem differentiae ratio ſine dubio, vel ſeriora nonnullorum Neſtoris filiorum, quam Periclimenidarum matrimonia fuere, vel iuniorum tantum filiorum poſteri ſervati ſunt. Sed quoquo modo res ſeſe habeat, nos Melanthum calculorum noſtrorum fundamentum fecimus, qui Nelei poſterorum ſextus, & Deucalionis (e Tyrone, Salmonei filia) undecimus fuit. Sunt igitur generationes decem maſculinae, unaque feminina. Decem maſculinae 333 efficiunt annos,

nos, & femininae viginti tribuamus. A Deucalionis igitur nativitate ad Melanthum natum 353 anni elapſi ſunt. Melanthus autem ad minimum aetatis anno 28 vel 30 ab Heraclidis fugatus, qui ſi addantur anni, 383 annos habebimus. Heraclidae autem anno Juliano 3524, (Jobeleo Franckiano 2992,) ante Chriſt. 1190 Melanthum expulerunt. Quo a numero 383 annis ſubtractis, Deucalionis nativitas in Julianum 3141. (Jobeleum Frankianum 2609,) ante Chriſtum 1573 incidit annum. Et hoc cum Euſebianis optime congruit calculis, qui Deucalionem anno Juliano 3173. (Job. Frank. 2643) ante Chriſtum 1541 regnaſſe tradidit, isque in Deucalionis annum aetatis 32 incidit.

Simili quoque ratione Deucalionem circa annum Julianum 3173, (Jobeleum Frankianum 2643), ante Chriſtum 1541 in Theſſalia regnaſſe probatur. Pelasgus, Arcadiae rex, circa annum Julianum 2787, (Job. Fr. 2254) ante Chriſtum 1927 natus dicitur [1]). Sex poſt hunc generationibus Pelasgus, Achaeus & Phthius Theſſaliam [2]) occupantes veteres eius incolas eiecerunt. Colonia haec igitur anno Juliano 2987 (Jobeleo Frankiano 2454) ante Chriſtum 1727 immigravit. Floruit ea per quinque generationes [3]), h. e. ad annum usque Julianum 3154. (Jobeleum Frankianum 2621) ante Chriſtum 1560. Sexta vero generatione Curetes, & Leleges,



1) vid. infra cap. 9. §. 3.
2) Dionyſ. Halic. Lib. 1. §. 17. p. 14.
3) Ibid.

ges, cum multitudine alia populorum Parnaſſi iuga tenentium, Deucalione, Promethei filio, duce, venerunt, colonosque hos, cedere coëgerunt. Comprehendit autem ſexta haec generatio annos a Iuliano 3154 ad 3187 Job. Frank. 2621 ad 2654) Jure igitur Deucalionis regnum, generationibus computatis, in annum Julianum 3173 (Jobeleum Frank. 2640.) ante Chriſtum 1541 incidiſſe indicavimus.

Eo regnante Theſſalia inundata, quo diluvio ab Ovidio Metamorphoſion libro primo deſcripto, omnes periiſſe dicuntur incolae. Scriptores eccleſiaſtici non ignorantes Theſſaliae hanc inundationem Deucalione regnante & Cecrope I Athenarum rege accidiſſe, hoc inter deluvium & Troianae urbis excidium partim 345 annorum intervallum, (quod fecit Euſebius, qui trigeſimo Cecropis anno, h. e. Juliano 3187 (Job. Frank. 2654) ante Chriſt. 1527 id eveniſſe putavit) partim 330 annorum (quae Clementis Alexandrini [1]) eſt opinio) fuiſſe ſuſpicati ſunt, idque in annum Julianum 3202 (Jobeleum Frank. 2669) ante Chriſtum 1512 collocarunt, quia enim Troiae excidium 88 ſerius quam Herodotus & Thucydides tradiderunt, annis factum eſſe opinantur, neceſſario maius, quam re vera fuit, hoc intervallum, ut in Deucalionis & Cecropis I regna incidere poſſet, computare oportuit.

Secundum Marmora Paria diluvium hoc Cranai, Athenarum ſecundi regis, anno quarto, accidit,

---

1) Stromat. lib. I. p. 401.

accidit, qui in Julianum 3185. (Jobelleum Fr. 2652,) ante Chriſtum 1529 incidit, quae computatio ab Euſebiana duobus tantum annis, a Clementina vero ſeptemdecim differt. Huius Chronici auctor, & quos ſequutus eſt, 321 tantum annorum intervallum hoc inter diluvium & Troiae excidium habent, Troiam enim anno Juliano 3506 (Job. Fr. 2974,) ante Chriſt. 1208 captam eſſe volunt, h. e. 26 annos prius, quam Apollodorus, Eratoſthenes, Euſebius & Clemens Alexandrinus eventum hunc accidiſſe tradidere.

Quam ex rationibus infra cap. VIII & XIII. de Chronologia Athenienſium & Excidio Troiano, expoſitis, everſionem Troianorum urbis anno Juliano 3444 (Jobeleo Frank. 2912,) ante Chriſtum 1270 factam, Cecropemque I anno Juliano 3144, (Jobeleo Frank. 2611,) ante Chriſtum 1570 Athenis regnare coepiſſe, ſtatuimus, & generationes computando Deucalionem anno Juliano 3141. (Job. Fr. 2608.) ante Chriſt. 1573 natum invenimus, huius regnum cum Euſebio in annum Julianum 3173, (Jobeleum Frank. 2640.) ante Chriſtum 1541. diluviumque illud cum Marmoribus Pariis in annum Julianum 3185, (Job. Fr. 2652.) ante Chriſtum 1529 collocare non dubitavimus, licet annus iſte, ſecundum noſtram infra, de Athenienſium chronologia capite VIII, expoſitam computationem, non in annum Cranai quartum, ſed in Cecropis I quadrageſimum ſecundum incidat. Intervallum igitur inter Deucalioneum iſtud diluvium & Troianae urbis excidium, ſecundum calculos noſtros, 259 per annos duravit, nec, ſi annos ali-

quot

quot vel maturius vel ſerius diluvium illud acciderit, calculi noſtri quidquam turbantur.

Cecropem I. anno Juliano 3144 (Job. Fr. 2611,) ante Chriſtum 1570, Cranaum anno Juliano 3194 (Job. Fr. 2661,) ante Chriſtum 1520, Amphictyonem tertium Athenienſium regem, anno Juliano 3204 (Job. Fr. 2671) ante Chriſtum 1510 regnare coepiſſe, alio loco demonſtrabimus [1]). Amphyctyon autem, uti ſupra iam diximus, Deucalionem habuit patrem. Haec cum tempore nativitatis Deucalionis conveniunt, optime inter hanc enim, & Amphictyonis regnum Athenienſe 63 tantum anni elapſi ſunt.

Sed aliter ſe habet ad Xuthi quod attinet ſeculum, quod tamen haud minoris eſt momenti. Xuthus hic poſt Hellenis mortem pulſus e Theſſalia, ad Erechtheum confugit Athenarum regem, ab eoque filiam Creuſam in matrimonium accepit. Erechtheus Athenis rex factus eſt anno Juliano 3283 (Job. Fr. 2751) ante Chriſtum 1431. Anno ſequenti Xuthum Athenas veniſſe oportet, idque calculos ſuperiores noſtros turbare videtur. Deucalione enim anno Juliano 3141 (Job. Fr. 2608) ante Chriſt. 1573 nato, Hellenis nativitatis annus Julianus 3174 (Job. Fr. 2641) ante Chriſt. 1540, Xuthique, Hellenis filiorum ſecundi, Julianus 3208 (Job. Fr. 2675) ante Chriſt. 1506 fuerit. Is ergo ſecundum hos calculos eo tempore, quo Athenas confugiſſe filiamque Erechthei duxiſſe dicitur,

76

1) infra cap. VIII. de Chronologia Athenienſium.

76 annos iam natus fuiſſe & quod vero minime ſimile videtur.

At contradictio haec minime vera eſt. Generationum enim plurium ſummam ſi colligamus, eamque aequales in partes dividamus, ſingulae 33 annorum longitudinem habebunt. Sunt autem inter haſce generationes aliae longae, aliae breves. Matrimonia regum alia maturiora, alia ſeriora, prouti rationes eorum poſtulabant, contracta, & filius in regno ſucceſſor, vel qui prolem reliquerat, plures fortaſſe poſt matrimonium initum annos lucem adſpexerit. Quare generationum ſummam colligendo, duo quidem extrema, ortum ſcilicet generis univerſi, eiusque interitum; minime tamen patrum inter primum & ultimum, omnium ſingulorum nativitatem, definire poſſumus, quae ſi neceſſario definienda eſt, ſynchronismum in auxilium vocare oportet. Quis autem negare audet, Deucalionem inprimis & Hellenem ſera contraxiſſe matrimonia? Quis Xuthum a patre Hellene pluribus demum poſt uxorem ductam annis genitum eſſe negabit? Fuiſſe quidem eum ſecundum Hellenis filium traditur, patrem autem ante eum filios nullos plures filiasque procreaſſe, nec, quia tres tantum eius filii nominantur, eum plures non genuiſſe, quis probabit? poſſunt enim reliqui infantes mortui eſſe. Xuthus ergo anno Juliano 3284 (Job. Fr. 2752,) ante Chriſtum 1430 Athenas confugiens annum aetatis 34 agere potuerit. Et anno Juliano 3250, (Jobeleo Frank. 2717) ante Chriſtum 1464 ſi natum eum putemus, inter Deucalionis, huiusque eius nepotis nativitatem 109 anni elapſi

elapſi ſunt, quod minime extraordinarium quid videtur.

Nelei quoque & Neſtoris epochae cum Deucalionis nativitate optime poſſunt conciliari. Neleum enim, infra de Hercule cap. XII, demonſtrabimus, circa annum Julianum 3324. (Jobeleum Frank. 2792) ante Chriſtum 1390, & Neſtorem anno Juliano 3368 (Jobeleo Fr. 2836) ante Chriſtum 1346 natum eſſe. Deucalion ergo circa Julianum 3138 (Jobeleum Frank. 2605) ante Chriſtum 1576 natus videtur, inter quem & Neleum maſculinae quinque, unaque feminina fuerunt generationes, quae 188 annorum ſummam comprehendunt.

Et epochae hae poſtremae cum Herculis rebus geſtis conveniunt optime, de quibus iam nihil monemus & lectores ad caput, quo pluribus de iis egimus, ablegamus. Hanc ergo regulam ſequuti Amphictyonis nativitatem, eiusque regnum Atticum, eum in annum collocavimus, ut ad Cranaum expellendum, eiusque regnum occupandum, idoneus fuerit, Xuthoque 34 tantum annos tribuimus, quum Athenas ſe conferret.

| | Anni Juliani | Anni Jobel. | Anni ante Chriſtum |
|---|---|---|---|
| **Deucalion natus anno -** | 3141 | 2608 | 1573 |
| **regnavit - -** | 3173 | 2640 | 1541 |
| **Amphictyon, Deucalionis filius natus - -** | 3180 | 2647 | 1534 |
| **Diluvium Deucalioneum -** | 3185 | 2652 | 1529 |

**Hellen,**

| | Anni Juliani | Anni Jo. bel. | Anni ante Chriſtum. |
|---|---|---|---|
| Hellen, Deucalionis filius, natus circa annum | 3191 | 2658 | 1523 |
| Amphictyon, Deucalionis filius regnavit Athenis | 3204 | 2671 | 1510 |
| Aeolus, Hellenis filius, natus | 3240 | 2707 | 1474 |
| Xuthus, Aeoli frater natus | 3250 | 2717 | 1464 |
| Salmoneus, Aeoli filius natus | 3271 | 2738 | 1443 |
| Xuthus Athenas confugit | 3284 | 2752 | 1430 |
| Tyro, Salmonei filia, nata | 3304 | 2772 | 1410 |
| Nelius, Tyronis filius, natus | 3324 | 2792 | 1390 |
| Periclymenus, Nelei filius natus | 3350 | 2818 | 1364 |
| Pero, Nelei filia, nata | 3360 | 2828 | 1354 |
| Neſtor, Nelei filius, natus | 3368 | 2836 | 1346 |
| Penthilus, Periclymini filius, natus | 3379 | 2847 | 1335 |
| Borus, Penthili filius, natus | 3416 | 2884 | 1298 |
| Andropompus, Bori filius, natus | 3450 | 2908 | 1264 |
| Melanthus, Andropompi filius, natus | 3486 | 2954 | 1228 |
| Melanthus ab Heraclidis e Meſſenia pulſus | 3524 | 2992 | 1190 |

## §. 2.

### *De Melampo & Biante.*

Melampus 1) Amythaonis erat filius, & per Cretheum a Deucalione ſextus poſterorum Deucalion Juliano 3141 (Job. Fr. 2608) ante Chriſtum 1573 anno natus, Melampus igitur anno Juliano 3341 vel 3343 (Job. Fr. 2809 vel 2811) ante Chriſt. 1373 vel 1371 natus videtur.

Hoc

1) Apollodor. lib. 1. c. 9. §. 2. c. 7. §. 1. 2.

Hoc tempore auguria & haruſpicina longe lateque in uſu fuere, quorum ope non hoc ſolum aevo, ſed & per multa ſequentia, famam atque auctoritatem ſibi vindicabant principes viri, & Melampus quoque his in artibus excelluit. Nos, quae retulit hac de re Apollodorus, hic non repetemus, quem, qui talia cognoſcere cupiunt, adeant, eiusque §. 11 & 12 evolvant, monuiſſe tantummodo, Melampum ipſum eiusque fratrem hac arte ſibi regna acquiſiſſe ſufficiat.

Mulieres Argivae[1]), furore incenſae, domibus relictis, agros camposque pererrabant. Argivi civium ſuorum principes ad Melampum, ut mulieres ſanare vellet, legavere, qui, ſi regni dimidium ab iis acciperet, promiſit. Hanc nimis magnam mercedem primo denegabant, quum vero furor in dies creſceret mulierum, nec remedium ad eum ſanandum ſcirent, quae poſtularat, ſe praeſtaturos polliciti. Sed quo magis eius auxilium deſiderabant, eo plura Melampus poſtulabat, nec ſe Argos prius venturum dicebat, quam fratri quoque tertiam regni partem polliciti ſint. Argivi, neceſſitate coacti, poſtulatis eius ſatisfecere, & mulieres eorum ſanatae. Pindari Scholiaſtes[2]), omiſſis aliis, haec modo refert, Melampum, ſi dimidiam ipſi polliceri vellent regni partem, mulierum ſana-

1) Herod. lib. 9. c. 33. p. 28. Pauſan. lib. 2. c. 18. p. 150.

2) Schol. Pind. ad Nem. Od. 9. v. 30. p. 401 col. 1. lin. 3. a fine edit. Oxon.

ſanationem promiſiſſe, & poſt mulieres in integrum reſtitutas Argivos promiſſis ſtetiſſe ipſique dimidiam regni partem tradidiſſe, quam cum fratre ſuo Biante diviſiſſet. Nec praeter hoc aliud Graeciae regnum in tres partes diviſum [1]) eſt.

Antea vero Melampus [2]) in Aegyptum iam fuerat profectus, exindeque ritus illos ſacros cerimoniasque ſecum retulerat, quibus in Dionyſiis ſuis Graeci utebantur. Idem quoque populo ſuo mythos de Saturno, de Titanum bello deque Deorum affectibus expoſuit. Eadem tradidit Herodotus [3]), qui tamen profectionis eius Aegyptiacae nullam fecit mentionem, ſed Melampum Bacchi cultum a Cadmo, eiusque comitibus Tyriis, qui e Phoenice in Boeotiam immigrarunt, didiciſſe ſcripſit.

Nemo hucusque Herodoteum hunc locum male cohaerentem, ideoque corruptum eſſe vidit, nec tamen perſuadere nobis poſſumus, eum, uti nunc in editis legitur, ſanum eſſe, ſed librariorum vitio verba Herodoti ſine dubio corrupta putamus. Abſunt nempe verba: *Μελάμπους τὰ περὶ τὸν Διόνυσον παρὰ Κάδμου τε τοῦ κ. τ. λ.* tam in codice Sancroftiano Cantabrigienſi, quam in eo, qui in Caeſarea Vindobonenſi Bibliotheca aſſervatur. Quare *Larcherius*: *πυθέσθαι δέ μοι δοκέει μάλιστα Μελάμπους τὰ περὶ τὸν Διόνυσον παρ' ἀπογόνων Κάδμου τε τοῦ Τυρίου κ. τ. λ.* legendum

1) Pauſan. lib. 2. c. 18. p. 150.
2) Diodor. Sic. lib. 1. §. 97.
3) lib. 2. c. 49.

gendum ſuſpicatur. Vox enim ἀπογόνων a librariis facile potuit omitti, & ſenſus vel hanc vel ſimilem aliam ſupplendam neceſſario requirit. Loci tunc ſententia haec eſt:

Melampum Bacchi cultum a Cadmi poſteris Tyriisque iis, qui e Phoenice in Boeotiam immigrarant, accepiſſe. Et eo magis neceſſaria videtur haec emendatio, quia, ſi Herodotus, quae in contexto eius nunc leguntur, ſcripſiſſet, Melampus anno Juliano 3165 (Job. Fr. 2632) ante Chriſtum 1549, ideoque Deucalion anno Juliano 2935 (Job. Fr. 2402) ante Chriſtum 1779 vixiſſet, cui tamen computationi poſterioris genealogia in §. antecedenti deſcripta, contraria videtur. Hercules 1) praeterea, quum 900 ante Herodotum annos, & Cadmus 2) quinque ante Herculem generationes natus dicitur, inde Cadmum circa annum Julianum 3165 (Jobeleum Frank. 2632) ante Chriſtum 1549, & Melampum eodem circiter tempore floruiſſe, ſequeretur, cui Melampi genealogia omnis contraria eſt computationi.

Accedit, Biantem, Melampi fratrem minorem, Nelei filiam Peronem uxorem concupiſſe, eamque Melampo adiutore duxiſſe. Nelius autem Herculis fuit coaevus, qui Pylon urbem cepit, Neleique filios omnes, Neſtore ſolo excepto in huius urbis oppugnatione interfecit. Ex quo Melampum & Herculem coaevos fuiſſe patet, quod e generationibus demon-

1) Herod. lib. 2. c. 145.
2) ibid. c. 44.

monſtratur. Supra §. praecedente Deucalionem anno Juliano 3141 (Job. Fr. 2608) ante Chriſtum 1573 natum probavimus. Melampus autem in recta generationum ſerie poſteriorum eius ſextus fuit. Natus ergo anno Juliano 3341 vel 3343 (Jobeleo Frank. 2809 vel 2811) ante Chriſtum 1373 vel 1371. Nos autem infra capite XII. Herculem anno Juliano 3330 (Job. Fr.) 2798) ante Chriſtum 1384 natum probabimus. Melampus ergo & Hercules fuerunt ſine dubio coaevi. Et harum epocharum convenientia calculos confirmat noſtros, Herodoteumque locum ſupra laudatum a librariis corruptum, affirmat.

Euſebii quoque a noſtris haud multum differunt calculi. Melampus, inquit ille [1]), anno 648 h. e. 593 annos ante primam Olympiadem floruit. Incidit autem Olympias prima in annum Julianum 3938 ((Job. Fr. 3406) ante Chriſtum 776 ſubductis hoc a numero 593 annis, Julianus 3345 (Job. Fr. 2813.) ante Chriſtum 1369 reſiduus erit. Si Melampus eo tempore annos triginta natum, ſupputatur, eius nativitatis annus Julianus 3315. (Job. Frank. 2783) ante Chriſtum 1399 erit, isque 28 tantum annos noſtris a calculis differt.

---

1) Chronic. p. 118.

*Melampi ſtemma.*

| | Anni Juliani | Anni Jobelei | Anni ante Chriſtum |
|---|---|---|---|
| Deucalion natus - | 3141 | 2608 | 1573 |
| Hellen natus - | 3191 | 2658 | 1523 |
| Dorus natus - | 3244 | 2711 | 1470 |
| Cretheus natus - | 3277 | 2745 | 1437 |
| Amithaon natus - | 3310 | 2778 | 1404 |
| Melampus natus - | 3343 | 2801 | 1371 |
| Bias, Melampi frater, natus | 3347 | 2815 | 1367 |
| Bias Nelei filiam Peronem duxit | 3380 | 2848 | 1334 |

# Caput VII.

## *De Lydiae Regibus.*

Longum foret de omnibus, qui Lydiae regum mentionem fecerunt, ſcriptoribus, hic agere, Praecipuos tantum inter recentiores, horumque calculorum ſummam, enumerabimus, neque, niſi auctoritates prae ſe ferant, quae tale quid requirerent, opiniones eorum ſub examen vocabimus, ne in libelli magnitudinem haec excreſcat diſſertatio, cum brevitati nobis ſtudendum ſit.

Cyri expugnatio Sardienſium urbis eſt punctum illud, a quo omnis exit Lydiae regum, tam Heraclidarum, quorum primus fuit Agron, poſtremus Candaules, quam Mermnadum, quorum ſeriem Gyges incipit. Croeſus claudit, chronologiam, Annus ergo, annique tempus, quo Sardes expugnatae ſunt, ante omnia nobis definien-

finiendum eſt. *Uſſerius* [1]) Armacenſis Archiepiſcopus anno Juliano 4166 (Job. Fr. 3634) 548 ante Chriſtum, expugnationem hanc factam putavit, a Solino & Euſebio hanc in opinionem adductus. *Simſonius* [2]) contra in annum quartum Olympiadis 58, h. e. in Julianum 4169 (Job. Fr. 3637) ante Chriſt. 545 eam poſuit: quod enim is vir doctiſſimus annum quartum Olympiadis 58, anno ante Chriſt. 543 eam ob cauſſam reſpondendum putavit, quia annum primum poſt Chriſtum natum in quartum Olympiadis 194 poſuit, qui tamen in ſequentem incidit, annumque, in quo natus eſt Chriſtus, non anno ante aeram noſtram fecit reſpondentem, quod tamen, cum eo iam exeunte natus eſt Chriſtus, neceſſarium eſt, id iam non quaerimus. Ortae autem hoc ex errore ſunt frequentiſſimae hunc apud auctorem inter annos Olympiadum & ante Chriſtianam aeram diſſenſiones. Sed redeamus ad Sardium expugnationem, quam *Petavius* [3]) in annum Julianum 4170 (Job. Fr. 3638) ante Chriſtum 544, inque primum Olympiadis 59 annum poſuit; quocum conſenſit *Buberius* [4]) *Freretus* [5]) anno ante Chriſtum 545 eam accidiſſe ſcripſit, neque tamen addidit, tertiumne an quartum intelligat Olympiadis 58 annum. *Desvignolius* [6]) in Uſſerii

 opinio-

1) Annal. V. & N. T. p. 76.
2) Chronic. Cathol. ad A. M. 3460. p. 645.
3) de Doctr. temp. Vol. 2. p. 307.
4) Rech. & Diſſ. ſur Herod. c. 5.
5) Memoires de l'acad. des belles lettres T. 5. Mem. p. 274.
6) Chronol. de l'hiſt. ſainte tom. 2. liv. 5. c. 14. §. 6. p. 554.

opinionem ivit, eamque anno Juliano 4166 (Job. Fr. 3634) ante Chriſtum 548 eveniſſe tradidit, hunc tamen annum non certum & indubitatum iudicavit, ſed expugnationem hanc duobus vel tribus annis poſtea accidere potuiſſe non negavit. *Corſinius* [1]) denique hanc expugnationem in annum tertium Olympiadis 59, qui eſt Julianus 4172 (Job. Fr. 3640) ante Chriſtum 542 ponendam eſſe, affirmavit.

Omnes inter viros doctos recentiores *Corſinius* hanc Sardium expugnationem ſeriſſime poſuit, opinionem ſuam Marmorum Oxonienſium [2]) teſtimonio confirmatus, in quibus legitur: *Poſt Sardes a Cyro expugnatas, Croeſumque a Pythia deceptum vivum captum 278 anni elapſi ſunt.* Corſinius autem numerum hunc in Marmoribus corruptum, & e coniectura editoris reſtitutum, non obſervavit. Poſtremus Marmorum horum editor *Chandlerius* doctiſſimus priorum editorum rationibus neglectis, ſuo ex ingenio numerum 285 poſuit, cui ante Chriſtum annus 549 reſpondet. Quibus ex rationibus hanc auſus ſit emendationem, editione ſua nullis animadverſionibus ditata, ignoramus. Corſinius autem, epocham hanc integram minime eſſe, haud ignoraſſe videtur, quare addit [3]): *Chronicorum auctor cum Croeſum anno primo Olympiadis 56 regnare coepiſſe ſcripſit, hanc ob cauſſam eius regni finem victoriamque Cyri in Olympiadis 59 annum tertium iure*

1) Faſti Attici T. 3. p. 113.
2) Marm. Oxon. Epocha 43.
3) Faſti Attici T. 3. p. 113.

*iure poſuit.* Sed iterum, idque gravius erravit Corſinius, nam hac ex Epocha, quae eſt quadrageſima ſecunda, & mutilata, ſenſus iſte non poterit erui. Nos eam e *Chandleriana* editione, cum Marmoribus ipſis accuratiſſime collata, h. l. inſeremus: ἀφ' ȣ̃ Κροῖσος . . . Ἀσίας . . . Δελφος α . . . ΔΔΔΔΙΙ. ἄρχοντος Ἀθήνησι τȣ̃ δήμȣ. Lacunas iſtas editores hoc modo ſupplere tentarunt: ἀφ' ȣ̃ Κροῖσος ἐξ Ἀσίας εἰς Δελφȣ̀ς ἀπέπεμψεν ἔτη ΗΗ|Δ̅| ΔΔΔΔΙΙ ἄρχοντος Ἀθήνησιν Εὐθυδήμȣ. *Poſt legationem Croeſi Delphos miſſam 292 ſunt anni, Archon tunc Athenienſium Euthydemus.* Nos quidem hanc epocham recte reſtitutam minime dubitamus: Sed quoquo modo eam interpretemur, de anno, quo Croeſus donaria Delphos miſit, nec ulla ratione de anno, quo regnare coepit, verba Chronographi veteris intelligenda. Quum igitur neque initium neque finem huius regni his ex Marmoribus cognoſcere atque probare poſſumus, alii auctores in auxilium vocandi ſunt.

*Solinus* 1) Sardium urbem captam dixit Olympiade 58, cuius tamen annum haud addidit. Desvignolius 2) eum primum huius Olympiadis annum intellexiſſe putat, veteres enim, inquit, Olympiadem nullo eius addito anno nominantes, primum intelligere ſolent. Verum, hoc quidem de pluribus, at Solinus fere ſemper Olympiadas nominare, earumque annos omittere



1) Polyhiſt. c. 1. p. 8. C.
2) Chronol. de l'hiſt. Sainte. T. 2. liv. 5. c. 14. §. 6. p. 554.

tere ſolet. Secundum *Euſebii*[1]) calculos Croeſus anno primo Olympiadis 58 captus eſt. Sed ſecum ipſe non conſentit Euſebius, dum Sardium expugnationem duobus annis poſteriorem facit, eam enim anno tertio Olympiadis 58 factam tradit, qui vel poſterioribus ſex menſibus anni Jul. 4168 (Job. Fr. 3636) ante Chriſtum 546, vel primis ſex menſibus anni Juliani 4169 (Jobelei Frank. 3637) ante Chriſtum 545 reſpondet. *Soſicrates Rhodius*[2]) Periandrum inquit quadraginta ante Croeſum annos mortuum eſſe, h. e. anno ante 49 Olympiadem. Soſicrates, num, ad Periandri mortis annum quod attinet, erraverit, iam non quaerimus, hoc ſaltem eius ex opinione patet, eum quadraginta ante Croeſum captum annos, annoque Olympiadis 48 quarto Periandrum mortuum, ideoque & Croeſum anno quarto Olympiadis 58 regno ſpoliatum credidiſſe.

Incidit autem annus iſte in poſterius ſemeſtre anni Juliani 4169 Jobelei Frank. 3637) ante Chriſtum 545, & prius ſemeſtre anni Juliani 4170 (Job. Fr. 3638) ante Chriſtum 544. Quaeritur ergo nunc, quo tempore anni Cyrus Lydorum urbem expugnaverit, Croeſumque ceperit.

Croe-

1) Chronogr. Can. p. 163.
2) Σωσικράτης δέ φησι πρότερον Κροίσου τελευτῆσαι αὐτὸν ἔτεσι τετταράκοντα, καὶ ἐνὶ πρὸ τῆς τεσσαρακοστῆς ἐννάτης ὀλυμπιάδος. Diogen. Laert. in Periando lib. 1. ſegm. 96. p. 60.

Croeſus [1]) poſt pugnam Pterienſem infeliciter pugnatam Sardes ſe recepit, ut poſt hiemem elapſum ineunte vere maiori cum exercitu atque validiore bellum renovaret. Belli ſocios dimiſit, hisque ut quinto menſe redirent imperavit. Lacedaemonem quoque & in Aegyptum curſores ad auxilia inde petenda dimiſit. Sed Cyrus, eius veſtigia ſequutus, eum ad Sardes inopinanter oppreſſum iterum devicit, ſtatimque urbem, in quam confugere coactus rex fuerat, oppugnavit, quae poſt quatuordecim dierum oppugnationem una cum rege victoris in poteſtatem venit.

Hinc hiemis initio, menſeque circiter octobri pugnam ad Sardes pugnatam, urbemque hanc captam colligimus. Croeſus enim ſociis, quum dimitteret, ut quinto menſe ad bellum veris initio renovandum redirent imperavit. Menſe igitur Martio ineunte Sardibus eos exſpectavit, & cum imperata haec acciperent ſocii, menſis Septembris vel exiens vel Octobris incipiens erat. Sardes autem ſecundum Soſicratem, ut ſupra iam diximus, anno quarto Olympiadis 58 expugnatae. Croeſus ergo circiter medio menſe octobri anni Juliani 4169 (Job. Fr. 3637) ante Chriſtum 545 captus eſt. Pugna Pterienſis igitur initio aeſtatis ſive veris ſub finem huius anni Juliani commiſſa videtur. Et hoc tempore bene definito recteque computato, annum, quo Gyges Lydorum rex factus, haud difficile inveniemus. Refert enim Herodotus [2]), Croe-



1) Herod. lib. 1. §. 76. &c.
2) Herod. lib. I. c. 14. 16. 25. 86.

ſum 14 annos 14 dies, Alyatten 57 annos Sadyatten 12. Ardyen 49 & Gygem 38 annos regnaſſe. Qui anni ſi colliguntur, 170 erunt, hisque 545 additis annum habebimus Julianum 3999 (Job. Fr. 3467) ante Chriſtum 715, quo Gyges regno potitus eſt.

Heraclidarum dynaſtia ſecundum Herodotum[1]) 505 annos regnum poſſedit, quibus ad 715 additis in annum Julianum 3494 (Job. Fr. 2962) ante Chriſtum 1220 incidimus, quo Agron, Heraclidarum primus, Lydorum rex factus dicitur. Sed hoc in Herodoti loco quaedam ineſt difficultas ab interpretibus eius & commentatoribus vel non animadverſa, vel, quia nodum ſolvere neſcibant, conſilio neglecta.

Herodotus[2]) enim Heraclidarum Lydiae regnum viginti duas per generationes, 505 annos perduraſſe retulit. Locum hunc corruptum eſſe hiſce ex argumentis iudicamus. Vel generationum numerus iuſto maior, vel annorum, quos Heraclidae Lydiam tenuerunt reges, iuſto minor videtur. Ultimum hoc eſſe nequit, additis enim 505 ad 715 annos, quo ſcilicet rex factus eſt Gyges, Agronis primus regni annus in annum Julianum 3494, (Job. Fr. 2962) ante Chriſtum 1220 incidet. Additis porro 166 annis, qui quinque generationibus ab Hercule ad Agronem tribuendi ſunt, Herculis nativitas in annum Julianum 3328 (Job. Frank. 2796) ante Chriſtum 1386 incidet, qui a tempore, quo Her-

1) lib. 1. c. 7.
2) ibid.

Herculem Herodotus natum putavit, duos tantum annos differt. Vitium ergo in annorum, quos regnum Heraclidarum duravit, ſumma non latet; & generationum numeri falſi videntur. Herodotus [1]) ipſe tribus generationibus annos tribuit centum viginti duo, generationes igitur 733 annos duraſſe videntur; his ad 715 additis, ad annum nempe, quo Gyges rex factus dicitur, Agronis primus annus in Julianum 3266, (Job. Fr. 2733) ante Chriſtum 1448 incideret. Antecedit autem annus iſte Herculis nativitatem 66 annis, quem, uti cap XII de Hercule demonſtrabimus, Herodotus anno Juliano 3330, (Job. Fr. 3798) ante Chriſtum 1384 natum putavit [2]). Et his, ſi quinque adhuc generationes ab Agrone ad Herculem addere vellemus, quam ſummam habituri foremus? Addendi eſſent 166 anni, & Herculis nativitatem ab Herodoto computatam 232 annos hic numerus antecederet. Corruptus igitur ſine dubio locus Herodoteus, quia 505 anni quindecim tantum generationes comprehendunt, & verba: *ἄρξαντες μὲν ἐπὶ δύο καὶ εἴκοσι γενεὰς ἀνδρῶν* emendanda cum Larcherio *ἄρξαντες μὲν ἐπὶ πεντεκαίδεκα γενεὰς ἀνδρῶν* iudicamus. Hac emendatione lucem Herodoto accendimus, eumque non hoc ſolum, ſed & aliis in locis, ubi de Hercule eiusque progenie loquitur, ſibi ipſi conſentientem reddimus.

Cap.

1) lib. 2. c. 145.
2) ibid. cap. 142.

# Caput. VIII.

## *Chronologia Athenienſium.*

De vetuſtis temporibus iſtis, ſi, quantum quidem fieri poteſt, clare, & ad veritatem ut quam proxime accedamus, cogitare volumus, fixa quaedam &, ſi ullo modo fieri poterit, certa puncta ſtatuamus, & intervalla temporum inter iſta puncta, ſecundum rationes maxime veroſimiles deſcribamus oportet. Hac enim tempora figendi methodo ſi non certiſſimos, numeros tamen inveniemus, qui a veris certisque haud ita multum aberrabunt; & a temporum ſcrutatore, qui vetuſtiſſimis in ſeculis, quae monumentis deſtituta ſunt, illuſtrandis, operam ſuam collocat, plura melioraque quis poterit poſtulare? Puncta igitur fixa, ſive Epochae, nobis erunt, 1) Ogygis regnum. 2) Ogygium diluvium Cecropisque annus primus. 3) Melanthi annus primus. 4) Medontis, primi perpetui Archontis, annus primus. 5) Aeſchyli, perpetuorum Archontum duodecimi, annus primus.

### §. 1.

### *De Regno Ogygis.*

Ogyges omnium huius terrae qui cogniti ſunt regum antiquiſſimus eſt. Athenienſes [1]) ipſi

1) Ἀπὸ Ὠγύγȣ τȣ̃ παρ' ἐκείνοις (Ἀθηναίοις) αὐτόχθονος πιςευέντος. Africani Chronog. apud. Euſeb. Praepar. Evang. lib. 10. c. 10. p. 488. D.

ipſi eum indigenam crediderunt, & ab Euſebio 1) regibus Atticis annumeratur. Theophilus 2) quoque ad Autolicum eum habet, quamquam verba huius haud parum corrupta ſunt. Τότε μὲν τῆς χώρας ἐκείνης Ἄκτης κληθείσης, νῦν δὲ Ἀττικῆς προσαγορευομένης, ἧς ὁ Γύγες τότε ἦρξη. Patres Benedictini, qui hanc curarunt editionem, minime cogitarunt, corruptelam hoc lóco ineſſe, quae tamen in oculos incurrit, facileque poteſt emendari. Quid enim facilius eſt, quam, uti Meurſius 3) doctiſſimus proximo iam ſeculo coniecit, ἧς Ὤγυγος τότε ἦρξε, emendare, verbaque ſic interpretari: Ogyges tunc temporis in terra Acte dicta, quam Atticam nunc appellamus, regnavit.

Hellanicus 4) & Philochorus, qui de rebus Athenienſium ſcripſerunt, Caſtor & Thallus, qui Syrorum hiſtoriam compoſuerunt, Diodorus Siculus qui Bibliothecae ſuae hiſtoricae omnium populorum res inſeruit, & Alexander Polyhiſtor, hi teſtantur omnes, Ogygem 1020 annos ante primam Olympiadem regnaſſe. Huius igitur principis regnum in Julianum 2918 (Jobeleum Frank. 2385) ante Chriſtum 1796 incidit.

Acci-

---

1) Euſeb. Chron. lib. poſter. p. 66.
2) Theophil. ad Autolyc. lib. 3. p. 399. B.
3) Meurſius de regib. Athenienſ. lib. 1. c. 3.
4) Africani Chronogr. apud Euſeb. Praepar. Evang. lib. 10. c. 10. p. 488. D. 489. A. Hellanici Lesbii Fragm. a Sturzio collecta p. 51.

Accidit eo regnante, ut Attica omnis magna devaſtaretur inundatione, quae, maxima incolarum parte ſuffocata, reliquias fuga ſalutem quaerere coegit. Hos inter fugientes ſine dubio fuit Ogyges. Poſt Ogygem igitur haec terra ad Cecropem usque rege caruit, & quae eius ad huius initium regni fata fuere ignoramus; unde novi advenerint incolae, qua civitatis forma ſint uſi, num ferorum incultorumque barbarorum more forma reipublicae caruerint omni, & in anarchia vixerint, neſcimus. Actaeum enim, ceterosque, qui Ogygis ſucceſſores dicuntur reges, numquam extitiſſe, Philochorus[1]) iam tradidit. Sed quaecunque fuerint Atticae terrae poſt Ogygiam inundationem fata, Cecrops, ſi Julio[2]) Africano fidem habeamus, 189 poſt hoc diluvium annos, rex factus eſt. Sed huius diluvii tempus ante definiri nequit, quam annum, quo Cecrops regnum adeptus ſit, invenimus.

§. 2.

*Ogygium diluvium. Cecropis annus primus.*

Marmora Paria [3]) primum Cecropis annum in annum 1318 aerae Atticae, qui Juliano 3132, (Job. Fr. 2599) ante Chriſtum 1582 reſpondet, incidiſſe teſtantur. Euſebius annum Julianum 3158 Jobeleum Frank. 2625) ante Chriſtum 1556; &

1) African. ap. Euſeb. loc. laud. p. 490. A. Syncelli Chronogr. p. 148. Pariſ. 118. Ven.
2) Apud Euſebium Praep. Evang. p. 490. A.
3) Epocha 1. p. 19.

& Syncellus [1]) annum orbis 3945, qui Juliano 3159 (Job. Fr. 2626) ante Chriſtum 1555 reſpondet, primum Cecropis regni annum fuiſſe, tradunt, differunt igitur a Marmoribus Euſebius & Syncellus 26 annis. Sed minus iſte diſſenſus eſt mirandus quam horum temporis ſcrutatorum in regnis a Cecrope ad ultimum Meneſthei annum conſenſus, quibus uterque 374 annorum durationem tribuit. Cuinam ergo harum computationum accedamus? Quae verior videtur? Num utraque erronea, ideoque reprobanda? Haec iam quam breviſſime fieri poterit, inveſtigabimus.

Epochae in Graecorum hiſtoriis ante primam Olympiadem omnes incertae. Generationes numerare ſolebant, ſi tempora, quae Olympiadas anteceſſerunt, computare vellent. & haec quidem tempora definiendi ratio, ſi generationum ſatis magnum numerum computare volumus, a veritate parum recedere videtur, ſed, ſi paucas tantum computamus, incertiſſima, errandique periculo valde obnoxia. Generationes iſtae non obiter, ſed accurate ſunt computandae. Filo enim ſemel abrupto, non generationes, ſed ſucceſſiones potius, erunt, & alia via ineunda eſt, ut, quam proxime fieri poſſit, ad veritatem accedamus. Hoc quidem extra

1) Syncellus primos undecim reges 486 annos regnaſſe dixit, quia Meneſtheo contra omnem auctoritatem 33 regni annos tribuit, qui 23 tantum regnavit. Succeſſori eius Demophonti, qui 33 annos regnavit, 30 tantum tribuit, ut calculos hoc modo ſenſim reſpondentes ſibi reddat.

extra dubium nobis videtur, Euſebium, ad definiendum Cecropis regni initium, nullis aliis, niſi generationum, calculis uſum eſſe, vel ipſe ſi his uſus non ſit, auctores qui uſi fuerant, deſcripſiſſe. Nobis quidem hanc eum iniiſſe viam veroſimile eſt.

Apollodorus & Eratoſthenes chronologias ſuas a capta Troia, vel ſi altius redirent, ab Herculis nativitate, incepere. Evidens hoc eſt, ex eo, quod Lacedaemoniorum regiam domum, ab Hercule originem ducentem, calculorum fundamentum fecere. Nos probatione huius rei, de qua infra, de Troiae excidio capite XIII copioſius agemus, hoc loco poſſumus ſuperſedere. Euſebius, qui horum duorum ſcriptorum preſſe ſequi veſtigia ſibi propoſuit, his ab auctoribus ſuis epocham Troiani excidii petiit, ſed Athenienſium de regibus nihil apud eos inveniens, ad Chronici Parii conditorem, vel ad eos, e quibus ille ſua hauſit, auctores recurrit. Hoc in Chronico cum 374 annorum intervallum inter Cecropis primum, poſtremumque Meneſthei annum inveniret, id adoptavit, hoſque ab anno, quo Troia capta dicitur, quem apud Apollodorum & Eratoſthenem invenerat, ſubtraxit. Et hac uſus methodo annum Julianum 3178 (Iob. Fr. 2625) ante Chriſtum 1556, Cecropis primum fuiſſe reperit. At, eo magis vituperanda eſt haec ratio Euſebiana, quia duo is Chronologiae ſyſtemata confudit, Apollodorum enim & Eratoſthenem, ſi ad Cecropis huius regnum rationes ſuas perducere voluiſſent, in longe alium annum initium eius regni collocaturos fuiſſe, nemini dubium eſſe poteſt.

Syn-

Syncellus Euſebio, ſi de Aſſyriis quaeſtio eſt, in nonnullis contradicens, eum Graecis in rebus fere ſemper ſequi ſolet. Euſebius inter Cecropis primum, poſtremumque Meneſthei annum 375 annos praeteriiſſe putarat. Syncellus, cuius in mentem non venit, Euſebium duas a ſe diverſas temporum computationes confudiſſe, idem intervallum inter Cecropis regni initium & Meneſthei finem habet. In editionibus Syncelli intervallo hoc temporis 386 annorum durationem tribui non ignoramus; ſed error hic librariorum videtur culpae deberi, qui Meneſthei regno 33 annorum durationem adſcripſerunt, qui tamen non plus 23 annis regnavit. Hi librarii, turbatam intelligentes Atticorum temporum rationem, & Olympiadem primam, quae certa erat Epocha, & a qua non licebat aberrare, decem annos ſerius collocandam fore Demophonti decem iſtos annos adimere potius, quam vel hunc errorem committere vel ſuperiorem in Meneſthei annis commiſſam emendare maluerunt; quare Demophontem, qui 33 annos regnarat, 23 tantum regnaſſe ſcripſerunt; Syncellum igitur optime cum Euſebio conſentire patet.

Auctores autem hi duo fere ſoli ſunt, inter Chriſtianos veteres, qui Chronologiae ſyſtemata condiderunt, noſtris temporibus ſervata. Primis enim poſt Chriſtianismum ortum ſeculis ſibi propoſuerant viri eruditi his ſacris addicti, Graecorum recentem originem docere, ſimulque demonſtrare, hos omnes ſuas artes atque ſcientias aliis a populis accepiſſe, doctrinasque ſuas ethicas, legesque Hebraeis e fon-

tibus hauſiſſe. Talibus namque argumentis religiones ſuas contra hoſtium oppugnationes defendere volebant, nec victoriam ſe hoſtibus facillimam redditūros videbant, armis talibus futilibus rem ſuam propugnantes. Praeiudiciis decepti neglexere omnia, temporumque rationes, nullo veritatis habito reſpectu, eas praetulere, quae ſeculo paene iuniores redderent Graecos. In pueritia nempe tunc verſabatur criticum temporum ſtudium, quare neſciebant, ſi Graecorum de antiquitate nihil detraherent, hos tamen Judaeis & Aegyptiis longe iuniorem populum futurum. Graecos quoque ab Aegyptiacis & Aſiaticis populis multa accepiſſe, Cecropisque in primis & Danai colonos una cum Cadmaeis, humaniores cultioresque reddidiſſe Graeciae veteris incolas, ferarum more viventes, nemo inficias ibit: ſed nemo profecto, ullum Graecorum populum a Judaeis quidquam accepiſſe, nec eos ante Alexandri M. victorias huius ullam cognitionem habuiſſe, probabit. Nihilominus tamen temporum ſcrutatores recentiores, qui Hebraeorum calculos aliorum populorum annis conſentientes reddere ſtudebant, tale chronologiae ſyſtema vel totum, vel eius partes adoptarunt, quod opinionibus ſuis favere videbatur, neque antea, calculi iſti num cum ſe ipſi conſtarent, num plures ſibi invicem contrarias, nec inter ſe cohaerentes rationes confunderent, num partes eius ſingulae firmo niterentur fundamento, perſcrutati ſunt. Qui ſi hoc examen, critica arte adiuti, inſtituiſſent, maxima nos profecto obligatione obſtrinxiſſent. Sed plane neglecto ab iis hoc examine, quod ne

ne in mentem quidem ulli eorum venit, nos laborem hunc ſuſcipiendum duximus, & licet non in omnibus partibus eius perſcrutatio iſta nobis ſuccedat, gratiam tamen, nova hac a nobis via monſtrata initaque, merituros, cogitantes.

Euſebium & Syncellum in Troiae excidio definiendo Apollodori & Eratoſthenis rationes probaſſe, nemini dubium eſſe poteſt. Nec alterum hoc quisquam negabit, eos in calculis Atticis Chronico Pario, auctoribusque iis, quos Chronici iſtius conditor ſequutus eſt, fontibus eſſe uſos. Nos Apollodori & Eratoſthenis de Troiano excidio calculos capite XIII ſub examen vocabimus, ad Athenienſium autem chronologiam quod attinet, eam nunc explicare tentabimus.

Graecis ante Olympiadum initium, nonnullas tantum epochas certo fuiſſe cognitas, ſupra iam monuimus, qui ergo, ſi res ſuas in ordinem redigere, harumque tempora quodammodo figere vellent, generationum computatione uti ſolebant. Chronici Parii auctor & quos ipſe ſequutus eſt auctores, id fecere nec aliter tempora computare potuere Calculorum autem ſuorum fundamentum poſuere Troianae urbis excidium quod Juliano 3505 (Job. Fr. 2973) ante Chriſtum 1209, vel potius anno ſequenti, eveniſſe ſtatuere. Quibus rationibus commotus, Chronici iſtius auctor hunc in annum poſuerit Troianum excidium, iam non quaerimus, id enim capiti reſervamus, ubi de Troia capta uberius agemus. Hac ab epocha, veluti a puncto quodam fixo atque certiſſimo, exiens,

ab ultimo, quod in Troiani excidii annum incidit, Meneſthei regis anno ad primum usque Cecropis retro computans, Demophonte Meneſthei ſucceſſore incluſo; duodecim numeravit reges, in generationibus enim computandis extremae ſemper includi ſolent. Duodecim hos reges, porro ſtatuit, filios ſemper fuiſſe patribus ſuccedentes ideoque tot generationes, quot reges numeravit, & ad generationum regulas regnorum durationem deſcripſit. Comprehendunt autem duodecim generationes annos 400. Secundum igitur hoc ſyſtema Cecrops 400 annos ante Troiam captam natus dicitur. Hunc Chronici auctor 27 annos natum regem factum tradidit, quod vero haud abſimile videtur. Aegyptius is fuit, regio, ut videtur, e ſanguine natus, florente vigenteque vivens aetate. Num, quia privatus vivere nollet in patria, vel ſpe ambitioſa deiectus, exilium patriae praetulerit, neſcimus, certum eſt, eum, Aegypto relicta, novas ſedes quaerentem, in Atticam delatum, ibi regnum in colonos ſuos & indigenas ſibi vindicaſſe. Aegyptus iam longa per ſecula civitate utebatur cultiſſima, in eaque artes & ſcientiae florebant. Vix quidem dubium eſſe poteſt, Atticam ante inundationem Ogygiam artes, praeſertim eas iam coluiſſe, quas neceſſitas docere ſolet mortales, quae enim vel maxima rudis civitatis forma carere poſſet artibus omnibus? Sed longe maxima eius incolarum pars diluvio iſto ſuffocata videtur, reliqui diſſipati, & qui poſt terram denuo ſiccatam redierunt, ferarum more vagantes, & in artibus rudes fuiſſe, vixiſſeque videntur. Facillime fuit

ergo

ergo principi, cultis e terris advenienti, arteſque & ſcientias, vitae commoda, legesque bonas ſecum adferenti, dominatum in homines ſibi vindicare, qui, ab humanitate alieni paene omni, eum a coelo ſibi miſſum Deum tutoremque credebant 1).

Chronici Parii auctor Cecropem, uti vidimus, anno Juliano 3105 (Job. Fr. 2572) ante Chriſtum 1609 natum putavit, eumque, veroſimilibus adductus rationibus, anno aetatis 27 in Atticam adveniſſe ſtatuit, uti anno Juliano 3132 (Job. Fr. 2599) ante Chriſtum 1582 regnum ſibi vindicaſſe creditur.

Hac methodo uſi ſunt Chronici Parii auctor, & qui eum ſequuntur Euſebius & Syncellus, qui eo conſentiunt omnes, inter Cecropis primum, poſtremumque Meneſthei annum 375 annorum intervallum fuiſſe; eorumque in primo Cecropis anno diſſenſus, ex eo, quod Troianam varie computarant epocham, eamque diverſos in anos poſuerant, ortus eſt.

Nos tamen graviter erraſſe hos ſcriptores contendimus. Duodecim enim iſti reges minime fuere filii patribus ſuccedentes, ideoque non generationum ad normam computandi. Cecrops I fuit Aegyptius, Cranaus Athenienſis,

M 3 neque

1) de cauſſis emigrationis Cecropis cum Saiticis colonis vid. *Gattererus* in *Weltgeſchichte* P. I. p. 221. qui rem optime explicuiſſe videtur, Cecropemque putat; tyrannidis τῶν Hycſos impatientem, quindecim poſt Moſen natum annis, Aegypto relicta in Atticam navigaſſe.

neque Cecropi ſanguine cognatus. Amphictyon gener, non filius, Cranai fuit. Erichthonius, Vulcani filius, expulit Amphictyonem, qui antea Cranaum expulerat. Qui hunc exceperunt reges, eorum pater quisque filium habuit regni haeredem, ſolo Meneſtheo, alio e genere orto, excepto. De Cecrope tamen ſecundo, & Pandione dubitari poteſt, quippe quem primum Euſebius & Syncellus Erichthonii fratrem non filium, alterum autem, filium, non nepotem Erechthei dixere. Exinde numerum generationum valde parvum eſſe patet, eisque quaſi norma, ad regum horum regna definienda uti non poſſumus; & minore adhuc ſucceſſionum numero, horum uſus quoque minor eſt. Quare medium quendam inter 33 & 19 numerum ſumere oportuiſſet, quia numeri hi ad generationum & ſucceſſionum durationem definiendam adhiberi ſolent. Nos igitur 25 ſumamus, eumque numerum duodecies augeamus. Summa erit 300. Quem numerum ſi ad annum 1209, quo, ſecundum Chronicon Parium, Troia capta eſt, adiiciamus, inde patet, huius auctorem Cecropis regni initium in annum Julianum 3205 (Job. Fr. 2672) ante Chriſtum 1509, & Euſebium in Julianum 3132, (Job. Fr. 2599) ante Chriſtum 1482. collocare debuiſſe, quod ſi feciſſent, intervallum ſaltem inter Cecropis regni initium & Meneſthei mortem, quantum quidem fieri poteſt, ordine generationum interrupto, accurate computaſſent; ſed nihilominus tamen eorum, circa verum Troiani excidii annum errantium vitioſa fuiſſet computatio.

Iam,

Iam, quod infra de excidio Troiano capite demonſtrabimus, Troiam anno Juliano 3444 (Job. Frank. 2912) ante Chriſtum 1270 captam eſſe ponamus. Meneſtheus igitur hoc anno mortuus eſt; & ſecundum principia noſtra ſupra explicata Cecrops anno Juliano 3144 (Job. Fr. 2611) ante Chriſtum 1570 regno potitus eſt. Si Ogygia illa inundatio 189 ante huius adventum anno facta eſt, quod ſecundum Africanum nos ſupra ſtatuimus, inde eam anno Juliano 2955 (Job. Frank. 2422) ante Chriſtum 1759, ideoque Ogygis regni 37 anno accidiſſe, perſpicuum erit.

Chronici Parii auctor itemque Euſebius & Syncellus, intervallum temporis inter Cecropis primum, poſtremumque Meneſthei annum 875 circiter annorum putarunt, eamque ob cauſſam tam longas regnorum durationes, quam vix ulla in hiſtoria occurrunt, regibus his tribuerunt. Nos longitudinem huius intervalli trecentorum tantum annorum eſſe demonſtravimus. Quare durationem horum regnorum neceſſario breviorem reddere oportuit, nullo horum auctorum reſpectu habito, qui ex errore tam longa his regibus regna tribuere, & cum libera nobis fuit trecentorum horum annorum diſtributio, nos quoque regibus, quibus Marmora Paria & Euſebius longiora dedere regna, plures adſcripſimus annos, eosque ita diſtribui placuit, ut eventus praecipui, qui in hiſtoriis memorantur, in eorum regum incidere potuerint regna, quibus tribui vulgo ſolent.

Poſtremus Meneſthei annus ſine omni dubio eſt Julianus 3444 (Job. Fr. 2912) ante Chri-

ſtum 1270 regnavit is 23 annos, primus igitur eius annus in Julianum 3421 (Job. Fr. 2889) ante Chriſt 1293 incidit. Erechthei [1]) e genere per Peteum & Orneum originem ducebat, in quarta igitur generatione locum habebat. Quatuor autem generationes 133 annos efficiunt. Inter Erechthei igitur regni initium & Meneſthei annum regni primum 138 annos elapſos ſtatuimus. Theſei regno infra 29 annos tribuere non poſſumus. Euſebius & Syncellus eum triginta regnaſſe retulerunt, & cum Herculis commilito fuiſſe dicitur, nos natum eum anno Jul. 3359 Job.Fr 2827) ante Chriſt. 1355 putamus Regum eius antecesſorum annos noſtro ex arbitrio diſtribuimus, excepto tamen Cecrope, cuius, ex noſtra quidem opinione, regnum fundamento ſatis inconcuſſo nititur. En tabulam ſivo canonem chronologicum horum regnorum.

| | Anni Juliani | Anni Jobel. | Anni ante Chriſtum. |
|---|---|---|---|
| Ogyges | 2918 | 2375 | 1796 |
| Diluvium | 2955 | 2422 | 1759 |
| Cecrops rex primus | 3144 | 2611 | 1570 |
| Cranaus ſecundus rex | 3194 | 2662 | 1520 |
| Amphictyon tertius rex | 3204 | 2671 | 1510 |
| Erichthonius quartus rex | 3216 | 2683 | 1498 |
| Pandion I. quintus rex | 3252 | 2699 | 1462 |
| Erechtheus, ſextus rex | 3283 | 2751 | 1431 |

Ce-

1) Plutarch. in Theſeo p. 15. B.

| | Anni Juliani | Anni Jobel. | Anni ante Chriſtum |
|---|---|---|---|
| Cecrops II. ſeptimus rex - | 3317 | 2785 | 1397 |
| Pandion II. octavus rex - | 3342 | 2810 | 1372 |
| Aegeus, nonus rex - | 3360 | 2828 | 1354 |
| Theſeus, decimus rex - | 3392 | 2860 | 1322 |
| Meneſtheus, undecimus rex | 3421 | 2889 | 1293 |
| Meneſtheus obiit - | 3444 | 2912 | 1270 |

## §. 3.

### *De primo regni Melanthi anno.*

Melanthus Meſſeniae fuit rex, Neleique nepotum ſextus [1]). Heraclidae Peloponneſum occupantes eum regno ſuo ſpoliarunt [2]). Athenas confugit. Athenienſes eo tempore cum Boeotiis bellum gerebant Melaenarum [3]) cauſſa, oppidi in confiniis Atticae & Boeotiae ſiti. Athenienſes duce Thymoete ipſorum rege, Xantho duce Boeotii militabant. Convenere utrique, ut reges utriusque populi de victoria decertarent, quod certamen inire nolens Thymoetes, regno ſtatim a ſuis privatus eſt. Melanthus Athenienſium in exercitu commilito certamen hoc ſuſcepit, ex eoque victor rediens rex ſalutatur. Heraclidarum in Peloponneſum reditus in annum Julianum 3524, (Job. Fr. 2992) ante Chriſtum 1190 incidit, quod capite XV. probabimus.



1) Pauſan. Corinth. ſive lib. 2. c. 18. p. 151.
2) Id. ibid. p. 152.
3) Polyaeni Stratag. lib. 1. c. 19. p. 38 & 39.

bimus. Sunt igitur Troiano ab excidio ad Peloponneſum ab Heraclidis occupatam, octoginta anni elapſi, totidemque inter primum regni annum Demophontis eundemque Melanthi praeteriere. Euſebius interim regni Demophontis, Oxyntis, Aphidae & Thymoetis annos tantum 54 duraſſe tradit, ſed nimium eum de regnis horum principum detraxiſſe patet. At quibus commotus rationibus hoc feciſſe videtur auctor iſte, qui annos iis adiicere potius debuiſſet, cum ſecundum generationes, uti ſupra iam oſtendimus, numeros ſuos computare ſolet? Videtur quidem haec obiectio momenti quid habere, neque tamen ſatis valida eſt. Melanthi regnum ſecundum generationum normam fixerat Euſebius; isque de tredecim generationibus, a primo Melanthi anno ad Archontis Aeſchyli primum unam ideo ſubtrahendam duxit, quia non ſolum Codrus interfectus eſt, ſed & annus non aetatis Melanthi verum Attici eius regni primus erat definiendus. Habent autem 12 generationes 30 annorum, annos 360, qui, ſi ad 776 addantur, quo anno Olympiades ſunt inſtitutae, annum inveniemus Julianum 3578 (Job. Frank. 3046) ante Chriſtum 1136. Annum is tamen Melanthi primum novem annis ſeriorem ſtatuit, quia Caſtoris preſſa ſequebatur veſtigia, qui Melantho & Codro 58 regni annos tribuerat itemque Eratoſthenis, qui colonos in Ioniam emigraſſe ait 60 anno poſt Peloponneſum ab Heraclidis occupatam. Neceſſitate igitur coactus, quia Melanthum in annum Julianum 3587 (Job. Fr. 3055) ante Chriſt. 1127 collocarat, quatuor eius anteceſſorum regna breviora computavit. Eu-

Euſebii methodus haec vitioſa: meminiſſe is debuiſſet, Thymoeten Aphidae fratrem, & regno privatum fuiſſe. Quatuor ergo reges illi non generationum ſed ſucceſſionum ad normam computandi; habent autem quatuor ſucceſſiones, ſi undeviginti unicuique tribuamus, 76 annos, qui numerus ad 80 annorum ſpatium proxime ſatis accedit, quod auctores fide digniſſimi Troianum inter excidium & Heraclidarum reditum, vel inter excidium illud & Melanthi primum annum, interponunt. Nos igitur regnorum aliquot durationes, ut omnium ſumma 80 annos expleret, prolongandas duximus. Aphidae regnum perbreve fuit, & ſi fides Euſebio habenda, non ultra annum is regnavit. Eoque lubentius in Euſebii ſententiam de Thymoedis huius ſucceſſoris regno acceſſimus, qui octo hunc annos regnaſſe tradidit, vigente nempe virili aetate fuiſſe oportuit Thymoeten cum regno privaretur, alias enim pugna ad quam á Xantho provocabatur minime fuiſſet aequalis, nec ſine ſumma iniuria eum ob pugnam hanc denegatam regno privare potuiſſent Athenienſes. Quare nos quoque regibus his duobus novem annos, ab Euſebio iis adſcriptos tribuimus, & Demophontis Oxyntisque regna tantum prolongamus, ut auctorum 7 annorum duratio ſit. Neceſſaria profecto haec prolongatio; nam quatuor horum regum regna octoginta annorum durationem habuerunt, 80 enim annos omnes temporum ſcrutatores antiqui a capta Troia ad Heraclidarum reditum, qui primo Melanthi anno redierunt, praeteriiſſe ſtatuerunt, & Aphidae Thymoetisque regna, ob rationes iam expoſitas, perbrevia fuerunt.

Sed

Sed Euſebius fortaſſe curas iſtas, quas ſuppoſuimus, non impenderit. Certum enim eſt, Apollodorum & Eratoſthenem Troianae urbis excidium & Heraclidarum reditum ſecundum Lacedaemoniorum regum ſeriem computaſſe. Diodorus Siculus & Plutarchus z) hoc expreſſis verbis tradidere. Et vero haud abſimile videtur, viros iſtos doctos non univerſae Graeciae chronologiam explicaſſe, ſed in Lacedaemonum tantum epochis deſcribendis occupatos, ad Herculem usque regii generis Laconici auctorem rediiſſe. Euſebius chronologiam orbis univerſi explicandam ſibi propoſuerat; animadvertensque Eratoſthenis temporum doctrinam valde aeſtimatam eſſe, hanc ſine ulla dubitatione ſequi ſtatuit, ad Herculis, Troiae captae, Heraclidarum reditus & Lacedaemonum regum epochas quod attinet. Juncta autem his Athenienſium chronologia, regum & Archontum Atticorum imperia neceſſario breviora computare debuit, quia, cuius auctoritatem ſequebatur Eratoſthenes, cuius methodum vitioſam alio loco demonſtrabimus, Lacedaemonum regum regna nimis brevia computarat. Idem Euſebius in regum Atticorum ante Troiam captam chronologia, duce vel privatus omni, vel Dicaearchum, auctoremve Chronici Parii praeeuntes habuit; quod poſtremum eam ob cauſſam veroſimile videtur, quia regibus Athenienſium a Cecrope ad Meneſtheum eosdem quos Marmora

z) Diodor. Sic. lib. 1. p. 9. Plutarch. in Lycurg. p. 39. F.

mora numerant, annos adſcripſit. Quod autem Cecropis annum primum cum Marmoribus non conſentientem habet, diſſenſus huius cauſſa in varia Troiana opocha quaerenda, hanc enim Marmora anno Juliano 3505 (Job. Frank. 2973) ante Chriſtum 1209 captam dixere, indeque ad Cecropem rediere, Euſebius contra Troianum excidium, Eratoſthenem ſequutus, in Julianum annum 3532 (Job Fr. 3000) ante Chriſtum 1182 collocavit, ideoque, cum e Marmoribus Pariis vel alio quodam auctore cum his conſentiente, regum Atticorum a Cecrope ad Meneſtheum usque annos excerperet, neceſſario Cecropis regni initium 26 annos ſerius collocare debuit, quam calculi Marmorum docebant.

Euſebius ergo unum idemque temporum computandorum ſyſtema ſequutus videtur, alium aliumque, prouti placeret, exhauſit fontem. E Cteſia v. c. ſumſit Aſſyriaca; e Marmoribus Pariis, vel iis ex auctoribus, e quibus chronicon hoc compoſitum eſt, Athenienſium regum annos, ex Eratoſthene & Apollodoro omnia quae de Laconicis regibus habet, petit &c. Temporum igitur computationes plures collegit, in unumque corpus redegit, epochasque vel longiores vel breviores reddidit, prouti rationes ſuae poſtulabant, neque univerſum operis ambitum ſimul ante oculos habuit, neque rationes calculosve ſuos profunde ſatis examinavit. Fortaſſis quoque Euſebio plura maioraque ſupra tribuimus, quam vere poſſunt praedicari, Dixeramus enim eum Athenienſium regum regna a Cecrope ad Meneſtheum ſecundum

dum generationes computaſſe. Nunc autem magis nobis arridet contendere, eum annos regnorum primorum vel e Pario vel ex alio quodam Attico Chronico petiiſſe, poſteriorum autem ex Eratoſthene deſcripſiſſe, omniaque, quae Atticis in chronicis de regibus, archontibus invenerat, eo conſilio contraxiſſe, ut cum Eratoſthenea temporum doctrina in regibus Laconicis conſentire poſſent. Quare hunc auctorem in durationibus regnorum & imperiorum archontum parum convenire cum Marmoribus, non mirandum eſt, & quae iam expoſuimus minimi momenti ad temporum doctrinam quod attinet eſſe demonſtrant.

## §. 4.

*De Medontis, primi perpetui Archontis anno primo.*

Caſtor 1) Melanthum & Codrum in univerſum annos 58 regnaſſe docet. Finis igitur regni Codri & primus Medontis Archontis annus Julianus 3582 (Job. Frank. 3050) ante Chriſtum 1132 fuit. Euſebius ſine dubio Caſtoris calculos ante oculos habuit, cum Melantho 37. Codro 21 annos, qui 58 efficiunt, adſcripſi 2), quare nos in his numeris eum ſequi ſtatuimus.

Eosdem habet calculos Eratoſthenes, a reditu, inquit 3), Heraclidarum ad colonos in Jo-

1) Euſebii Chron. lib. poſter. p. 96.
2) Id. ibid. p. 96. 98 & 99.
3) Clem. Alex. Strom. lib. 1. p. 402.

Joniam emigratos 60 anni elapſi ſunt. Nileus colonorum dux minor Medontis fuit frater[1]), is archontis dignitatem eripere fratri claudicanti tentavit, ſed Pythia, hac de re interrogata, pro fratre Medonte cecinit. Neleus igitur fratris ſub imperio vivere nolens, novas in Aſia ſedes quaerere maluit. Biennio ad minimum opus erat tempore, ad emigrationem hanc praeparandam. Quae ſi, teſte Eratoſthene, 60 anno poſt Heraclidarum reditum facta eſt, Medon anno Juliano 3582 (Job. Fr. 3050) ante Chriſtum 1132 Archon conſtitutus, & Melanthus atque Codrus, eodem Eratoſthene referente, annos 58 regnarunt. Calculorum horum integritas ex eo probatur, quod undecim primi Archontes, e quibus pater quisque filium habuit ſucceſſorem, ſecundum generationum normam 363 annos imperarunt, quibus ad annum 776, quo Olympias prima celebrata eſt, additis, 1139 annos habemus, qui numerus ſeptennium modo abit a calculis noſtris.

Marmora Paria colonos hos 13 anno Archontis Medontis in Joniam emigratos eſſe teſtantur. Hoc noſtrae, in Eratoſthenis calculis fundatae, coniecturae non contradicit. Certum enim eſt Neleum urbes iſtas omnes, quorum in Marmoribus occurrunt nomina, uno eodemque tempore nec fundaſſe, nec fundare potuiſſe. Suſpicamur ergo Chronici huius auctorem nihil aliud his verbis indicare voluiſſe, quam decimo tertio Medontis anno coloniam Jonenſem iam bene

1) Pauſan. in Achaic. ſive lib. 7. c. 2. p. 523.

bene fundatam, plures urbes iam conditas aliasque iam fundatas extitiſſe.

Euſebius, uti iam a nobis expoſitum eſt, Eratoſthenis veſtigiis inſiſtit, qui coloniam Jonenſem eo poſt Heraclidarum reditum anno, ideoque 140 poſt Troiae excidium emigraſſe tradidit. Euſebius octavo Archontis Acaſti anno eam emigraſſe contendit, nec in mentem ipſi venit, an calculi iſti cum chronologia Attica bene convenirent, Neleusque colonorum dux eo tempore in vivis adhuc eſſe potuerit? Neleum, ſcimus, nullam aliam ob cauſſam, niſi dominationis fraternae impatientia, colonos educere ſtatuiſſe. Hoc ſolum Euſebius ſi cogitaſſet, emigrationem in Joniam Neleo hoc duce factam in annum Acaſti octavum profecto non collocaſſet, & hoc unico ex argumento Eratoſthenis de excidio Troiano erroneam eſſe opinionem nec ulla defendi poſſe ratione, probatur.

Eratoſthenis quia premebat veſtigia Euſebius, undecim quoque priorum Archontum perpetuorum annis ſubtrahere, ipſisque annos tantum 291 tribuere oportuit, quamquam pater ſemper filium habuerat in dignitate ſucceſſorem ideoque tot generationes quot fuerant, quae 363 annos efficiunt.

Methodus e generationum computatione chronologiam condendi ſimpliciſſima, eademque naturae convenientiſſima eſt, ut iure miremur eam ab Euſebio non eſſe adoptatam. Undecim generationes Archontum ante primam Olympiadem 363 habent annos. Melanthus & Codrus regnarunt annos 58; Demophon, Oxyntes,

tes, Aphidas & Thymoetes annos 84. Euſebius has tres ſummas ad 776, ſive ad primae Olympiadis epocham, addendo, annum inveniſſet Troiae exciſae Julianum 3437 (Job. Fr. 2905) ante Chriſtum 1277 & Herodoteis a calculis 7 tantum annis aberraſſet.

Neque Chronici Parii conditor in calculis ſecum ſemper conſenſit. Pro fundamento computationis ſuae is uſus eſt excidio Troiano. Urbem hanc ultimo Meneſthei anno exciſam vulgo credebatur. Sed ad Dicaearchi is, ut videtur, vel alius cuiusdam chronographi auctoritatem in definiendo huius delationis anno recurrit, eamque anno ante Chriſtum 1209 everſam eſſe tradidit. Inde generationes retro computando primum Cecropis annum in Julianum 3132 (Jobeleo Fr. 2599) ante Chriſtum 1582 collocavit. Errorem eius ſupra iam §. explicavimus, ſed nihil ominus tamen ab opinione ſua de Troiae excidio in computationibus ſuis numquam deflexit. Quum vero poſtea ad epocharum ſequentium ex hocce excidio definitionem progrederetur, generationum normam ſequi ſe non poſſe animadvertit, ut autem cum Olympiadum inſtitutione, quae iam fixa erat epocha, calculi ſui convenirent, ſequentibus tam regibus quam archontibus annos regni atque imperii pauciores tribuendos eſſe cognovit. Videtur is aliorum huius aetatis ſcriptorum exemplo credidiſſe, colonos poſt Troiam captam 140 anno ex Attica in Joniam emigratos, vel alium quem, qui eos aliquot annis prius emigratos tradiderat, ſcriptorem ſequutus eſſe. Quod ſi prius fecerit, colonorum tamen horum emi-

grationem 132 anno poſt Troiam everſam, factam eſſe putavit, haud ignorans, ſi in 140 annum collocaret, in primum archontis Acaſti annum eam neceſſario caſuram. Rerum Atticarum qua praeditus fuit notitia, ab hoc ſaltem abſono errore eum liberavit. Ceterum tamen Archontum imperia pro lubitu atque arbitrio leviora, quam fuerant, nulla certa norma atque regula ſibi praeſcripta, computavit.

In Marmoribus Pariis, ab Euſebio atque Syncello priorum undecim perpetuorum Archontum annos eſſe praeciſos, idque conſilio factum, huc usque demonſtravimus, supereſt ut veram horum imperiorum durationem inveſtigemus. De ſingulis archontibus hoc noſtris quidem temporibus nulla ratione fieri poteſt; deſtituti ſumus monimentis hiſtoricis. Periodos e coniectura tantum deſcribere nunc poſſumus, imperiaque archontum arbitrarie quidem ſed tamen ita prolongare debemus, ut eventus, qui teſtibus Marmoribus ſub iis acciderunt, eorum in tempora incidere poſſint, imperiaque ſecundum Euſebium diu ſatis durantia maneant intacta, nimis brevia vero ita, ut quantum fieri poterit, durationis, quam Euſebius iis adſcripſit, rationem habeamus, prolongemus. Sic Heſiodus, qui Megacle floruit Archonte, teſtibus Marmoribus Pariis & aerae Atticae anno 680, ſecundum noſtras quoque rationes hoc ſub archonte Megacle floruiſſe dicitur anno Juliano 3770, (Joh. Fr. 3238) ante Chriſtum 944. Itidem Homerus, cui Marmora ſub Diognete anno aerae Atticae 643 locum ſuum aſſignavere; eodem ſub archonte, eademque

que in epocha, quae in annum Julianum 3807 (Job. Fr. 3275) ante Chriſtum 907 coincidit, locum habebit. Phidonis tempora, inventoris huius ponderum atque menſurae, qui & Agonotheras Elienſes expulit, ipſeque tandem a Spartanis expulſus eſt, ſecundum Marmora Paria in annum aerae Atticae 631, quo Archon fuit Pherecles, incidunt. Nos igitur hanc ob cauſſam menſurarum ponderumque inventionem ſub Pherecle archonte, anno Juliano 3819, (Job. Fr. 3287) 895 ante Chriſt. factam eſſe, ſcripſimus, qui annus in ſupra memoratum Atticum coincidit. Marmora tantum librarum, ponderum, numorumque argenteorum inventionem memorarunt. Phidonem autem Olympiade octava Elienſium Agonotheras expuliſſe addit Pauſanias [1], & eum ipſum paullo poſt regnum ſuum amiſiſſe retulit Strabo [2]). Si Coroebi Olympiadas intelligamus, Pherecle archonte haec fieri nullo modo potuerunt, quo quidem tempore nondum natus fuerat Phidon; vel duos Phidones extitiſſe putemus. *Larcherius* autem unum tantum vixiſſe Phidonem in diſſertatione quadam academica anno 1780 evicit, qui Agonathetas Elienſes Olympiade Iphiti octava vi expulit. Scimus autem Olympiadem hanc anno Juliano 3830, (Job. Fr. 3298) ante Chriſtum 884, ante Coroebi Olympiadem 108 coepiſſe, eaque ſola eſt, qua in definiendis praecipuorum eventuum annis uti poſſumus. Phidon igi-

N 2 tur

1) Eliac. poſter. ſ. lib. 6. c. 22. p. 509.
2) lib. 8. c. 549.

igitur Agonothetas Elienſium anno Juliano 3858 (Job. Fr. 3326) ante Chriſtum 854 expulit, quo anno Pherecles adhuc archon fuit, qui anno proximo mortuus videtur.

En tabulam priorum duodecim Archontum, rerumque quae ſub ijs acciderunt ſecundum Chronicon Parium atque Pauſaniam deſcriptam.

| | Duratio imperii | | Anni Juliani | Anni Jobelei | Anni ante Chriſtum |
|---|---|---|---|---|---|
| 1. Medon - | 27 | - - | 3582 | 3050 | 1132 |
| 2. Acaſtus - | 36 | - - | 3609 | 3077 | 1105 |
| 3. Archippus - | 25 | - - | 3645 | 3113 | 1069 |
| 4. Therſippus - | 41 | - - | 3670 | 3138 | 1044 |
| 5. Phorbas - | 37 | - - | 3711 | 3179 | 1003 |
| 6. Megacles - | 36 | - - | 3748 | 3216 | 966 |
| Heſiodus floruit | - | - - | 3770 | 3238 | 944 |
| 7. Diognetes | 34 | - - | 3784 | 3252 | 939 |
| Homerus floruit | - | - - | 3807 | 3275 | 907 |
| 8. Pherecles - | 43 | - - | 3818 | 3286 | 896 |
| Phidon ponderum menſurarum & argenteorum numorum inventor - | - | - - | 3819 | 3287 | 895 |
| | | Olymp. Iphitides | | | |
| Olympias Iphiti | - | I. | 3830 | 3298 | 884 |
| Phidon Agonothetes Elienſes eiecit - | - | VIII. 1 | 3858 | 3326 | 856 |
| Phidon a Spartanis regno privatus - | - | — 3 | 3860 | 3328 | 854 |
| 9. Ariphron - | 25 | — 4 | 3861 | 3329 | 853 |
| 10. Theſpicus - | 27 | XV. 1 | 3886 | 3354 | 828 |
| 11. Agameſtor | 23 | XXI. 4 | 3913 | 3381 | 801 |
| 12. Aeſchylus | 23 | XXVII. 3 | 3936 | 3404 | 778 |
| Olympias Coroebi | - | I. 1 | 3983 | 3451 | 776 |

§. 5.

## §. 5.

*De primo duodecimo perpetuorum Archontum Aeſchyli anno, ad Creonem usque, annuorum Archontum primo.*

Primum Aeſchyli Archontis annum Julianum 3936 (Job. Fr. 3404) ante Chriſtum 778 fuiſſe, §. praeced. antecepimus, quod probandum iam aggredimur, & primum quidem ex Euſebio, qui Olympiadum Coroebi inſtitutionem tertio huius archontis anno factam tradit, h. e. Juliano 3938 (Job. Fr. 3406) ante Chriſtum 776. Aeſchylus igitur Archon factus eſt anno Juliano 3939 (Job. Fr. 3407) ante Chriſtum 778. Alterum e Marmoribus Pariis argumentum petimus, quae Syracuſas urbem anno Aeſchyli archontis 21, ſive Atticae aerae 494 conditam teſtantur, qui annus cum Juliano 3956, (Job. Fr. 3424) ante Chriſtum 758 coincidit. Numeros hoc loco in Marmoribus eſſe laeſos, & ex Euſebio reſtitutos, non ignoramus, ſed ipſis e Marmoribus lacunam hanc recte expletam eſſe, poteſt demonſtrari. Marmora [1]) haec nempe Creontem, annuorum archontum primum, creatum eſſe anno aerae Atticae 420 tradunt, qui in Julianum 4030 (Jobel. Fr. 3498) ante Chriſtum 684 incidit. Qui hunc praeceſſerant ſeptem archontes per decennium imperaverant, praeter quartum. Hippomenem qui uti *Larcherius* in diſputatione academica, in conſeſſu bonarum artium academiae praelecta, probavit, imperio



1) Marm. Oxon. Epoch. 33.

perio privatus eſt anno nono. Alcmaeon autem perpetuorum archontum decimus tertius idemque poſtremus biennium tantum imperavit, ſed qui eum praeceſſerat Aeſchylus, per 23 annos. Decennales igitur archontes annos 69. Aeſchylus & Alcmaeon 25 imperarunt, quos annos 94. ſi ad annum 684, quo Ceron Archon creatus eſt, addimus, annus Aeſchyli primus in Julianum 3936 (Jobeleo Frank. 3304) ante Chriſt. 778 incidet, ideoque annus eius 21. quo Syracuſae in Marmoribus conditae dicuntur, in Julianum 3956 (Job. Fr. 3424) ante Chriſtum 758 cadit.

Quae adhuc ſuperſunt Atticae Chronologiae, difficultatibus non impediuntur, & quaecunque ſuperſint nodi, *Corſinius* in doctiſſimis ſuis *Faſtis Atticis* optime ſolvit.

# Caput. IX.

## *De Regibus Argivis.*

### §. 1.

### *De Inachidis.*

Ante captam ab Heraclidis Argolidem e duobus generibus ibi reges fuerant. Inachidae ſcilicet & Danaicae. Inachidarum nullam hac in diſputatione mentionem feciſſemus, niſi nativitatis Inachi, generis auctoris, annus definiendus fuiſſet, ut Ius, eius filiae, raptum terminare poſſimus.

Secun-

Secundum Euſebium diſputatio haec facillima. Regnum is[1]) Inachi in annum ab Abrahamo nato 161. h. e. Julianum 2857 (Job. Fr. 2324) ante Chriſtum 1857 collocavit. Hoc ab anno ad Troiae excidium fuere ſecundum eundem Euſebium anni 674, in quibus 20 floruere generationes. Sed auctores graviſſimi 23 numeravere generationes, inter quas una fuit feminina. Vel igitur Euſebius Troianum excidium in ſeciora, vel regnum Inachi in vetuſtiora tempora referre debuiſſet. Sed numeros is ſuos, nulla eorum convenientiae habita ratione, vel ab his vel ab illis ſcriptoribus petiit. Nobis ergo hanc potius viam inire placuit.

Oenotrus[2]) eiusque frater Peucetius 17 ante captam Troiam generationibus colonos ſuos Italiam abduxere. Nil iam refert, quo anno Dionyſius Halicarnaſſenſis Troiam captam putaverit, inveſtigare, ſatis eſt, hanc urbem 17 poſt Oenotri in Italia adventum generationibus everſam dici. Herodotus excidium hoc celebre in annum Julianum 3444 (Job. Fr. 2912) ante Chriſtum 1270 retulit; Oenotrus igitur Italiam venit anno Juliano 2877 (Job. Fr. 2344) ante Chriſtum 1837. Minor is annorum 24 eſſe non potuit, cum colonos ſuos educeret, natus ergo Juliano 2853 (Job. Fr. 2320 ante Chriſtum 1861 videtur. Inter Oenotrum hunc & Inachum[3])

 ſex

1) Chron. Can. p. 96.
2) Dionyſ. Halic. Antiq. Rom. lib. 1. §. 11. p. 9.
2) ibid.

ſex fuere generationes, inter quas una feminina. Inachus enim Aezeum, hic Lycaonem genuit Dejanirae patrem. Dejanira nupſit Pelaſgo, Niobes filio, Phoronei nepoti, cui filium peperit Lycaonem, patrem Oenotri atque Peucetii, qui primos e Graecia colonos in Italiam abduxere. Falſam eſſe Dionyſii Halicarnaſſenſis hoc in loco verſionem latinam, paucis monemus, *ex Dejanira & Pelaſgo Lycaon alter genitus*, verba graeca transferenda ſunt. Sed ad propoſitum redeamus.

Oenotro nato anno Juliano 2853 (Job. Fr. 2320) ante Chriſtum 1861 Lycaonis II, ſecundum normam generationum nativitas in annum Julianum 2819 (Job. Fr. 2286) ante Chriſtum 1895; Dejanirae in Julianum 2802 (Job. Fr. 2269) ante Chriſt. 1912; Lycaonis I, in Julian. 2769, (Job. Fr. 2236) ante Chriſtum 1945; Aezei in Julianum 2736 (Job. Fr. 2203) ante Chriſtum 1978, Inachi denique in Julianum 2703 (Jobeleum Frank. 2170) ante Chriſtum 2077 incidiſſe videtur.

Oenotrus idem a Phoroneo, Inachi filiorum altero, & a Niobe Phoronei filia deſcendit. Inachus enim Phoroneum, Niobes patrem, genuit. Pelasgus, qui Dejaniram, Lycaonis filiam, duxit, Lycaonem II, Oenotri & Peucetii patrem. Totidem hac in linea, quot in praecedente inſunt generationes, interque eas item feminina una, Inachus ergo has ſecundum generationes eundem in annum collocandus eſt, quo, ſuperiori genealogia computata, eum collocandum duximus. Eoque anno Juliano 2703 (Job. Fr. 2170) ante Chriſtum

2077

2077 nato, veroſimile non videtur, eum ante annum aetatis 25, h. e. Julianum 2728 (Job. Fr. 2195) ante Chriſtum 1986 regnum eſſe adeptum, Nos cum Euſebio 60 annorum regnum ipſi tribuimus. Filius eius, idemque ſucceſſor Phoroneus anno Juliano 2736 (Job. Frank 2203) ante Chriſt. 1978 natus videtur; regnavit is anno Juliano 2788, (Job. Fr. 2255) ante Chriſtum 1926 annum agens aetatis 52. Cui ſi, Euſebium ſequentes, 52 annorum regnum tribuiſſemus, 102 annorum ſenex factus eſſet; quod cum vero haud ſimile videatur, 22 annos a regno eius reſecavimus, ut 30 annos regnarit. Eamdem ſequuti ſumus normam in ſucceſſoribus eius, eorumque regna vel breviora, vel longiora computavimus, ne ſumma horum 415 annos illos ab Euſebio numeratos excederet. In prolongandis regnis ad iuſtam humanae vitae durationem ſemper reſpeximus, numeris chronographi huius, quos vel ab hoc vel ab illo deſumſit auctore, neglectis, cum enim eum ſe ipſum non conſentientem eſſe, vel ex eo iam patet, quod Inachidis, Gelanore excepto uno 1) loco 354, alio 2) loco 413 annos tribuit. En ſeriem horum: Apis — Argus — Criaſus — Phorbas — Triopas — Crotopus — Sthenelus — Gelanor.

## §. 2.

### *De Ione.*

Sunt qui Ionem dicunt Inachi filiam fuiſſe,

 quo-

1) Chronic. Can. a pag. 96. ad p. 113.
2) Chronic. lib. 1. p. 24.

quorum e numero noſter quoque Herodotus eſſe videtur. *Valckenarius* 1) autem ſummus, in ſuis hunc ad locum animadverſionibus evicit, verba τὴν Ἰνάχȣ non Herodotea, ſed a librario quodam addita eſſe. Ad argumenta, hoc a viro doctiſſimo propoſita, & hoc accedit, quod eo tempore, quo rapta dicitur Io, magnus iam civitatum oppidorumque in Graecia numerus 2) fuit, Argosque iam in urbem excreverat: Inachi vero tempore, neque Argos iam urbs, neque plura fundata fuerant oppida, Peloponneſii barbarorum incultorum more diſperſi vivebant, & Phoroneus, eius filius, eos tandem in civitatem redegit, urbemque, a nomine ſuo Phoronicam dictam, exſtruxit 3), quae poſtea huius a nepote, cui nomen Argos erat, ſicuti terra ipſa *Argos* appellata eſt. Teſtatur hoc quoque Scholiaſtes in Euripidem 4). *Inachus*, inquit ille, *e Melia genuit Phoroneum & Phegeum. Phoroneus patris in regno ſucceſſor urbem, nunc Argos dictam, Phoronicam appellavit. E Pithone genuit Aegialeum, Apin, Eurotam, & Nioben filiam. Phegeus urbem Phegiam condidit. Filios habuit Spartonem & Meſſonem. Myceneus Spartonis filius, Mycenas urbem fundavit. Mortuo Phoroneo, Niobesque filiis diverſis in locis diſperſis, eorum unus, Argos appellatus, omnem intra Iſthmum Argivam* Ter-

1) Herod. lib. 1. §. 1.
2) Idem ibid.
3) Pauſan. Corinth. ſive lib. 2. c. 15. p. 145. Stephan. Byz. ſ. v. Argos.
4) ad Oreſten 1247.

*Terram rexit, urbique Phoroniecae nomen ſuum impoſuit.*

Commercia praeterea Phoenices inter & Argivos merces apud hos, vel ſaltem indigentiam quandam rerum commodarum vel neceſſariarum indicant, quas a Phoenicum navigatoribus permutando acciperent, e verbis certe Herodoti id patet. Scimus autem Peloponneſios Inachi tempore barbarorum more vagos, & a Phoroneo tandem in oppidum coactos fuiſſe, talesque apud barbaros qui vitam ſuam ipſi vix tolerabant, permutatio mercium commoditatumve exiſtere potuit nulla, ſi autem nulla apud hos mercatura exiſtere potuit, ideoque non exſtitit [1]). Si ergo vixerit quaedam femina regia, Io dicta, Inachi vetuſti filia, (quod ideo non negamus, quia duo Jaſi duoque Argi vixiſſe traduntur, ea tamen haec ab Herodoto nominata fuiſſe nequit. Patet hoc ipſis e verbis Patris hiſtoriarum. Scriptores, qui populorum in infantia ſua ſtatum, qui ſeriem annorum, quin potius ſeculorum nunquam ſibi in mentem vocarunt, quae populus, antequam mercaturae operam dare poteſt, perduraſſe neceſſario oportet, hi, inquam, nominis ſimilitudine decepti duobus e feminis regiis eiusdem nominis, quae diverſis temporibus vixerant, unam finxere.

His

---

1) Conf. Gattereri Weltgeſchichte B, I, p. 263 &c, qui vir ſummus & in omni hiſtoria doctiſſimus omnes de Argivorum Inachi tempore commerciis Syriacis atque Aegyptiacis nullum, niſi fabuloſam Ius raptae hiſtoriam, fundamentum habere demonſtravit.

His argumentis, quae nobis iam rem evincere omnem videntur, & hoc minime levius addere poſſumus. Io a Phoeniciis rapta ſi Inachi fuiſſet filia, quomodo Argus Panoptes, ſeptimus ab Inacho, eam cuſtodire potuiſſet?

Quare tutiſſimum nobis videtur in Apollodoro [1]) qui genus Ius ſic deſcripſit, ire ſententiam: Inachus — Phoroneus — Niobe — Argus — Jaſus — Argenor — Argus Panoptes — Jaſus & Io. Argus hic ſecundus ideo dictus Panoptes, quia toto capite vel etiam corpore oculatum eum fabulantur, quo mytho vigilantiam eius in obſervanda nepte deſcribere voluerunt. Inacho, uti ſupra vidimus §. 1. anno Juliano 3703 (Job. Frank. 2170) ante Chriſtum 2011 nato, Io, ſecundum ordinem generationum, anno Juliano 2951 (Job. Fr. 2418) ante Chriſtum 1763 nata eſt, huiusque raptus, cum eius tempore octodecim ad minimum annos nata fuerit, anno Juliano 2969 (Job. Frank. 2436) ante Chriſtum 1745 factus videtur.

## §. 3.

### *De colonia in Theſſaliam miſſa.*

Theſſaliae inventio Inachidis debetur. Terra iſta, omnibus in finibus ſuis montibus altiſſimis, qui decurſum impedirent aquarum, munita, vaſtas continebat paludes. Sed Oſſa [2]) monte terrae motu ab Olympo abſciſſo, Peneus fluvius exi-

---

1) Biblioth. lib. 2. c. 1. §. 1. 2. 3.
2) Strabo lib. 9. p. 658 A.

exitum in mare invenit, ſolumque tandem exſiccatum eſt. Idem refert quoque Herodotus [1]).

Arcadiae tunc temporis rex fuit Pelasgus [2]), cui Theſſaliae aquas defluxas, immenſum campum exſiccatum, nunciarunt. Hic cum Pelasgis ſuis Theſſaliam ſe contulit. Pelasgus hic per Phoreneum & Nioben quarta generatione ab Inacho ortus, ideoque natus erat anno Juliano 2787 (Job. Fr. 2254) ante Chriſtum 1927. In Arcadia regnavit circa Annum Julianum 2810 (Job. Fr. 3277) ante Chriſtum 1904. annoque circiter quadrageſimo aetatis in Theſſaliam ſe contulit, h. e. circa annum Julianum 2831, (Job. Fr. 2298) ante Chriſtum 1883. Terrae motus biennium circiter ante colonos hos immigratos accidit, ideoque circa Julianum annum 2829 (Job. Fr. 2296) ante Chriſtum 1885, hoc enim temporis ſpatio ad terras hominum habitationi idoneas reddendas, ſine dubio opus fuit.

Ne apud poſteros hic eventus umquam oblivisceretur, ſacra in eius memoriam inſtituta ſunt, Peloria ſive Saturnalia dicta a Pelori nomine, qui primus nuncium hunc Pelasgo dicitur attuliſſe, quibus de ſacris pluribus diſputavit *Lartherius* in diſſertatione in bonarum litterarum academia, de ſacris quibusdam Graecorum, a Meurſio & Caſtellano praeteritis, habita.

Pelas-

1) Herod. lib. 7. c. 129.
2) Athenaeus Diepoſopti. lib. 14. p. 629.

Pelaſgum [1]) alium, qui ſex generationibus poſterior fuit Pelasgo hoc Arcadiae rege, ideoque circa annum Julianum 2987 (Job. Fr 2454) ante Chriſtum 1727 vixit, colonos quoque in Theſſaliam duxiſſe, non ignoramus. Sed haec colonia neque prima, neque ea fuit, de qua Athenaeus, ex relatione Batonis, rhetoris Sinopenſis, ſcripſit, nam alter hic Pelasgus, uti refert Dionyſius, veteres expulit terricolas, primorum autem colonorum adventu, terra ab aquis recens exſiccata, incolae ibi nulli fuerunt.

## §. 4.

### *De Danao.*

Danaus auctor eſt ſecundi generis regum Argivorum. Lynceus Hypermneſtram duxit, ejus filiam, ſoceroque in regno ſucceſſit. Genuit is Aban, Acriſii patrem. Acriſius filiam habuit Danaea, quae peperit Perſeum; Perſeus genuit Alcaeum, hic Amphitruonem, Herculis parentem. Danaus ipſe, quia ſtatim, poſtquam advenerat in Argolidem, filiam Hypermneſtram Lynceo collocavit, non eſt numerandus. Lynceus quoque non generationum, ſed ſucceſſionum ad normam computandus, quia non annus, quo natus eſt, ſed matrimonii cum Hypermneſtra initi eſt, definiendus. Nec Danae in computum venit, quae Acriſio patri non ſucceſſit. Ante Herculem natum habebimus itaque generationes quinque unamque ſucceſſionem,

1) Dionyſ. Halic. lib. 1. §. 17. p. 14.

nem, quae 184 annorum ſpatium continent. Infra, capite XII de Hercule demonſtrabimus, heroem hunc anno Juliano 3330 (Job. Fr. 2798) ante Chriſtum 1384 natum eſſe. Hypermneſtram igitur, Danai filiam, Lynceus duxit uxorem anno Juliano 3146 (Job. Fr, 2613) ante Chriſtum 1568. Danai haec filia brevi ante hoc matrimonium initum tempore in Graeciam advenerat, & ſtatim poſt illud Thesmophoria ſacra in Peloponneſo inſtituta. Ne Herodotus ſibi ipſe contradicat, harum ſacrarum inſtitutio hunc in annum erat referenda.

Hos, generationes computando, calculos invenimus. Sed eosdem & hac ratione alia poſſumus probare. Secundum Caſtorem[1]) Inachiadarum regna 382 annos perdurarunt. Secundum Euſebium[2]) contra qui vel ſibi ipſe, vel duci ſuo contradixit, dynaſtiae huius regna, Gelanore, qui, teſtibus Pauſania[3]) & Apollodoro[4]), a Danao pulſus eſt, excepto 413 annos durarunt. Refert quoque Syncellus[5]), a maxima chronographorum parte Inachidis 413 annos tribui, Gelanoris tamen regno excepto. Huius regnum a nemine veterum computatur. Sed veroſimile nobis videtur, eum nondum ſatis firmatum regnum ſuum habuiſſe, quod pere-grino,

1) Euſeb. Chron. pars poſt. let. p. 63.
2) Eiusd. Chron. lib. 1. pars graeca p. 24. lin. 2.
3) Corinth. ſive lib. 2. c. 17. p. 145. c. 19. p. 152. 153.
4) lib. 2. c. 1. §. 4. p. 73.
5) Chronic. p. 124. Pariſ. 99. Ven.

grino, qui neque magnum adduxerat exercitum, neque tam brevi tempore partes indigenarum ſatis validas ſecum iungere potuerat, tam facili negotio ceſſit, quam ob cauſſam nos Gelanorem duos tantum annos regnaſſe putamus. Fortaſſis & breve Gelanoris huius regnum plures movit ſcriptores, ad annos eius in calculis ſuis omittendos. Inachidae ergo omnes 415 annos regnaſſe videntur.

Supra §. 1. probavimus Inachum circa annum Julianum 2703 (Jobeleum Frank. 2170) ante Chriſtum 2077 natum videri. Eum anno iam aetatis 25, h. e. Juliano 2728 (Job. Frank. 2195) ante Chriſtum 1986 regnare coepiſſe, vix dubitamus. Si autem 2728 annis 415 addamus, annum habebimus 3143 Julianum (Job. Frank. 2610) ante Chriſtum 1571 qui fuit poſt Danai adventum annus ſecundus.

Diodorus Siculus retulit[1]) brevi tempore poſt Danaum cum filiabus in inſulam Rhodi adventum, Cadmum quoque eandem in inſulam advenisse, μικρὸν δ᾽ ὕστερον τούτων τῶν χρόνων. Capite proxime ſequenti Cadmum anno Juliano 3165 (Job. Frank. 2632) ante Chriſtum 1549 in Boeotiam veniſſe demonſtrabimus. Adveniſſe igitur eum Lindum in inſula Rhodo duobus ante annis h. e. anno circiter Juliano 3163 (Jobeleo Frank. 2630) ante Chriſtum 1551 computandum eſt. Cadmus igitur 21 annos poſterior Danao in Graecia appulit, quod cum Diodori narratione perbene poteſt conciliari.

Chro-

---

1) Diodor. Sic. lib. 5. §. 58. p. 377. lin. 12.

Chronici Parii auctor, qui erronea uſus eſt ratione in epocha Troiana, regumque Atticorum chronologia figenda, filiarum Danai adventum rege ſub Erichthonio anno Juliano 3203 (Job. Fr. 2670) ante Chriſtum 1511 collocavit. Secundum calculos noſtros Athenienſes factum hoc foret anno Juliano 3220 (Job Fr. 2687) ante Chriſtum 1499; nam Erichthonius anno Juliano 3216 (Job. Fr. 2683) ante Chriſtum 1498 in regno Athenienſi ſucceſſerat. Error autem latet in eo, quod Parienſis chronologus, uti capite XIII. probabimus Troianum excidium 61 annis ſerius Herodoto collocarat, ideoque ad Danaidarum adventum tot annis priorem collocandum fuerat coactus. Incideret is igitur in annum Julianum 3142, (Job. Frank. 2609) ante Chriſtum 1572, qui numerus a generationum calculis quatuor tantum annos abit, isque cum Cecropis regis undecimo anno, ſecundum Marmorum calculos, conveniret. Nos autem octavo capite iam expoſuimus, Cecropem non ante annum Julianum 3144 (Job. Fr. 2611) ante Chriſt. 1570 in regno ſuccedere potuiſſe, auctoris chronici Parii rationes erroneas, ideoque numeros illos, ſi Cecropis regni initium reſpiciamus, biennio ſpatio maturius, quam par eſt, computatos eſſe.

Suſpicari quis poſſet, nos Danai in Graeciam adventum eam ob cauſſam tam mature collocaſſe, quia de Archandro, Achaei filio, Xuthi nepote traditur [1]), eum Danaidarum unam uxorem

1) Herod. lib. 2. c. 98.

uxorem duxiſſe. Verum quidem eſt, ſi, quae nos infra, capite XIV. ſect. II. §. 3. de colonis Joniis de Xuthi huius in Attica adventu diſputabimus, cum Athenienſium chronologia comparantur, Archandrum non ante annum Julianum 3313 (Job. Fr. 2781) 1407 ante Chriſt. lucem adſpicere potuiſſe, neque igitur prius Phthiotidem reliquiſſe, Argon veniſſe, ibique uxorem duxiſſe potuit, quam anno Juliano 3340 (Job. Fr. 2808) ante Chriſt. 1374. Epochae igitur adventus Danai & matrimonii Archandri cum filia Danai initi, nullo modo conciliari poſſunt, quia 198 annorum ſpatio ſeparantur. Sed perſuaſum nobis eſt Danaum illum [1]), cuius filiam, Herodoto teſte, duxit Archander, ab eo Danao diverſum eſſe, qui ex Aegypto Argos navigavit, neque apud Herodotum hoc in loco, neque apud Pauſaniam [2]) quidquam legitur, ex quo contrarium ſuſpicari poſſemus.

Sed & hoc nobis obiici poſſet, nonnullis a ſcriptoribus Danaum hunc Seſoſtris Aegyptii fratrem appellatum, quem Seſoſtrin cum alii in antiquiora, alii ſeriora in tempora collocent, quam Danaum nos vixiſſe volumus, & huius ſeculum vel ſerius vel maturius computatione noſtra videri. Huic obiectioni paucis reſpondeamus oportet. Eſt illa opinio Manethonis unius in auctoritate fundata, qui in fragmento quodam, nobis a Joſepho [3]) con-

1) Herod. lib. 2. c. 98.
2) Achaic. ſ. lib. 7. c. 1. p. 521.
3) contra Apion. lib. 1. §. 15. p. 447.

conſervato, Sethoſin, inquit, Aegyptium eiusque fratrem Armain, Danaum quoque nominari. Cum omnia quae de Sethoſi protulit Manethon, neminem in alium niſi in Seſoſtrin conveniunt, eius Sethoſin & Seſoſtrin unum eundemque fuiſſe negari nequit. Sed ſolus eſt qui talia tradidit; Joſephum enim, Julianum Africanum, Euſebium & Syncellum ideo numerare non poſſumus, quin iſti ſua e Manethone hauſerunt. Eſt autem Manethonis fides hac in re valde ſuſpecta, & *Perizonius* [1]), Aegyptium hunc Ptolemaeos reges, qui ſe ab Hercule & Danao genitos praedicabant, ſerviliter adulari voluiſſe ſuſpicatus eſt. His addimus Herodotum [2]), antiquiſſimum eruditiſſimumque ſcriptorem, de Seſoſtris rebellione mentionem facientem, nomen huius reticuiſſe, neque eum in Graeciam navigatum tradidiſſe. Et pater hiſtoriarum, qui nullam dimittere ſolebat occaſionem, origines patriae, generumque ſplendidiſſimorum inter Graios inveſtigandi, hanc, genus regum Argivorum, Herculisque, cuius eo tempore poſteri omnium paene civitatum in Graecia domini erant, laudandi atque extollendi, profecto non dimiſiſſet occaſionem. Alia quoque ipſi occaſio oblata fuit hoc faciendi, de Perſeo [3]) nempe loquens, addidit, Danaum & Lynceum Chemmites Aegyptios fuiſſe & in Graeciam navigaſſe. Quodſi Danaus Seſoſtris fuiſſet frater, id profe-



1) Orig. Aeg. c. 16. p. 334.
2) lib. 2. c. 107. 108.
3) Ibid. c. 91.

cto non oblitus eſſet praedicare. Sed tantum abfuit a ſuſpicatione, Danaum Seſoſtris e genere ortum fuiſſe, ut potius e verbis, quibus uſus eſt, veroſimile videatur, eum Danaum privatum Chemmitem crediſſe. Accedit Herodotum alio loco [1]) dicere, Danaum ab Aegypto perſecutum eſſe, nec ulla, ne verbo quidem, facta mentione, Aegyptum, eius perſecutorem, fratrem, eundemque Seſoſtrin fuiſſe. Si autem Seſoſtrin & Aegyptum unum idemque crediſſet, quare neque hoc in loco, neque in relatione rerum a Seſoſtri geſtarum id obſervavit? Pluribus haud opus eſſe videtur, ad Manethonis de Danao, Seſoſtris fratre, narrationem fabuloſam arguendam, cui Joſephus, auctoresque eccleſiaſtici nimis creduli adſenſere.

Acriſius hoc e genere regio poſtremus Argolidis rex fuit. Perſeus, eius nepos, avum involuntarie occiderat, qui Tiryntidem ad Megapenthem, Proeti filium, ſe contulit, regnumque huic Argivum tradidit [2]). *Larcherius* hac occaſione locum Eudociae corruptum feliciſſime emendare tentavit, in quo legitur: πρὸς δὲ μέγα πένθος τὸν Προῖτον ἐλθὼν, κ. τ. λ. Emendatio facillima: πρὸς δὲ Μεγαπένθην τὸν Προίτȣ ἐλθών. Sed ad rem redeamus. Megapenthes Perſeo Tiryntidem tradidit. Tiryns urbs Proeto regnante, qui ab Acriſio Argivo e regno pulſus, eo confugerat, a Cyclopibus altis muris fuerat muni-

1) lib. 2. c. 182.
2) Apollodor. lib. 2. c. 4. §. 4. p. 88.

munita [1]). Perſeus Mediam & Mycenas [2]), quas regni ſui ſedes fecit, muris circumdedit. Hunc ſequutus eſt filius Electryon, qui fratrem Sthenelum habuit ſucceſſorem, cui filius Euryſtheus ſucceſſit. Sequentibus temporibus Mycenarum regnum ad Atreum. Pelopis filium, cuius ſoror Lyſidice Perſei filio Meſtori nupſerat [3]), pervenit.

## Caput X.

*De Europa, de Cadmo, de Baccho, deque regibus Thebanis.*

Herodotus [4]) Bacchum ſedecim ſecula ante eum vixiſſe tradidit, ſed idem ab Hercule ad ſuam nativitatem novem tantum ſecula elapſa eſſe, addidit. Nos, cap. XII. hoc de heroe agentes, calculos hos poſteriores iuſtos eſſe probabimus, quare non dubitantes eos ſequimur. Si vero prior itidem iuſtus eſt calculus, inde Bacchum Hercule ſeptem ſeculis antiquiorem eſſe patet, quae 21 continent generationes. Herodotus tamen alio loco [5]) dixit. Cadmum Hercule ſeptem tantum generationibus antiquiorem eſſe.



1) Apollod. lib. 2. c. 2. §. 1. p. 78.
2) ibid. c. 4. §. 4. p. 89.
3) ibid. §. 5. p. 89.
4) lib. 2. c. 145.
5) lib. 2. c. 44.

Neceſſario igitur unus alterve horum locorum corruptus eſt. Generationum inter Cadmum & Herculem numerus poſterioris loci probat integritatem, prior ergo ex poſteriore corrigendus. Oedipus enim, qui Herculis fuit coaevus, a Cadmo quintus regum fuit 1), quare 160 circiter anni nativitatem inter Bacchi & Herculis praeterierunt. Nos hanc ob cauſſam Bacchum natum computavimus anno Juliano 3170 (Job. Fr. 2637) ante Chriſtum 1544. Cadmus paucis tantum ante Bacchum natum annis in Boeotiam advenit: Eius igitur adventum in annum Julianum 3165 (Job. Fr. 2632) ante Chriſtum 1549 retulimus. Haec autem epocha cum Danai in inſula Rhodi adventu iungenda, qua de re ad cap. IX. §. 4. ablegamus. Anno praecedente cum fratre Thaſo Danaus in inſula Thaſo appulerat 2). Sedes uterque in Europa quaerebat; at indigenarum Europae rebellionem metuentes, ſororem raptam ſimularunt, quam inveſtigarent. Cadmus igitur fratrem Thaſum cum parte copiarum hac in inſula reliquit, qui eam coluit, nomenque ei ſuum indidit. Colonia igitur haec anno Juliano 3164 (Job Frank. 3631) ante Chriſtum 1550 fundata, & Europae raptus, quam prae ſe ferebant, ad ambitionem iuſtificandam, ante biennium factus, ideoque in annum Julianum 3162 (Job. Fr. 2659) ante Chriſtum 1552 referendus eſt.

Inſu-

1) Apollod. Biblioth. lib. 3. c. 4 & 5.
2) Cononis Narrat. XXXVII. p. 278. 279.

Inſulae Calliſto, poſtea Therae dictae, fundatio eodem tempore cum Thaſi inſulae facta eſt fundatione. Maris e profundo haec inſula emerſerat, Apollonio [1]) Rhodio & Plinio [2]) referentibus. Erravit autem Rhodius poeta, dum factum hoc ait circa reditum Argonautarum, h. e circa finem anni Juliani 3364 (Job. Fr. 2832) ante Chriſtum 1350 vel anni ſequentis initio. Herodoti his in rebus gravior eſt auctoritas, quam poetae, qui miraculis placere ſtudet lectoribus, iisque primam illam memorabilem expeditionem Graecorum illuſtrare amavit. Minorem adhuc fidem Plinius habet, qui factum hoc tradit anno quarto Olympiadis 135 h. e. anno Juliano 4477 (Job. Fr. 3945) ante Chriſtum 237 quippe Herodotus, qui huius inſulae meminerat, eo tempore quo inſulam apparuiſſe tradit Plinius ſupra 150 annos iam obierat. De tempore quo emerſerit e profundo, certi quidem nihil dicere poſſumus: ſed quoquo modo ſe res habeat hoc tamen certum videtur, eam eodem tempore quo Thaſas colonos accepit, a Membliare populatam eſſe. Thaſi quidem inſulae nullam Herodotus fecit mentionem, at ſatis multa narravit, quae difficultates, ſi quae ſint, tollere poſſunt. Narravit enim [3]), Cadmum, Europam quaerentem, ad inſulam Calliſto appuliſſe, ibique, ſive quia bona videretur haec inſula, ſive aliam ob cauſſam, Mem-

 bliarem

1) Apollon. Rhod. lib. 4. v. 1757.
2) Plinii hiſt. nat. lib. a. c. 87. p. 114.
3) Herod. lib. 4. c. 147.

bliarem cognatum cum Phoeniciis colonis reliquiſſe. Altera hanc in inſulam Calliſto miſſa eſt colonia, qua occaſione Therae nomen accepit, a colonorum horum duce, eo tempore quo Lacedaemonii reges Procles & Euryſthenes maiorennes iam erant. Theras hic affinis fuit Ariſtodemi, qui Peloponneſum devicerat, avunculusque & tutor Proclis & Euryſthenis. Qui maiorennes poſtquam facti ſunt, Theras regnum quod adminiſtraverat iis reddidit, ſed privatae vitae impatiens Spartam reliquit, Lacedaemonios & Minyenſes ſecum abduxit, inſulamque Calliſto 1), a nomine ſuo Theram appellatam, occupavit. Procles & Euryſthenes ab Hercule ſexta generatione ortum ducebant, filii nempe erant Ariſtodemi, qui patrem habuit Ariſtomachum, avum Cleodaeum, filium Hylli, qui ab Hercule genitus erat. Principes igitur hi ſex efficiunt generationes, quae duo ſecula comprehendunt. Sed cum Hyllus minorum Herculis filiorum unus fuit, generationes hae ad minimum 206 annos comprehendere videntur. Additis his 25 annis ad maiorennitatem usque Proclis & Euryſthenis, habebimus annum Julianum 3561 (Job. Frank. 3029) ante Chriſtum 1153. Opus habuit Theras aliquot annos, ad colonorum numerum ſufficientem colligendum. Therae igitur fundatio ante Julianum 3564 (Job. Fr. 3032) ante Chriſtum 1150 fieri non potuit.

Sed nova oritur difficultas, Theras poſteriorum Cadmi decimus fuit. En genealogiam

1) Herod. lib. 4. c. 147. 148.

giam eius[1]): Cadmus — Polydorus — Labdacus — Laius — Oedipus — [2]) Polynices — Therſander — Tiſamenes — Auteſion — Theras: vixit igitur poſt Cadmum 333 annos, praeterierunt ergo a Cadmo ad ſecundam inſulae Calliſto fundationem 399 anni, qui numerus 66 annis maior eſt generationum calculis.

Computando generationes accipimus annos a Cadmi ad Therae nativitatem elapſos. At hoc non eſt temporis ſpatium, quod iam quaerimus, ſed, qui inter Cadmi in Boeotia adventum, & ſecundam Therae inſulae fundationem anni praeteriti ſunt, inveſtigantur.

Ariſtodemum octoginta poſt Troiam captam annos Peloponneſum expugnaſſe, omnes conſentiunt temporum inveſtigatores antiqui. Nos Troiam anno Juliano 3444 (Job. Fr. 2912) ante Chriſtum 1270 captam eſſe demonſtrabimus, Peloponneſi igitur expugnatio anno Juliano 3524 (Job. Fr. 2992) ante Chriſtum 1190 facta. Duodecim circiter annos in terrarum diviſione, tranquilli ſtatus reſtitutione, poſſeſſionumque confirmatione, elapſos putamus. Quibus praeteritis Ariſtodemus duos genuit gemellos, ipſoque nativitatis horum momento exſpiravit [3]). Theras, infantum avunculus, ad maiorennitatem usque puerorum regnum adminiſtravit. Hunc eo tempore 36 annos natum fuiſſe putamus, ut eius nativitatis annus in Julianum 3500

O 5 (Job.

1) Apollod. Bibl. lib. 3. c. 5. §. 5.
2) Herod. lib. 4. c. 147.
3) Herod. lib. 6. c. 52.

(Job. Fr. 2968) ante Chriſtum 1214 cadat. Euryſthenis atque Proclis tutor fuit per annos 25, h. e. ad annum Julianum 3561 (Job. Fr. 3029) ante Chriſtum 1153. Duos autem Theras annos in praeparandis, quae ad coloniam in inſulam Calliſto educendam neceſſaria videbantur, conſumſit, anno igitur tertio, h. e. Juliano 3564 (Job. Fr. 3032) ante Chriſtum 1150 cum colonis emigravit, annum iam agens ſexageſimum quartum, quae quidem aetas ambitioſi principis haud nimis provecta fuit, ut a primo, quem huc usque in civitate ſua tenuerat, ad ſecundum deſcendere gradum, quam e patria emigrare maluerit. Therae nativitate quantum fieri poteſt computata, Cadmi nativitatis annum facillime inveniemus. Subductis enim ab anno 3500, quo Theras natus videtur, 333 annis, quos decem a Cadmo ad Theram hunc explent generationes, Cadmi nativitas in annum incidet Julianum 3167 (Job. Fr. 2634) ante Chriſtum 1547. Sed nova his ex calculis exoritur difficultas, quippe numeris his integris, Cadmus biennio poſt eius in Boeotia adventum, ſecundum noſtras computationes, natus foret. Videamus igitur, quo nodus hic modo ſolvendus ſit.

Quamquam in computandis generationibus hanc normam ſequi ſolemus, ut tribus ſeculi ſpatium tribuamus, haec tamen interdum habet exceptiones, quae quidem non arbitrarie, & in favorem ſyſtematis ſunt admittendae, quippe ſyſtema potius hanc ſecundum regulam emendandum eſt. Exceptionem interim ſi abſolute neceſſaria eſt, reiicere omnem ſine dubio

bio abſurdum foret. Eius autem neceſſitatis iam habemus exemplum.

1) Polydorus [1], Cadmi filius, admodum iuvenis patri ſucceſſit, Pentheus contra, eius e filia Agave nepos, ea iam erat aetate, ut minorennis Polydori tutor regnum eius adminiſtrare poſſet. Ex quo Polydorum a ſene iam Cadmo genitum apparet. Sola haec obſervatio ſufficiens eſt, ad Thebanis regibus longiores generationes tribuendas, Cadmique nativitatem ſupra triginta annos removendam.

2) Examinando ſeriem regum Thebanorum, eam in Amphione, Labdaci [2]) ſucceſſore interruptam reperiemus, ſed hunc non numeramus, quia poſt eius mortem Laius, Labdaci filius, patrium regnum recepit. Interrupta haec iterum ſeries eſt in Damaſichthone [3]), Opheltis filio, Ptolemaeo, & Xantho, e quibus pater quisque filium habuit ſucceſſorem. Sunt igitur ab una parte decem, ab altera tres generationes. Peneleum, Damaſichthonis avum non numeramus, qui Tiſanene, Therſandri filio, minorenne, regnum tantum adminiſtravit. Generationes hae tredecim nobis non ſic videntur computandae, ut unaquaeque 33 annos explerit, non enim omnes fuere ſuccedentes, alterque eorum ordo tria tantum membra habuit. A legibus igitur criſeos ſanae non aberraturos putamus, harum generationum unicui-que

---

1) Apollod. Bibl. lib. 3. c. 5. §. 2.
2) Idem ibid. lib. 3. c. 5. §. 5 & 7.
3) Pauſan. Boeot. ſive lib. 9. c. 5. p. 723.

que 28 tantum annos tribuentes, qui 364 efficient. Ut igitur Cadmi nativitatis annum inveniamus, Xanthi prius annus nativitatis, a quo 364 ſubtrahendi ſunt, quaerendus eſt, idque hoc modo facillime ſuccedet. Xanthus Athenienſem regem Thymoetea ad pugnam provocavit. Quo pugnam denegante Melanthus, ab Heraclidis hoc tempore e regno ſuo pulſus, provocationem accepit, Xanthumque devicit. Xanthus igitur hic vigente videtur aetate fuiſſe annumque circiter 34 vel 36 egiſſe. Quo tempore vitam amiſerit, annus indicat reditus Heraclidarum, qui Juliano 3524 (Job. Frank. 2992) ante Chriſtum 1190 redierunt. Natus ergo videtur anno Juliano 3488 (Job. Fr. 2956) ante Chriſtum 1226. Hoc a numero ſubtractis 364 annis, qui generationibus regum Thebanorum tribuendi ſunt, Cadmi in annum Julianum 3124 (Job. Fr. 2591) ante Chriſtum 1590 incidet nativitas, annum ergo aetatis egiſſe videtur quadrageſimum primum, cum in Boeotiam veniret.

Intervallum inter Cadmum & Theram natum circiter eiusdem videtur eſſe longitudinis, quam Cadmum inter & Xanthum, qui poſtremus duodecim circiter annos ante Theram lucem adſpexiſſe videtur. Vel igitur in ſtemmate Therae duae generationes omiſſae, quod a negligentia librariorum minime mirandum, vel ſtemmate integro, generationes longiores, &, uti Lacedaemoniae, 37 annorum durationem habuere. Quod poſtremum ſi ponamus, decem in linea Therae generationes 370 annos comprehendent, quibus a numero 3500, qui The-

Therae nativitatis annum indicat, ſubductis, Cadmi nativitas in Julianum annum 3130, (Job. Fr. 2597) ante Chriſtum 1584 incideret, qui numerus 6 annis tantum minor eſt eo, quem, generationes utriusque Thebanorum regum ſtemmatis computando, invenimus.

Epocha igitur nativitatis Cadmi, fundatoris primique regis Thebani, huiusque adventus in Boeotia, ſicuti & epocha nativitatis Xanthi, eiusque mortis, poſt quem in ariſtocratiam regnum mutatum eſt; epochae hae, inquam, tam certiſſime, quam ulla alia ante Olympiadum initium poſſunt conſtitui. De intermediis quidem hoc non poſſumus contendere, quae tamen non mere ſunt arbitrariae, ſecundum enim Cadmi in Boeotia adventum, Herculis nativitatem, Heraclidarum expugnationem Peloponneſi, Proclis atque Euryſthenis maiorennitatem, a qua ſecunda pendet inſulae Calliſto populatio, computantur. Nexus quoque earum tam arctus eſt, ut mutari non poſſint, ſine earum quae certiſſimae habentur conſtitutae turbatione. Creon v. c. regnavit, vel regnum potius Thebanum adminiſtravit durante interregno quatuor annorum, Laium inter & Oedipum. Tempore huius interregni filiam Megaram Herculi collocavit. Hercule eo tempore nondum genito, vel ad matrimonium ineundum vel ob pueritiam vel ob ſenectutem inepto, epocha haec ſine dubio foret falſa, ſed rectam eam eſſe ex eo probatur, quod interregnum iſtud anno Juliano 3357 (Job. Fr. 2825) ante Chriſtum 1357, coepiſſe, annoque Juliano 3360 (Job. Fr. 2882) ante Chriſtum 1354 finem habuiſſe

buiſſe putatur, quo tempore annum iam vigeſimum ſextum vel trigeſimum, Hercules agebat.

Sed ſupereſt alia adhuc obiectio, hac in diſputatione minime praetereunda. Membliares [1]) Cadmi cognatus inſulam Calliſto eodem tempore fundavit, quo Thaſus, Cadmi frater, Thaſum inſulam dicitur fundaſſe. Si a Cadmo ad Theram decem numeramus generationes, a Membliare ad Theram totidem numeremus oportet. Tradit autem Herodotus, Cadmum in inſula Calliſto appulſum, cognatum in ea reliquiſſe Membliarem cum Phoeniciis colonis, qui per octo hanc inſulam coluerant generationes, cum Theras novos in eam adduceret colonos. Herodotum inter Membliarem & Theram octo tantum generationes numeraſſe nobis non poſſumus perſuadere, erraviſſet enim hac in computatione graviſſime. Senſus igitur eius hic nobis videtur, ut regia Membliaris gens ante Therae huius adventum octo generationes in linea recta habuerit, regnumque eo tempore non amplius poſſederit, ſive iam exſtincta, ſive alia nobis haud cognita ex cauſſa regno privata. Haec noſtra ſi non placeat conjectura, quomodo umquam, Theram, qui paucos tantum adduxerat colonos, inſulam hanc ſibi ſubiicere, vel, ſi eo tantum conſilio advenerat, ut una cum veteribus cultoribus inſulam habitaret, eosque in partes ſuas traheret, οἰκηιεύμενος [2]), regem in-

1) Herod. lib. 4. c. 147.
2) Herod. lib. 4. c. 148.

inſulae regnum advenae huic tradidiſſe, poterit explicari? Haud quidem neſcimus, Pauſaniam [1]), Membliarem obſcuro genere ortum fuiſſe. tradere, Theram igitur, poſteros illius regnum ſibi ſtatim tradituros, perſuaſum fuiſſe; additque hos eo libentius, quia Cadmaeus is, eorum vero generis auctor Membliares obſcurus tantum homo fuerat, Therae regnum tradidiſſe.

Sed is profecto in cognitione humani ingenii maxime rudis habendus eſt, qui fingere ſibi poteſt, regem regnum ſuum octo a maioribus iam haereditate acceptum, advenae nulla alia niſi generis illius claritate permotus cauſſa, traditurum fuiſſe! Nemo nobis umquam talia perſuadebit. Multo propius veritati accedit, rectam Membliaris lineam eo tempore fuiſſe exſtinctam, vel alia nobis incognita cauſſa regno patrio privatam putare. Therae enim in patria Sparta privatus vivere nolenti, niſi regnum ſe accepturum certo ſperaſſet. colonos hanc in inſulam Calliſto ducere, ibique ſedem ſuam figere numquam in mentem veniſſet; & hac de re certus eſſe non potuit, niſi Membliaris genere iam exſtincto nemineque horum principum, qui de regno cum eo advena decertare potuiſſent, ſuperſtite; ad inſulam enim belli iure occupandam copias nimis paucas ſecum adduxerat, &, teſte Herodoto [2]), inſulanos in partes ſuas tradere ſibi propoſuerat.

Mar-

---

1) Lacon. f. lib. 3. c. 1. p. 205. 206.
2) loco laud.

Marmora tandem Paria, epochis noſtris contradicentia, nobis obiici poſſunt. Sed ſi apud viros doctos ea fidem invenerint, hanc ſoli vetuſtati eorum debere putamus, & ſupra capite VIII. de chronologia Athenienſium. Marmora haec in rebus ante Olympiadum initium definiendis fidem nullam mereri, demonſtravimus.

De regibus Thebanis ſi monumenta in ſeculis proximis poſt regnum eorum exſtinctum ſuperfuiſſent, chronologiam eorum nos melius reſtituere poſſemus Sed monumenta haec iam maximam partem bello Argivo, ſub Oedipi filiis, & in revolutionibus aliis, quas paſſa haec terra eſt, deleta ſunt. Quare hanc hiſtoriae partem obſcuram quodammodo manſuram non mirandum eſt. Nos fruſtra eam illuſtrare ſtuduimus. Fortaſſis felicior aliquando nobis alius lucem inferre poterit, quod in litterarum commodum omni ex animo optamus.

## Cap. XI.

### *De Minoe I & II. Regibus Cretenſium deque Daedalo.*

Capite proxime praecedenti Europam anno Juliano 3162 (Job. Fr. 2629) ante Chriſtum 1552 raptam eſſe vidimus, Minos igitur I circa annum Julianum 3166 (Job. Fr. 2633) ante Chriſtum 1548 natus videtur. Minos autem II, uti mox videbimus, anno Juliano 3361 (Job. Fr.

2829)

1829) ante Chriſtum 1353 mortuus eſt, 195 igitur anni hos inter eventus elapſi ſunt. Generationum ad normam annos computare ſi vellemus, Minoem I neceſſario 95 annis ſerius natum eſſe pateret, quod tamen falſum eſſe docet raptus Europae, cuius Epocha e Cadmi in Boeotiam adventu certo demonſtratur. Sed quae in longa ſerie certiſſima eſt generationum computatio, ea, ſi tres tantum vel quatuor computandae ſunt, haud raro erronea videtur. Quare ut Herodotus ſecum ipſe conſentiat, alia via ineunda eſt. Veteres eventus illos memoriae non prodiderunt, qui temporum iſtorum nexum iuncturamque efficiunt, eamque ob cauſſam alia tentanda eſt via, quam quidem alias non iniremus, iam autem, ceteris impeditioribus, ingredi neceſſario debemus. Minoen I. ſi Lycaſtum filium ſexageſimo aetatis anno genuiſſe ſupputamus, nativitas huius in annum Julianum 3226 (Job. Fr. 2693) ante Chriſtum 1488 incidit: & Minoe II. a Lycaſto iam ſexagenario genito, eius nativitas in Julianum 3286 (Job. Fr. 2754) ante Chriſt. 1428 annum incidit. Minos igitur ſecundus eo tempore, quo periit in Sicilia, LXVI annorum aetatem habuiſſe videtur. Verum quidem eſt, reges tam ſera haud inire ſolere matrimonia; ſed fortaſſis reges hi duo Cretenſes rebus nobis incognitis impediti, non prius, quam in ſenectute uxores duxere, vel ſi prius iam duxerant, proles e priore matrimonio haud ſuperſtes maſcula, vel maſcula omnino non procreata; quare novum in ſenectute matrimonium filiorum gignendorum gratia inierunt. Noſtrae huic coniecturae nullum veteris ſcriptoris

 locum

locum contrarium videri certum eſt, & eius auxilio, quae de Minois II morte, & Cadmi in Boeotiam adventu tradidit Herodotus, optime poſſunt explicari.

In Marmoribus Pariis de Minoe I, mentio quidem fit, ſed annorum numerus evanuit, & qui proxime antecedit, eſt 1242, qui numero circiter Juliano 3208, (Job. Fr. 2675) qui eſt ante Chriſtum 1506 reſpondet. Si ad Minoem reſpiciens numerus ad hunc ultimum proxime accedisſet, opinionem is noſtram comprobaret. Euſebius enim Minois I nativitatem in annum 572, qui eſt Julianus 3268 (Job. Fr. 2735) ante Chriſtum 1446 retulit. Animadvertendum autem eſt, Euſebium cum recentioribus temporum ſcrutatoribus tempora vetuſta, ut cum ſyſtematibus ſuis chronologicis e ſacris Hebraeorum libris deſumtis, convenirent, reſecaſſe. Cum vero noſtrum iam conſilium ſit, Herodoti chronologiam explicare, ea, num aliorum contraria ſit chronologiae, vel cum iis conveniat, minime curamus.

Minos II periit in Sicilia[1]) tertia ante Troiam captam generatione. Urbs iſta anno Juliano 3444 (Jobeleo Frank. 2912) ante Chriſtum 1270 expugnata, Minos igitur II anno circiter Juliano 3361 (Job. Fr. 2829) ante Chriſtum 1353 periiſſe videtur, Aegeo, teſtibus Marmoribus Pariis[2]), eo tempore iam in Attica regnante.

Obiici quidem nobis poſſet, Marmora Paria

---

1) Herod. lib. 7. c. 171.
2) Epocha 20.

ria Minoen II in annum 1031 aerae Atticae, hoc eſt in Julianum 3419 (Job. Fr. 2887) ante Chriſtum 1295 collocare, qui numerus 67 annis differt. Sed differentia haec ex eo orta eſt, quod Chronici Parii conditor Troianum excidium in annum Julianum 3505 (Job. Fr. 2973) ante Chriſtum 1209, Herodotus contra in annum 3444 (Job. Fr. 2912) ante Chriſtum 1270 retulit. Minoen igitur II, quia tale temporis intervallum inter Herodoteam & Parianam epocham Troianam intereſt, Parius chronographus 67 annis ſerius collocare debuit. Attamen ſex annorum adhuc manet defectus; ſed de temporibus tam vetuſtis ſi quaeſtio eſt, non accuratiſſima poteſt exigi definitio; ſed in ea, quae ad accuratam quam proxime accedit, eſt acquieſcendum.

Herodotus Daedali quoque mentionem fecit: quare huius quoque tempus inveſtigandum eſt. Scimus autem eum Minoe II regnante Cretam in inſulam veniſſe, h. e. ante Julianum 3361 (Job. Fr. 2829) ante Chriſt. 1353 annum. Daedalum ergo non modo hoc tempore vixiſſe, ſed eius etiam aetatis fuiſſe, ut famae iam celebritatem habere potuerit, demonſtrandum eſt. Fuit autem Daedalus 1) Eupalami filius, Metionis nepos, quem Erechtheus 2) genuerat. Tres hae generationes ſeculum comprehendunt, cuius tamen initium, Erechthei nativitatis anno non cognito, definiri nequit. Nobis interim placuit regni Erechthei initium veroſimilibus e

P 2 ratio-

---

1) Apollod. Bibl. lib. 3. c. 14. §. 8. p. 237.
2) ib. §. 1. p. 229.

rationibus, in annum Julianum 3283 (Job. Fr. 2751) ante Chriſtum 1431 collocare; & ſi eum tunc 36 annos natum putamus, anno is Juliano 3247 (Job. Fr. 2714) ante Chriſtum 1467 natus videtur. Daedalus ergo ſi, quem e generationibus computamus numerum, ſeculo poſterior natus eſt, eius in Julianum 3347 (Job. Fr. 2814) ante Chriſtum 1367 annum incideret nativitas, ideoque annum vix egiſſet decimum quartum, cum in Sicilia Minos II periit. Quamquam autem, uti ſaepius iam monuimus, generationes plures computando, vix erramus, tamen in paucis ſaepiſſime fallimus. Daedalus igitur Erechthei pronepos tamen maturius, quam putatur, natus eſſe & Erechtheus ipſe trigeſimum ſextum annum ſuperaſſe iam potuit cum regnum ſuſciperet. De rebus his pervetuſtis quia certi nil conſtat, liceat nobis, Erechtheum anno Juliano 3243 (Job. Fr. 2710) ante Chriſtum 1471 natum, putare, eumque Cecropem, Pandorum atque Metionem ante regnum ſuſceptum, & poſtremum quidem anno aetatis 27 genuiſſe: Metionem 24 annos natum, procreaſſe Eupalamum, qui eodem aetatis anno Daedalum genuerit. Colligi ex his poſſet, Daedalum cum Minos II periret, annos iam 43 natum fuiſſe. Et hanc Daedalo ſi tribuamus aetatem, omnia, quae Diodorus Siculus de eius ingenio artificioſo, de fuga in Cretam, de receſſu eius Sicilienſi, Minoisque hanc in inſulam expeditione, deque diuturna Daedali in Sicilia commoratione narravit, haec inquam omnia veritati haud repugnare videntur. Videatur Diodorus Siculus libro quarto, a capite 76 ſqq.

Cap.

# Caput. XII.

## *Hercules. Expeditio Argonautarum. Medea.*

Hercules Graecorum heroibus fictis minime eſt adnumerandus. Auctores antiqui omnes, hiſtorici, poetae, philoſophi, extitiſſe aliquando Herculem unanimes teſtantur. Genera inter Graecos clariſſima atque illuſtriſſima Herculem auctorem praedicabant, ab eoque ſerie haud interrupta deducebantur. 'Multa de Hercule fabuloſa, & ſine omni dubio ficta tradi, nemo ſanus negabit; at iſta non ſufficiunt omnia, ut heroem in Graecia extitiſſe Amphitruonis filium dubitemus, qui ob rerum geſtarum magnitudinem atque celebritatem in Deos relatus ſit. Poetae quidem praeclara facta huius herois fictionibus haud paucis adumbrarunt potius quam illuſtrarunt, quae quidem imaginationi, haud vero ſanae rationi poſſunt placere. Mox enim allegorias de Hercule fingunt, quas pro hiſtoriis habuere poſteri; mox heroem hunc ſolum, clava ſua armatum terribili, monſtra necaſſe horrenda, victoriasque deportaſſe ſplendidiſſimas, tradidere. Alius eſt Hercules hiſtoricus. Herculem hunc vidimus iuventutis principem, ab iniuſto crudelique tyranno oppreſſum, qui tamen huius in regno virorum audacium fortiumque cohortem in partes ſuas attrahere ſcivit, quorum auxilio res illas admirandas perfecit, quas de eo praedicare ſolent omnes. Diodorum, ceterosque, qui de Hercule mentionem faciunt ſcriptores, ſi evolvamus, alium profecto longe cognoſcemus hunc heroem, quam

 quem

quem poetae carminibus ſuis ſolent celebrare.

Sed ad inveſtigandam nativitatis eius epocham iam progrediamur. Probatur ea 1) e loco Herodoti[1], ubi Herculem nongentis ante ſe annis vixiſſe affirmet. Herodotus autem, quod infra capite de Troiano excidio probabimus, anno Juliano 4230 (Job. Fr. 3698) ante Chriſtum 484, natus eſt. Quo a numero ſi 900 ſubtrahimus, Herculis in annum Julianum 3330 (Job. Fr. 2798) ante Chriſt. 1384 incidit nativitas.

2) Probationem aliam indirectam nobis praebet Lydiae regum ſeries. Sardes a Cyro expugnatae ſunt anno Juliano 4169 (Job. Fr. 3637) ante Chriſtum 545. Annum hunc certum eſſe, nos ſupra, de Lydiae regibus capite, demonſtravimus. Ab hoc anno ſi retro numeremus, ſecundum Herodotum[2]) patebit, Gygen, primum e Mermnadibus Lydiae regem, 38, Ardyen 49, Sadyatten 12, Alyatten 57, Croeſum 14 annos regnaſſe, e quibus 170 anni colliguntur. Quos a 4169 ſi ſubducamus, annum Julianum 3999, (Job Fr. 3467) ante Chriſtum 715 inveniemus Heraclidae Lydiae regnum per 505 annos tenuerunt[3]); quibus a 3999 ſubtractis, Agronis, primi e gente Herculis regis in annum Julianum 3494 (Job. Fr. 2962) ante Chriſtum 1220 incidet regni initium. Hoc ab Agrone ad Herculem usque ſi recedimus, quinque, Her-

1) lib. 2. c. 145.
2) Herod. lib. 1. c. 14. 16. 25. 86.
3) Herod. lib. 1. c. 7.

Hercule incluſo, habebimus generationes [1], quae 166 annos efficiunt. His a 3494 ſubductis, reſiduum unum indicat Julianum 3328, (Job. Fr. 2796) ante Chriſtum 1386 qui biennio tantum ab eo differt anno, quem ſupra ex Herodoti loco computaveramus.

Ante captam Troiam Hercules anno 53 in Deos relatus dicitur, eiusque regni, ſive potius rerum ab eo geſtarum principia in annum ante ἀποθέωσιν eius 38 referenda ſunt, nam Herculis de rebus geſtis Apollodorus in fragmento Chronographiae ab Alexandrino Clemente [2] ſervato, de regni Heculis initio loquens, ſine dubio voluit explicare. Herculis igitur, hunc ſecundum auctorem, labores 91, nec 83 annos Troianam deletionem anteceſſerunt, quod poſtremum Freretus [3], Apollodoro erronee auctore laudato, putavit.

Auctoritates hae omnes, graviſſimae, nullique dubitationi obnoxiae videntur, nec quidquam niſi iuniorum chronologorum v. c. Apollodori, Eratoſthenis, aliorumque iis opponi poterunt opiniones, qui Herculem ideo iuniorem fuiſſe tradidere, quia Troianum plerique excidium in Julianum annum 3530 (Jobeleum Frank. 2998) ante Chriſtum 1184 retulere. Sed infra de Troiae excidio capite nos exponemus, eruditos hos viros nulla uſos eſſe alia ratione veritatem inveſtigandi, niſi generationum computa-

P 4 puta-

1) ibid.
2) Clement. Alex. Stromat. lib. I. p. 382.
3) Memoir. de l'acad. des belles lettres T. V. p. 292.

putatione, quam cum perverſe inſtituebant, nec caute ſatis ea utebantur, in errores ſuos delapſi ſunt. Erroresque iſtos recentiores chronologi inveſtigare potius, quam vel Apollodori vel Eratoſthenis preſſe ſequi veſtigia debuiſſent, vel horum ſyſtematum cum iis vetuſtiorum combinationem tentare. Si illud potius tentaſſent, longe facilius profecto ad metam perveniſſent, quam toto coelo diverſi ſyſtemata combinare tentantes.

At Homeri carmina longe praebent graviores obiectiones, quam quae iunioribus e chronologis peti poſſunt, operaeque pretium eſt, ad eos ut reſpondeamus. Poeta ille antiquitatis patriae, geographiae, omniumque artium & ſcientiarum ſui ſeculi peritiſſimus, qui Herodoto noſtro longe vetuſtior eſt, Herculem multo fecit iuniorem, quam nos ſupra computavimus, tradidit [1]) nempe Tlepolemum, Herculis filium, in expeditione Troiana militaſſe. Sed idem poeta quoque Phidippi meminit [2]) & Antiphi, Herculis nepotum, qui cum chronologia melius poſſunt combinari. Reſpondemus igitur Tlepolemum, circa vitae finem Herculis, & fortaſſis circa annum Julianum 3388 (Job. Frank. 2856) ante Chriſtum 1326 & triennio ante Herculem mortuum, lucem adſpexiſſe, videri, Tlepolemus igitur anno belli Troici decimo ultimoque 56 aetatis annum agere potuit. Fuiſſe & alios vetuſtiores Graecorum principes in exercitu legimus. Neſtor

v. c.

1) Iliad. lib. 2. v. 658.
2) ibid. v. 678.

v. c. hoc tempore ſenex 76 annorum ſine dubio fuit, quippe cum Homerus [1]) de eo refert, mori vidiſſe duas generationes & in tertiam regnaſſe. Neſtor igitur anno Juliano 3368 (Job. Frank. 2836) ante Chriſtum 1346 natus videtur. Aetas haec Neſtoris cum Homerica narratione & cum Herculis nativitatis epocha optime conciliatur. Hercules enim Pylon oppugnavit, Neſtorisque undecim fratres interfecit, Neſtor tunc abſens, quia, apud Gerenios [2]) educabatur, hanc ſolam ob cauſſam ſervatus videtur. Ipſe quoque aliquot annis poſt admodum parvus fuiſſe videtur, cum a patre Neleo [3]), Pyliis contra Epeos pugnantibus, arma ferre prohiberetur. Neſtorem igitur eo tempore, quo Hercules patriam ſuam vaſtavit, ſeptennini vel octennis, & belli Epeenſis tempore quatuordecim annorum puerum fuiſſe putamus. Herculis autem in Pylios expeditio anno circiter Juliano 3376 (Job. Frank. 2844) ante Chriſt. 1338 hoc eſt anno herois quadrageſimo ſexto, ſuſcepta.

Ad Tlepolemum quod attinet, conferantur quoque ea, quae capite XIV. Sectione I. §. 5. diſputabimus, ubi herois huius poſt Herculis obitum expeditiones, tempusque, quo in Rhodiorum inſulam colonos duxit, explicantur, ex quibus Homerum iis minime contradicere clarum eſt, quae Herculis nativitatis tempore a nobis ſtatuuntur.

P 5 Her-

1) Id. ibid. lib. 1. v. 250.
2) Apollod. lib. 2. c. 7. §. 3. p. 130.
3) Hom. Iliad. lib. 11. v. 717 &c.

Herculis ſeculum & hoc modo poſſumus inveſtigare. Melanthus [1]) rex fuit Meſſeniae, & Nelei poſterorum ſextus per Andropompum, Borum, Penthilum, Periclymenum, Nelei filium. Melanthus e regno pulſus ab Heraclidis anno Juliano 3524 (Jobeleo Frank. 2992) ante Chriſtum 1190, quod cap. VIII. §. 3. de chronologia Athenienſium probavimus, iterumque infra cap. XV. probabimus. Secundum generationum normam Neleus anno Juliano 3324 (Jobeleo Frank. 2792) ante Chriſtum 1390 vel brevi tempore maturius, natus eſt, non enim a Melanthi morte, ſed ab eius expulſione computationem noſtram inſtituimus. Hercules itaque, anno Juliano 3330 (Job Fr. 2798) ante Chriſtum 1384 natus, Neleum hunc videre bellumque ei potuit inferre, qui ſex annis tantum maior ipſo erat.

Genealogiis his omnibus inter ſe optime convenientibus, earum convenientia calculos noſtros extra dubium ponere, methodumque, qua uſi ſumus, probare videtur.

Tranſeamus igitur ad expeditionem Argonautarum, & Medeae raptum, qui neceſſario in Herculis aevum incidere debent eventus, cum heros iſte unus Argonautarum fuiſſe dicitur. Troiam, mox videbimus, anno Juliano 3444 (Job. Frank. 2912) ante Chriſtum 1270 captam eſſe. Decem per annos urbs iſta oppugnata, bellum igitur anno Juliano 3434 (Job. Fr. 2902) ante Chriſtum 1280 coeptum eſt. Decem annos alios

---

1) Pauſan. Corinth. ſive lib. 2. c. 18. p. 151.

alios Graeci in apparatibus hunc ad bellum conſumſerunt. Helene igitur ab Alexandro, ſive Paride anno Iuliano 3424 (Job Fr. 2892) ante Chriſtum 1290 rapta eſt. Narravit Herodotus 1), eam ſecunda poſt Medeae raptum generatione, a Paride raptam eſſe. Argonautarum igitur expeditio in annum circiter Iulianum 3364 (Job. Fr. 2832) ante Chriſtum 1350 facta, annosque ſexaginta Helenae raptum anteceſſit, & Hercules eo tempore annum aetatis agebat trigeſimum quartum.

## Cap. XIII.

### *De Troiae urbis everſione.*

Graecorum expeditio Troiana omni in antiquitate celeberrima fuit. Graeci hoc in bello gloria aucti, quorum poetae res geſtas factaque illuſtria, carminibus ſuis celebrare certantes, poſteritati tradiderunt, eaque, ingenii ſui ope cultu atque ornatu ſplendidiſſimo exornare tentantes, illuſtrando obſcurarunt. Urbis huius expugnatio apud hiſtoriarum & chronologiae ſcriptores veteres epocha facta, qua, ad tempora, hunc eventum vel antecedentia vel ſequentia, definienda uſi ſunt. Sed proh dolor! Scriptores pro ſeculorum iſtorum more hac epocha Troiana utentes, neque ante neque poſt hanc

1) lib. 1. c. 3.

hanc everſionem annos iam elapſos adnotarunt. Genealogias tantum illuſtrium principum, quorum Troiana expeditione longe vetuſtior erat origo, quorumque poſterorum ſeries multa poſt eam ſecula clara, tandem deſierat, ad temporum ordinem quodammodo figendum in auxilium vocarunt. Herodotus ipſe alia nulla uſus eſt in temporibus computandis ratione, qui fere ſemper generationes numerare ſolet, earumque tres ſeculi ſpatium explere docet [1]). Interdum is generationum addere ſolet computationem ſecundum ſuam veterumque ceterorum rationem, qui tres ſeculum comprehendere generationes putarunt, &, niſi librariorum culpa vel incuria corruptus ſit eius contextus, accurate computavit. Interdum autem annorum tantum numerum, nullis iis additis generationibus, computare ſolet, annos vel ab hoc vel ab illo eventu ad ſuam ipſius nativitatem, vel Aegyptiacum iter, elapſos numerans, qui utrique anni popularibus ſuis notiſſimi erant. Rariſſime tamen, ſi generationum numerum non addidit computationibus ſuis, eas omiſit, nec aliam ut videtur ob cauſſam, niſi una eademque verba ſemper repetenda ut vitaret, id feciſſe videtur, numquam tamen putemus, eum generationes, earumque ſeriem neſciviſſe, vel aliud quoddam temporum accuratius computandorum auxilium ipſi cognitum fuiſſe, multo vero minus quis ſuſpicetur, eum annos, ſi generationes addere omiſit, precario tantum adiieciſſe, nec certam

1) Herod. lib. 2. c. 142.

tam eorum ſummam perſcrutari potuiſſe. Attamen dubitare quis poſſet, tam profunda ex antiquitate, num generationum ſeries extiterint incorruptae, quorum auxilio tempora poſſint computari? Quod ſi conſideramus, vix ullam rem geſtam eſſe memoriae dignam, quam in faſtos eius, qui eam geſſerat, urbis non inſcribere, quam marmoribus atque aere non incidere ſoluerint; neminem umquam civium publicis in ludis victoriam deportaſſe, cuius, patrisque nomina tripodi, victoriae honore, non inſculpſerint; omnes denique tam ſacras quam civiles dignitates atque munera certis in generibus fuiſſe hereditaria; haec, inquam, ſi conſideramus, religioſa illa Graecorum in maiorum ſuorum ſerie conſervanda cura, minime miranda videbitur. Herodotus ipſe noſter ternas, quae tempore ſuo adhuc exſtabant inſcriptiones talium tripodum laudavit[1]), primam in Amphitruonis, Herculis patris, alteram in Scaei, Hippocoontis filii, honorem. Scaeus iſte Oedipodi fuit coaevus, unaque cum patre ab Hercule occiſus eſt[2]). Origo eius ſplendidiſſima, qui Hellenem, Aeolum, Perierem & Deucalionem parentes habuerat[3]). Tertia denique Laodamantis, Eteoclis, Thebani regis, filii in honorem inciſa. Et noſtris temporibus vetuſtior adhuc legitur inſcriptio in fronte templi Ongae, quo nomine Pallas apud Lacones & Boeotios cole-

1) Herod. lib. 5. c. 59. 60. 61.
2) Apollod. de Diis lib. 3. c. 10. §. 5.
3) ibid. lib. 1. c. 7. §. 2. 3. lib. 3. c. 10. §. 4.

colebatur, cuius argumentum eſt, Eurotam, Icteocratenſium regem, templum hoc Amyclis adhuc integrum conſervatum, Ongae Deae conſecraſſe [1]). Icteocratenſes iſti, veteres Laconiae incolae fuere, quod Heſychius, ſecundum Aldinam & Schrevelianam editionem, optime expoſuit. Obſervavit quoque *Meurſius* [2]), idque rectiſſime, Lacones hoc nomine uſos eſſe, antequam a Lacedaemone, qui Spartam, Eurotae filiam duxerat, Lacedaemonii appellati ſint. Aliter rem explicare tentat *Hemſterhuſius*, qui Heſychium ſcripſiſſe ſuſpicatur ἰκτεῦ. κρατεῖ. Λάκωνες. Vocem igitur is ἰκτεῦ Laconibus propriam fuiſſe docet, idem quod κράτει ſignificantem, i. e. *tangit*, *apprehenſum ſentit*. Poſtremus Heſychii editor *Alberti*, animadverſionem hanc Hemſterhuſii recepit, eiusque coniecturam, quod minime debuiſſet, Heſychiano in texto inſeruit, veteremque lectionem eiecit. Nec *Ruhnkenius* ſummus, qui poſt Alberti mortem ſecundi voluminis editionem curandam ſuſceperat, auctariumque emendationum addiderat, quidquam hac de coniectura protulit. Quae in Lucubrationibus Elegantiorum litterarum academiae legitur inſcriptis, Lacedaemonios, ſub regibus ſuis ante Heraclidarum expugnationem Icteocratenſes dictos eſſe dixit; patetque ex aliis [3]), eos hoc nomine primis ſub Hera-

---

1) Memoir. de l'acad. des Inſcr. & bell. Lettr. T. 15. p. 403.
2) Miſcell. Lacon. lib. 3. c. 8.
3) Memoires de l'Acad. des Belles Lettres T. 15. p. 400.

Heraclidis regibus adhuc uſos eſſe. 'Legitur autem in priori: Ὄγαι Ἰκτεοκρατέες, addito Eurotae nomine, qui templum hoc Amyclaeum Ogae ſive Ongae, Boeotiorum Palladi, conſecraverat, quam Deam Cadmus ſecum adduxerat, & aliae nonnullae inſcriptiones extra dubium omne rem ponunt. Inter eas, quas *Furmontius* ſecum attulit, quae in Bibliotheca regia Pariſina ſervantur, plures ſunt, in quibus regum Lacedaemoniorum nomina, & ſub his Pythiorum nomen, infraque hoc circulus in plures areolas diviſus, apparet. Singulis his in areolis litterae, quae omnes iunctae nomen Λακεδαιμένιον componunt, leguntur. Inſtar igitur Lacedaemoniorum ſigilli hoc eſſe videtur. In regum Soi & Echeſtrati inſcriptionibus idem eodem modo diviſus circulus, ſi litteras areolis inſertas iungamus, nomen Ἰκτεοκρατέες vel Ἰκτεοκράτοον continet, hoc igitur eo tempore Lacedaemonios appellatos putamus, ſicuti poſtea Lacedaemonium nomen iis placuit. Recte igitur Heſychium Ἰκτεοκρατεῖς ſcripſiſſe iudicamus, & Hemſterhuſium nimis leviter Meurſium abſurditatis accuſaſſe putamus, quia Icteocratenſium is populum extitiſſe crediderat. Antiquiſſimae enim ſunt iſtae inſcriptiones. Eurotas eius dynaſtiae, qui Laconiam ante Heraclides regnavit, tertius rex fuit, Cranaique, ſecundi Athenienſium regis, coaevus videtur, ideoque in annum Julianum 3192, (Jub. Fr. 2659) ante Chriſtum 1522 referendus. Sous ſecundus fuit rex Heraclidarum e gente, a Proclo, Echeſtratusque tertius horum regum ab Euryſthene ortus.

Quae

Quae inſcriptiones antiquiſſimae, ſi ad noſtra usque tempora conſervari potuere, licet nonnullae 3300 annis vetuſtiores habendae, vero haud abſimile videtur, in Graecia olim florentiſſima talium inſcriptionum extitiſſe ſeriem longiſſimam, quarum ope hiſtorici tempora ſine difficultate errorisque periculo computare potuere. Cives quia etiam illuſtres maiorum ſuorum ſtemmata religioſe conſervarunt. Hecataeus v. c. Mileſius, qui paucis ante Herodotum noſtrum annis hiſtorias conſcripſit, ſedecim numerare ſolebat maiores[1]), qui quamquam maiorum ſuorum decimum ſextum ultimumque Deum ipſum praedicabat, eius tamen ſtemma totum quaſi fabuloſum condemnare non aequum eſt. Credimus potius decimum quintum eius parentum, eiusque generis auctorem virum quendam magnum & illuſtrem fuiſſe, cuius patris nomen erat ignotum, quare poſteri propter vanitatem eum a Deo quodam genitum eſſe fabularunt.

Genealogias has omnes Cyclici ſcriptores, de quibus *Heynius noſter ſummus*[2]) conſulendus eſt, magna cura collegere. Opera iſta illis temporibus notiſſima fontem poetis, tragicis inprimis, uberrimum praebuere, quin etiam hiſtorici aliique pedeſtri ſermone utentes ſcriptores hos ad fontes accedere haud erubuerunt. Quibus enim aliis e fontibus Diodorus multique alii haurire poterant ea, quae de heroum ſeculis tradi-

1) Herod. lib. 2. c. 143.
2) Excurſ. ad Aeneid. II.

tradidere, inſcriptionibus nimis brevibus minusque ſufficientibus ad uberrimam hiſtoriam ex iis conſcribendam? Periere quidem nobis, quod dolendum, cyclici iſti ſcriptores, & Apollodori quoque Atheníenſis grammatici doctiſſimi, & Ariſtarchi diſcipuli, Bibliothecae pars tantum nobis ſervata eſt, quae tres ſolos priores eius libros, manco tamen tertio, continet. Hanc Bibliothecam viri doctiſſimi plures, quos inter & *Salmaſius* [1]), cyclicorum iſtorum carminum epitomen eſſe ſuſpicati ſunt [2]).

Veterum in temporibus computandis methodo paucis explicata, ad Troiani excidii tempus definiendum nunc tranſeamus. Herodotus, Graecorum ſcriptorum qui ſuperſunt vetuſtiſſimus atque doctiſſimus, Panum, inquit [3]), Penelopes filium paucis poſt Troiam captam annis, natum, & octo circiter ſeculis vetuſtiorem ipſo

1) ad Solin. Polyti. p. 847.

2) *Heynius* noſter (Ad Apollodori Bibl. notae P. III. p. 936.) Apollodorum eo conſilio eosdem mythos collegiſſe putat, ut uno volumine proponeret compendium eorum mythorum, qui a poetis maxime eſſent frequentati, inprimis qui in cyclo epico occurrerent, multa tamen attexuiſſe, quae in aliis poetis, etiam in tragicis & lyricis occurrerent; nec tamen quantum quidem aſſequi licet, Apollodorum e poetis cyclicis ipſis, ſi Heſiodum excipias, ea excerpſiſſe; ſed ſequutum eſſe videri auctores mythicos, quorum etiam nomina interdum apponit.

3) lib. 2. c. 145.

ipſo fuiſſe. Quae cum dicat in libro ſuo Aegyptiaco, de aetate quam tunc agebat intelligenda videntur, & vitam eius inveſtigando eum tunc annos circiter 24 natum fuiſſe colligimus. Natus quippe Herodotus anno Juliano 4230 (Job. Fr. 3698) ante Chriſtum 484 quod his ex argumentis demonſtramus. Pamphila, celebris quaedam femina Nerone imperante, apud Gellium[1]; Herodotum, inquit, belli Peloponneſiaci initio annos 53 natum fuiſſe. Incidit autem primus huius belli annus, omnibus conſentientibus hiſtoricis, in annum Julianum 4283 (Job. Fr. 3751 ante Chriſtum 431 ex quo patrem hiſtoriarum anno Juliano 4230 (Job. Fr. 3698) ante Chriſtum 484 natum apparet, qui circa annum Julianum 4254 (Job. Frank. 3722) ante Chriſtum 460 Aegyptiacum ſuum iter ſuſcepit. Panus, qui octo ante hoc tempus ſeculis in lucem editus dicitur, in annum Julianum 3454 (Job. Fr. 292 ) ante Chriſtum 1260 referendus eſt, & heroe hoc decimo circiter poſt Troiam captam anno nato[2]), expugnatio huius urbis, ex Herodoti ſententia anno Juliano 3444 (Job. Frank 2912) ante Chriſtum 1270 facta eſt.

Buherius[3]; iisdem ex argumentis Troiam anno Juliano 3462 (Job Fr 2930 ante Chriſtum) 1252 captam eſſe, demonſtrare voluit. Sed huius diverſae doctiſſimi viri ſententiae ratio ea eſt, quod Panum binos poſt bellum Troianum &

1) Noct. Attic. lib. 15. c. 23.
2) Herod. lib. 2. c. 145.
3) Rech. & Diſſ. ſur Herod. c. 11.

& octo ante urbem hanc captam annos vixiſſe putavit. Hoc enim e verbis Herodoteis: ἐλάσσω ἔτεα ἐςι τῶν Τρωϊκῶν, colligit, quae de Troianae expeditionis initio interpretatur, cum tamen ad finem eius potius reſpiciant, quia, ſi ad tempora computanda hac expeditione utuntur chronologi veteres, ſemper eius finem, h. e. Ilii everſionem intelligere ſolent. Quare Herodotum quoque de everſione potius, quam de belli initio explicandum eſſe cenſemus, licet enim aeque certum fuit belli principium, tamen pro epocha numquam id Graeci uſurparunt.

*Freretus* & *Buberius*, iisdem ex principiis, quibus uſus eſt *Larcherius*, exiere, alia tamen *Freretus*, quam poſteriores duo invenit, annum enim excidii Troiani Julianum 3432 (Job. Fr. 2900) ante Chriſtum 1282 putavit, quem ſequentibus probare ſtuduit argumentis [1]: „*Herodotus*, inquit, *anno 482 natus eſt, quia primo Peloponneſiaci belli anno annum aetatis agebat 53. Initium huius belli, conſentientibus omnibus temporum computatoribus, in annum incidit 430; ex quo Herodotum anno 482 lucem adſpexiſſe patet. Excidium igitur Troianum, vel Pani nativitas, quae octo ſeculis ante Herodotum evenit, hunc ſecundum ſcriptorem in annum circiter 1282 ante Chriſtum natum referenda.*“

Cum *Frereto* belli Peloponneſiaci initium in annum ante Chriſtum 430 ſi ponamus, inde Herodotum anno ante Chriſtum 483 natum eſſe colligere oportet, quia is hoc tempore aetatis

 ſuae

1) Mem. de l'acad. des Inſcr. T. V. Mem. p. 286.

ſuae annum agebat 53. At bellum iſtud ortum eſt anno praecedente, uti demonſtravit *Petavius* de doctrina temporum lib. X. cap. 28. Herodotus igitur, quae noſtra iam expoſita eſt opinio, anno ante Chriſtum 484 vitam adſpexit. *Freretus* porro bellum Troianum & Pani nativitatem octo Herodoti tempus anteceſſiſſe ſecula putavit, cum tamen ipſe pater hiſtoriarum Panum octo ſeculis antiquiorem fuiſſe, heroemque hunc paucis poſt Troiam captam annis in lucem editum eſſe, teſtatus eſt [1]. *Freretum* hunc in errorem incidiſſe, in magnis doctiſſimi viri occupationibus, praeſertim in re maxime erroribus expoſita, minime mirandum eſt; eoque facilius ad hoc credendum adducimur, quia vir doctus in proxime praecedentibus Panum decennio poſt Troiae excidium elapſo genitum eſſe ipſe confeſſus eſt.

Alia adhuc epochae Troianae probatio e vita Homeri, quae vulgo nomen Herodoti prae ſe fert, quamquam patrem hiſtoriarum auctorem ſine dubio non habuit, peti poteſt. E genere tamen dicendi colligimus, vitae huius Homericae auctorem vetuſtum eſſe ideoque fide non indignum. Homerum auctor iſte 168 poſt Troiam captam annis floruiſſe tradidit [2], Graeciamque poſt Homerum anno 622 a Xerxe bello oppreſſam eſſe ſcripſit. Num iure vel iniuria Homerum auctor iſte tam brevi poſt Troiam everſam tempore floruiſſe ſcripſerit, iam non quae-

1) Herodot. lib. 2. c. 145.
2) Homeri vita c. 38.

quaerimus, ſed monuiſſe ſat erit, vitae huius Homericae auctorem eundem eſſe Herodotum non poſſe, quem Muſae novem auctorem agnoſcunt, quippe qui Homerum quatuor ſeculis ſe antiquorem fecit, ex quo eum anno poſt Troiam captam 410 vixiſſe colligitur. Hac tanta ex differentia, Herodotum noſtrum vitae huius auctorem non eſſe, patet, ſed ex ea, computationem auctoris eius anonymi ad Troianum quod attinet excidium reiiciendam atque contemnendam eſſe, non ſequitur. Sine dubio fuit eius opinio, Troiam 790 ante Xerxis invaſionem anno direptam fuiſſe. Scimus autem Xerxem anno Iuliano 4234 (Iob. Fr. 3702) ante Chriſtum 480 arma Graeciae intuliſſe. A quo numero 4234 ſi annos iſtos 790 ſubducamus, eumque numerum 480 addamus, in annum Iulianum 3444 ante Chriſtum 1270 incidemus.

Thucydidis [1]) de Troiae excidio fuit eadem opinio. Melienſes enim inquiunt anno belli Peloponneſiaci decimo ſexto, inſulam eorum ſeptem ante ſeculis eſſe fundatam. Eſt autem belli Peloponneſiaci annus decimus ſextus ſine omni dubio Iulianus 4298 (Iob. Fr. 3766) ante Chriſtum 416, bellum enim hoc anno Iuliano 4283 Iobeleo Frank. 3751) ante Chriſtum 431 ortum eſt. Melienſium igitur fundatio in annum Iulianum 3598 (Iob. Fr. 3066) ante Chriſtum 1116 referenda. Conon [2]) tradidit, Melienſium inſulam tribus poſt Pelopon-



1) lib. 5. §. 112.
2) Narration. 36.

neſum ab Heraclidis occupatam generationibus praeteritis eſſe fundatam, ex quo hanc occupationem Melienſium fundatione ternis generationibus antiquiorem eſſe patet. Duae generationes, ſecundum veterum computationes, annos continent 67, tres vero ſeculum, quare iſta occupatio intra Julianum 3499 (Job. Frank. 2967) ante Chriſtum 1215, & Julianum 3532 (Job. Fr. 3000) ante Chriſtum 1182 annum accidit.

Nos infra capite XV. de Heraclidis, e fundatione Calliſtus inſulae demonſtrabimus, Peloponneſum ab Heraclidis anno Juliano 3524 (Job. Frank 2992) ante Chriſt. 1190 occupatam eſſe, qui annus in tertiam a Conone computatam generationem ante Melienſes fundatos incidit. Thucydides [1]) alio quoque loco Peloponneſum ab Heraclidis ſubiugatam ſcripſit poſt Troiae excidium anno octogeſimo. Huius quoque Scholiaſtes [2]) Heraclidarum reditum in octogeſimum poſt Troiam captam annum, eorumque primam expeditionem in vigeſimum ante Troiam captam annum collocavit. Eadem eſt opinio Eratoſthenis, Apollodori, Velleii Paterculi, omniumque qui temporum periti habentur, optimeque ea convenit cum Herculis nativitatis anno, ſecundum Herodotum, ſicuti cum noſtra de Heraclidis infra exponenda opinione. Troianum igitur excidium, ex mente Thucydidis in annum Julianum 3444 (Job. Fr. 2912) ante Chriſt. 1270 referendum eſt.

Vide

1) lib. 1. §. 12.
2) loc. laud.

Videtur quoque haec epocha e regum Albanorum ſerie, a Tito Livio, Dionyſio Halicarnaſſenſi, & Euſebio conſervata demonſtrari poſſe. Seriem quindecim regum Albanorum, Aenea, qui Albam quidem non condidit ipſe, ſed Aſcanium, urbis conditorem, genuit, incluſo, hos apud auctores legimus, filiusque ſemper patri ſucceſſit. Rheam his ſi addamus, Numitoris, a fratre Amulio regno privati, filiam, quae Romulum peperit, a Troiano excidio ad Romam urbem fundatam quindecim habebimus generationes cum dimidia, quia femininae ſucceſſionibus tantum ſive dimidiis generationibus aequiparantur. Comprehendunt autem hae 15 generationes & dimidia, annos 516. Roma condita dicitur anno tertio Olympiadis ſextae, anno Juliano 3960 (Job. Frank. 3428) ante Chriſtum 754. Numerum 516 a 3960 ſi ſubtrahamus, cumque ad 754 addamus, qui numeri Julianam & Chriſtianam aeram antecedentem annum, quo Roma condita dicitur, indicant, patebit, Aeneam naves ad Italiam quaerendam, ibique ſedes figendas conſcendiſſe anno Juliano 3444 (Job. Fr. 2912) ante Chriſtum 1270.

Regum igitur Albanorum generationes cum praecedentibus conveniant computationibus, pondusque noſtris argumentis haud contemnendum addunt.

Hiſtoricorum graviſſimorum ac doctiſſimorum, quales Herodotus & Thucydides, ut Vitae Homeri taceamus auctorem, ſine dubio habendi, auctoritas, non coaevorum ſolum, ſed & poſteriorum temporum ſcriptores eorum in ſententiam adduxiſſe videtur, quae horum

magnorum ſcriptorum ſeculis, & per duo circiter poſt eos ſecula vulgaris fuiſſe videtur. Nec ſingularitatis ſtudium poſteriores, ut ab iis recederent, abripuiſſe credimus. Hi ſine dubio argumentis uſi ſunt ad ſuam confirmandam opinionem, quae ſub examen nunc vocare placet, idque eo magis, quia nemo in id operam ſuam impendit, resque ideo novitatis & iucunditatis nomine commendatur. Intereſt nobis ſcire rationes, quibus hiſtorici & chronologi poſteriores moti, viam ab Herodoto & Thucydide monſtratam reliquere, aliamque novam quaeſivere. Lectores noſtros labores & ſtudia chronologorum recentium praeſtantiſſimorum diiudicabunt, qui Eratoſthenem, Apollodorum & Euſebium, nullis aliis, niſi nominum eorum celebritate, adducti rationibus, duces ſibi elegere. Sed antequam ad hoc examen progrediamur, neceſſarium videtur, diverſos veterum de Troiano excidio calculos breviter explicare, non ſecundum tempora quibus vixerunt vel floruerunt auctores, ſed ſecundum maius minusve temporis ſpatium, quod eorum inter noſtrosque calculos intercedit. Herodotum, Thucydidem, & de vita Homeri ſcriptorem vetuſtum huius urbis interitum in annum Julianum 3444 (Job. Fr. 2912) ante Chriſtum 1270 collocaſſe, ſupra iam expoſuimus. Transeamus ergo ad Dicaearchum.

Meſſenienſis iſte Siculus hiſtoricus, uti *Dodwellus*, in diſſertatione ſuper Dicaearcho, alteri Geographorum minorum volumini inſerta, demonſtravit, anno Juliano 4392 Job. Fr. 3860) ante Chriſtum 322 vixit. Floruit ergo

cir-

circiter 130 poſt Herodotum annis elapſis, variaque, interque ea & opus *Βίος Ἑλλάδος*, i. e. de Statu Graeciae, inſcriptum, compoſuit, de quo Suidas ſ. v. *Δικαίαρχος*, & Küſterus in h. l. Meurſiusque in libro II. Bibliothecae Graecae conſulendi. Laudavit Apollonii Rhodii vetus [1]) interpres primum & alterum huius operis librum. In primo qui e primo libro deſumtus eſt loco, de duabus Graecorum epochis ſermo eſt, quare eum h. l. repetere placet. — E loco libri ſecundi eum, e quo Scholiaſtes priorem excerpſit, librum Dicaeachi, *Βίος Ἑλλάδος* inſcriptum fuiſſe ſcimus. Eſt autem in editis ita corruptus locus, ut *Larcherius* occaſionem hanc non dimittendam cenſuit ad integritatem eius reſtituendam. Incipit autem in ſecundo loco, qui ſic editus eſt. *Φησὶ δὲ Δικαίαρχος ἐν δευτέρῳ, καὶ Ἑλληνικῦ βίυ Σεσογχώσιδι μεμελημένα· καὶ νόμυς αὐτὸν θέσθαι λέγει, ὥςε μηδένα καταλιπεῖν τὴν πατρῴαν τέχνην.* Senſus horum verborum foret, Dicaearchum in libro ſecundo ſcripſiſſe, Seſonchoſidem mores inſtitutaque Graecorum imitaſſe. At Seſonchoſidi ſine dubio vix notum fuit quidquam de Graecorum populis, & ſi Graecos eſſe cognoſſet, quam legem, quos veritus a populo recipere potuerit, qui barbarorum adhuc incultorum more vivebat? Hoc ſtatim occurrit *Larcherio*, virgulam & copulam *καὶ* poſt *δευτέρῳ* eſſe tollendam, prioremque poſt vocem *βίῳ* ponendam, ſic ut voces *Ἑλληνικὸς βίος* opus *Βίος Ἑλλάδος* inſcriptum ſignificent; ſed ſine

 codi-

1) Scholiaſt. Apollon. Rhodii ad IV. libr. v. 272 & 276.

codicis manuſcripti pretioſi Bibliothecae regiae Pariſinae a ſeculo decimo quinto, cui numerus 2727 in fronte adſcriptus eſt, auxilio, qui coniecturam ſuam confirmavit, excogitare nunquam potuiſſe fatetur, unde verbum μεμεληκέναι regeretur; quam ob cauſſam codicis verba hoc loco inſeruit, quae ſequentia ſunt: Δικαίαρχος δὲ ἐν Α΄ μετὰ τὸν Οσίριδος καὶ Ἴσιδος Ὧρον, βασιλῆα φησὶ γεγονέναι Σέσωστριν· ὥστε γενέσθαι ἀπὸ μὲν τῆς Σεσώστριδος βασιλείας μέχρι τοῦ Νείλου ἔτη ΒΦ. ἀπὸ τῆς Νείλου βασιλείας μέχρι τῆς α΄ ὀλυμπιάδος ἔτη υλς. ὡς εἶναι τὰ πάντα ὁμοῦ ἔτη ΒϠΛϚ. καὶ νόμους δὲ λέγει Δικαίαρχος αὐτὸν τεθεικέναι, μηδένα καταλείπειν τὴν πατρώαν τέχνην. τοῦτο γὰρ ᾤετο ἀρχὴν εἶναι πλεονεξίας. καὶ πρῶτον δὲ εὑρηκέναι ἵππων ἐπιβαίνειν ἄνθρωπον· ἄλλοι δὲ ταῦτα εἰς Ὧρον ἀναφέρουσι· καὶ τοῦτο δὲ φησὶ Δικαίαρχος ἐν Β΄ Ἑλληνικοῦ βίου Σεσώστριδι μεμεληκέναι. „*Dicaearchus libro primo tradidit, Orum, Oſiridis & Iſidis filium Seſoſtrin habuiſſe ſucceſſorem, a cuius Seſoſtris regno ad Nilum regem 2500, a Nilo rege ad primam Olympiadem 436 annos elapſos eſſe, qui in univerſum 2936 annos efficiunt. Idem Dicaearchus quoque ſcripſit, Seſoſtrin lege ſanxiſſe, a nemine patris artem eſſe deſerendam, eius enim deſertionem aviditatis principium ratus. Idem ait, equos conſcendendi artem hunc regem docuiſſe, quod ab aliis Oro tribuitur. His in rebus Seſoſtrin occupatum fuiſſe Dicaearchus in ſecundo libro* Bios Ἑλλάδος *inſcripto tradidit.*“

1) Neque virgula neque copula καὶ in codice Regio leguntur, quibus *Larcherii* confirmatur coniectura.

2) hoc in codice verbum *μεμεληκέναι* ſubiectum conveniens a quo regitur habet, cum in editis plane abſurdum tribuitur.

3) In edito contextu ineſt quoque transpoſitio, ex qua vitia haec gravia orta ſunt.

4) In editis *Seſonchoſis* legitur, codex contra *Seſoſtris* habet. Et haec codicis lectio ſine dubio vera, cum in loco Apollonii, cuius Scholiaſtes explicationem tentavit, de Seſoſtri ſermo eſt, & Manetho [1]) quoque Seſoſtrin a Seſonchoſi diverſum teſtatus eſt.

Sed ad Dicaearchum ut redeamus, cuius liber hanc in digreſſionem nos induxit, certum videtur, eum chronologiam quidem non condidiſſe, epochas tamen Graeciae notatu digniores comprehendiſſe, quas cum exterorum regnis auctor combinare ſtuduit. Nilus, quem Phruronem quoque Syncellus appellavit, ſive fuerit Proteus aliorum, ſive ab hoc diverſus, quod poſtremum e Diodoro Siculo [2]), qui Nilum a Proteo diverſum, hosque longo temporis intervallo a ſe diſtantes tradit, veriſimile redditur. dubium eſſe non poteſt, Dicaearchum hoc ſub rege Troiam everſam credidiſſe. Indicat hoc cura auctoris in annotanda regni huius a prima Olympiade diſtantia, qua quidem methodo uti ſolebant veteres, in epocha hac determinanda. Fuit haec quoque *Marshami* 3) ſententia,

1) Syncelli Chronogr. p. 59. Pariſ. p. 47. Venet.
2) Lib. 1. §. 62. qui hiſtoricus octo generationum intervallum hos inter reges habet.
3) Chronogr. Can. &c. p. 238.

tentia, licet eam non probaverit. Patet igitur Dicaearchum hanc everſionem celebratam in annum Julianum 3502 (Job Frank. 2970) ante Chriſtum 1212 poſuiſſe.

Chronici Parii auctor floruit anno 264 ante Chriſt. h. e. 220 anno poſt Herodotum natum. Patet hoc ex eo, quod Chronologiam ſuam ad Archontem Diognetem retulit 1), qui hoc anno Eponymus fuit. Troianam is everſionem anno Meneſthei regis 22, aerae Atticae 964 accidiſſe tradidit, qui quidem annus eſt Julianus 3505 (Job. Fr. 2973) ante Chriſtum 1209. Error tamen eius manifeſtus eſt. Belli enim Troiani in annum aerae Atticae 954, qui cum decimo tertio regis Meneſthei congruit, initium ponens 2), eius finem neceſſario ponere debuiſſet in eiusdem aerae annum 964, & regis Meneſthei 23. Quod ſi feciſſet, neque ſibi ipſe, neque aliis contradixiſſet chronologis, qui eventum hunc memorabilem in Meneſthei regis annum 23 retulerunt. Videtur tamen hoc voluiſſe Chronographus Parius, quare nos eius ex mente in annum Julianum 3506 (Job. Fr. 2974) ante Chriſtum 1208 Troianum collocamus excidium.

Timaeus floruit circa annum Julianum 4400 (Job. Fr. 3868) ante Chriſtum 314 poſt Herodotum circiter anno 170, Troianum is excidium a prima Olympiade 417 annos abfuiſſe ſcripſit, quod Cenſorinus 3) nobis tradidit, dubium enim

1) Marm. Oxon. Epocha 25.
2) Marm. Oxon. Epoch. 24.
3) de die natali c. 21.

enim nullum eſt, auctorem iſtum hoc in loco de excidio Troiano cogitaſſe, licet id librariorum negligentia excidit. Lacunam hanc in textu huius ſcriptoris primus vidit *Boivinus Maior*, eamque optime reſtauravit, cuius quidem rationes in Diſſertationibus Academiae bonarum artium [1]) expoſitae ſunt. Locum tamen addere hic placet ita ut a *Boivino* reſtitutus eſt, additamentis eius aliis litterarum formis exſcriptis. „A priore ſcilicet cataclysmo, quem Ogygium dicunt, ad Inachi regnum, anni circiter quadringenti. *Hinc ad Cecropis primi regnum in Attica, anni quoque circiter quadringenti. Hinc ad captam Troiam, anni paullo minus quadringentis.* Hinc ad Olympiadem primam paullo plus quadringentos. Quos ſolos, quamvis mythici temporis poſtremos, quidam certius definire voluerunt, & quidem Soſibius ſcripſit, eſſe CCCXCV, . . . Timaeus CCCCXVII.“

Hanc *Boivini Maioris* reſtitutionem integritatis contextus ſi probamus, Troia ſecundum Timaeum hiſtoricum anno Iuliano 3521 (Job. Fr. 2989) ante Chriſtum 1193 capta dicitur.

Velleius Paterculus Troianum excidium 415 anno ante primam Olympiadem accidiſſe putavit, quod eius ex verbis colligimus: Romulus, inquit, Romam urbem Olympiade ſexta fundavit, & poſt primam eorum inſtitutionem anno 22. *Sexta Olympiade* [2]), *poſt duo & viginti annos, quam prima conſtituta fuerat. Romulus . . . Romam urbem*

1) Memoir. de l'acad. des belles lettres T. II. p. 388.
2) Vellei. Pat. lib. 1. c. 8. §. 4.

*urbem Parilibus in Palatio condidit.* Eaque fundatio, addidit Velleius anno poſt Troiam captam 437 facta. *Id actum inquit, poſt Troiam captam anni* 437 [1]).

Roma urbs ſi dicitur fundata eſſe anno 22 poſt Olympiadem primam, inde fundamenta eius iacta eſſe anno tertio Olympiadis ſextae ſequitur, h. e. anno Juliano 3960 (Job. Fr. 3428) ante Chriſtum 754 & menſe quidem octobri, uti *Petavius* [2]) optime oſtendit. Quum autem urbs Troiana 437 annis prius capta dicitur, Velleius ſine dubio eam anno Juliano 3523 (Job. Fr. 2991) ante Chriſtum 1191 everſam eſſe putavit. Annorum igitur 415 intervallum inter Troianum excidium & Olympiadem primam ex mente Velleii fuit.

Aretes Dyrrhachinus nobilis olim fuit Chronologus. Cenſorinus [3]) bis eum laudavit, interque veteres is unicus eſt, qui memoriam eius conſervavit, ſed tam pauca de eo habet, ut aetatem eius inde explicare nemo potuerit. Jure igitur *Voſſius* [4]) eum iis adnumeravit ſcriptoribus, quorum aetas incerta ſemper erit. Sed quoquo modo res ſeſe habeat, chronographus hic a Troiano excidio ad primam Olympiadem 414 annos elapſos eſſe putavit. Troianum is igitur excidium in annum Julianum 3524 (Job. Fr. 2992) ante Chriſtum 1190 poſuit.

Apol-

1) Id. ibid.
2) de Doctr. temp. lib. 9. c. 54. 55.
3) de die natali c. 18. 21.
4) de hiſtor. graec. lib. 3. p. 330. ex edit. Lugd. Bat. 1652. 4to.

Apollodorus floruit circa annum Julianum 4566 (Job. Fr. 4034) ante Chriſtum 148, poſt natum Herodotum 336, ſecundum eius calculos Troia anno ante primam Olympiadem 408 everſa 1), urbis igitur huius everſio in annum Julianum 3530 (Job. Fr. 2998) ante Chriſtum 1184 collocanda.

Solinus 2) in praecedentem eam annum retulit. Collatis igitur, inquit, noſtris & Graecorum temporibus, invenimus, incipiente Olympiade ſeptima Romam conditam, anno poſt Ilium captum quadringenteſimo triceſimo tertio. Septimae Olympiadis initium reſpondet anno Juliano 3962 (Job. Fr. 3430) ante Chriſtum 752. Troia igitur capta anno Juliano 3529 (Job. Fr. 2997) ante Chriſtum 1185.

Dionyſius Halicarnaſſeus 3) cum Apollodoro conſentit; Romam, inquiens, anno primo Olympiadis ſeptimae poſt Troiam captam 432, conditam eſſe.

Eratoſthenes 4) natus anno Juliano 4438 (Job. Fr. 3906) ante Chriſtum 276 poſt Herodotum natum 208; mortuus anno aetatis octogeſimo. Plurima ſcripſit opera eruditionis plena, inter quae & chronologicum opus fuit, ex quo Clemens Alexandrinus 5) locum excerpſit ſequentem: A Troia capta ad Heraclidarum re-

1) Diodor. Sic. lib. 1. §. 5. p. 9.
2) Polyhiſt. c. 1. p. 2. G.
3) Antiq. Rom. lib. 1. § 71. p. 56.
4) Suidas ſ. v. Eratoſthenes.
5) Stromat. lib. 1. p 402.

reditum 80 anni: inde ad colonos in Joniam immigratos 60 anni; inde ad Lycurgi adminiſtrationem regni Spartani 159 anni; inde ad primam Olympiadem eiusque annum primum, 108 anni. Numeros hos ſi in ſummam colligimus, a Troia capta ad primum primae Olympiadis annum annos inveniemus 407. Eratoſthenes igitur anno Juliano 3531 (Job. Fr. 2999) ante Chriſtum 1183 Troiam everſam eſſe ſtatuit. Sed retulit Dionyſius Halicarnaſſenſis [1]), a Catone fundationem Romae in annum poſt Troiam everſam 432 collocatam, quam ſi cum Eratoſthenea conferamus computatione, in primum Olympiadis ſeptimae annum incideret. Quare ſecundum Dionyſium Eratoſthenes 408 annorum intervallum Troianum inter bellum exortum, primam Olympiadem ſtatuit, Troiamque anno Juliano 3530 (Job Fr. 2998) ante Chriſtum 1184 everſam putavit. Haec *Larcherio* maxime veriſimilis videtur opinio: Apollodorus enim, qui ſtatim poſt Eratoſthenem vixit, ſi hoc ab auctore abire voluiſſet, id profecto non ob unius anni differentiam feciſſet. Sed differentia haec, ex quacunque orta ſit cauſſa, nimis minuta eſt, ut altiorem inveſtigationem mereri poſſit.

Soſibius [2]) Ptolemaei Philadelphi temporibus vixit, h. e. circa annum Julianum 4430 (Job. Fr. 3898) ante Chriſtum 284 poſt Herodotum 200. Compoſuit hic Chronologiam,

χρόνων

1) Antiq. Rom. lib. 1. §. 74. p. 59.
2) Athen. Deipnoſ. lib. XI. p. 493. E.

χρόνων ἀναγραφὴν dictam [1]), in qua primam Olympiadem in annum poſt Troiam captam 395 retulit [2]). Troiam igitur anno Juliano 3543. (Job. Fr. 3011) ante Chriſtum 1171 combuſtam eſſe putavit.

Georgius monachus, Syncellus [3]) vulgo cognominatus, in annum mundi 4330 excidium Troianum retulit, qui quidem annus cum Juliano 3544 (Job. Fr. 3012) ante Chriſt. 1170 convenit. Sed veroſimile eſt vitium, in eius contextum irrepſiſſe, conſentit quippe cum Euſebio in omnibus regum Atticorum annis, Theſeo tamen & Meneſtheo exceptis, illum enim 31 annos regnaſſe tradidit, quamquam apud Euſebium 30 tantum inveniantur, hunc autem 33 annos regnaſſe ſcripſit, quamquam Paria Marmora & Euſebius 23 tantum annorum regnum ipſi tribuere. Vitium hoc poſtremum, vel ipſo ab auctore, vel a librariis commiſſum ſit, in regno ſequenti ſtatim correctum eſt, ubi Syncellus 23 annorum regnum tribuit Demophonti, cui tamen a reliquis chronologis 33 tribui ſolent. Syncelli huius contextum ſi ex Euſebiano corrigere tentemus, h. e. ſi Parii Chronici, aliorumque chronologorum exemplo, Meneſtheo 23 tantum annorum regnum tribuamus, & cum his Troiam anno regni Meneſthei

1) Clement. Alex. Stromat. lib. I. p. 389.
2) Cenſorin. de die nat. cap. 21. p. 112.
3) Chronogr. p. 172 & 173. Pariſ. 137 & 138. Venet.

neſthei ultimo captam ſtatuamus, inde ſequitur[1], ſecundum Syncellum in annum Julianum 3534 (Job. Fr. 3002) ante Chriſtum 1180 hunc eventum eſſe ponendum, qui calculi ab Euſebianis in biennio tantum abeunt, cuius quidem differentiae cauſſa ea eſt, quod Theſeo 31 annos tribuit Syncellus, cui 30 tantum tribuerat Euſebius, & quod idem Syncellus Cecropis regni initium in annum mundi 3945, qui Juliano 3159 (Job. Fr. 2636) ante Chriſtum 1555 reſpondet.

Euſebius in calculis ſuis haud multum ab Apollodoro, Eratoſthene, Dionyſio Halicarnaſſenſi, & Solino differt. Annum enim excidii Troiani ultimum Meneſthei regis putavit, eumque poſt Abrahamum natum 835 fuiſſe ſibi perſuaſit. Primam idem auctor Olympiadem in annum ab Abrahamo nato 1241 collocavit, quare inter urbis Troianae deletionem & primam Olympiadem 406 annorum intervallum ſtatuit, ex quo hunc chronologum, Troiam anno Juliano 3532 (Job. Fr. 3000) ante Chriſt. 1182 everſam, ſtatuiſſe colligimus.

Hae de Troiani excidii tempore opiniones omnes ad tres poſſunt reduci principales, ad Herodoteam ſcilicet, Parianam, & Eratoſtheneam. Herodoteam adoptavit Thucydides & Vitae Homeri auctor, eaque praeterea regum Albanorum ſerie confirmatur. Inter recentiores eam probarunt *Dodwellus*, *Freretus*, *Buberius*, prior horum in Annalibus Thucydideis, alter in quinto volumine Diſputationum in bonarum litterarum Academia habitarum, poſtremus denique in Disquiſitionibus ſuis Herodoteis, quamquam poſteriores duo in levem inciderunt errorem

rorem, uti ſupra iam animadverſum a nobis eſt. Incidit autem hunc ſecundum auctorem epocha Troiana in annum Julianum 3444 (Job. Fr. 2912) ante Chriſtum 1270. Thucydidis, gravis eruditi & accurati hiſtorici, cum eoque vitae Homericae auctoris conſentiens teſtimonium, qui ibidem fuit rerum peritus ſcriptor, ad Herodoteam opinionem confirmandam multum ponderis habent. Quibus argumenta ſi addamus, ea, quae Herculis, Regumque Albanorum e genealogia peti poſſunt, quae num patris hiſtoriarum calculis opponi poſſent, profecto non vidimus, niſi quis ad aliam probandam computationem nova clarioraque argumenta ſuppeditat, quae Herodoteorum ponderi aequipararint, nec tamen, ſi id fieret, unam alteri harum ſententiarum praeferre, ſed, ſecundum rationes diverſas, & diverſas chronologias proponere deberemus, vel, ſi Herodoteis meliores eſſent rationes, aliam temporum computationem probantes, ea ſine omni dubitatione reiicienda, alteraque omnimode praeferenda foret. Sed proh dolor! accidit, ut calculi tantum aliorum ſcriptorum ad noſtram aetatem pervenerint, quare difficile eſt rationes divinare, quae in alias ire ſententias eos permoverint. Difficultates hae non leviſſimae ſine dubio recentiores viros doctos ab harum opinionum examine deterruerunt. Sed quocunque res ſeſe habeat modo, nos eruere rationes iſtas, partem certe, quae ad diiudicandum pondus ſufficiat, non deſperamus.

Quo tempore coeperint ſcriptores a calculis Herodoteis abire, plane ignoramus & in

aeternum ignorabimus. Primus qui ab iis receſſit, eorum ſcilicet qui nobis remanſerunt, eſt chronographus Parius. Incepit iſte chronicon ſuum cum primo Cecropis anno pluresque regum Athenienſium epochas ad Demophontis usque regni finem habet, Cecrope II, de quo tacuit, excepto. Meminit is etiam quinque Archontes perpetuos, & vigeſimum primum Aeſchyli annum Syracuſarum fundatione celebrem. Inde ad epocham tranſit trigeſimam tertiam, ubi de Creontis archontum annuorum primi magiſtratu ſermo eſt, cuius annum definivit, & in ſeptuageſima nona finem habet epocha, poſtquam omnium archontum annuorum nominum per quadraginta ſex epochas una cum rebus ſub eis geſtis meminerat. Epocha eius ſeptuageſima nona mutila eſt, & quamquam hac in epocha deſinant Marmora, veroſimile tamen videtur, auctorem chronicon ſuum ad annum usque ante Chriſtum 264 perduxiſſe, quo quidem anno chronicon ſuum compoſuit. Perierunt ergo nonaginta epochae, ſeptuageſima nona, de qua pauca tantum ſuperſunt, cuiusque contenta diiudicare non poſſumus, incluſa.

Cura ſtudiumque Parii chronici conditoris, eventus praecipuos ad Athenienſium regum, archontum perpetuorum annuorumque annos referendi, eam Atticam chronologiam calculorum ſuorum fundamentum poſuiſſe demonſtrat. Meneſtheus autem regnare deſiit eo ipſo anno, quo Troia deleta eſt: Aeſchylus autem tertium agebat annum magiſtratus Archontis perpetui, cum Olympiades inſtituerentur. Inter-

Intervallum igitur hoc temporis definiendum eſt. Regnarunt autem hoc tempore ſex reges, Meneſthei ſucceſſores, undecimque Archontes perpetui poſt Codrum, ſex illorum regum poſtremum, gubernacula civitatis tenuerunt. Septuodecim ergo Principes per hoc tempus rempublicam adminiſtrarunt, inter quos ex una parte duodecim, ex altera tres generationes binaeque ſucceſſiones, quas inter una fuit peregrina, numerantur. Quod animadvertens chronici huius auctor medium quendam inter ſucceſſiones & generationes numerum exoptavit. Succeſſiones eo tempore, ſicuti & nunc quoque, iis in civitatibus, quae graves non perpeſſae ſunt caſus, undeviginti annorum ſpatium complectebantur, generationibus autem annos triginta tres tribuere veteres ſolebant. Medius ergo numerus erat 24: ſed 25 & dimidium annum is ideo computavit, quia generationes plures erant quam ſucceſſiones. Hunc numerum per 17 Principes multiplicando, 433 accepit, eoque numero 776 addito, quo ſcilicet anno inſtitutae ſunt Olympiades, annum Troiani excidii invenit 1209. Ex eo autem, quod hanc praetulit epocham chronographus, coniici poteſt, eum hac methodo uſum eſſe in temporibus ſuis computandis, quia, Heraclidarum reditu paucisque aliis eventibus exceptis, quorum tempora non ad principem certamque epocham, ſed ad alium quendam eventum memorabilem, cuius tempus incertum varieque a chronologis computatum erat, definiebantur, Graeci ad antiquiſſimos ſuos eventus computandos aliud nullum, niſi, uti ſupra iam ex-

poſuimus, generationum computationem ſubſidium habuere. Notum v. c. ipſis erat, Peloponneſum ab Heraclidis octogeſimo poſt Troiam captam anno eſſe occupatam, nec tamen epocha haec fixa certaque fuit, quia ſecundum Troianam everſionem, quae & ipſa varie ab ipſis computabatur, eam numerare ſolebant. Quod ſi enim ſtatuere vellemus, auctores veteres, cuius populi hiſtorias epochasque deſcriberent, eas quoque cognitas habuiſſe, ſimul populos iſtos antiquiſſimis ſuis temporibus faſtos annalesque iam conſcripſiſſe, resque inter ipſos geſtas memorabiles ſecundum annorum ſeriem, addito ad quemque eventum anno, quo acciderit, ad Olympiadum usque initia, adnotaſſe, foret ſtatuendum; quod nemo umquam probare audebit. Si autem vel facta ſingularia, nec una ſerie procedentia, quae hoc vel illi regis cuiusdam anno, vel huic vel illi regi, non addito eius anno, adſcribi ſolebant, cuius utriusque in Pariis Marmoribus exempla exſtant, vel etiam magnarum atque illuſtrium gentium ſtemmata, quae ſumma cura ſtudioque conſervabantur a cyclicis ſcriptoribus, annalium nomine appellemus, fatendum eſt, huius generis annales nullam praeſtare poſſe certam temporum ſcientiam, ſed in antiquiſſimis ſeculis generationes in auxilium vocandas, in iis vero, quae propiora erant, niſi vel regni cuiusdam duratio, vel initium, vel denique finis, certis rebus colligi poterat, ex quo ſucceſſoris annus primus ſtatim certus reddebatur, in coniectura acquieſcendum.

Parii chronici auctor fuiſſe computationum ſuarum fundamentum reges Atticos ſi ponere ſtatuiſſet, ut horum auxilio in antiquiſſimis non Atticae ſolum, ſed univerſae Graeciae temporibus viam inveniret, ſine dubio horum regum in genealogiis magnorum virorum huius populi generibus deſcriptis certa quaedam ſubſidia ipſi occurrerunt, quae felicem pollicerentur ſucceſſum, ſubſidia, quae nobis ſemper deficient. Verum enim vero ſi nulla ipſi alia cognita fuere ſubſidia, quam quibus nos quoque uti poſſumus, vitia tamen ea, quae iure ipſi obiiciuntur, non potuiſſet admittere; nec ſi non ipſam ad veritatem, tamen quam proxime ad eam acceſſiſſet Criticam enim artem ſi non omnem neglexiſſet, vidiſſet profecto, non ſolum hac in vetuſtate Generationem 33 annos comprehendere, ſed & in regum illorum ſerie generationes plurimas, ſucceſſiones contra pauciſſimas occurrere. Medium ergo numerum multo maiorem ſtatuere debuiſſet, & ſi omnia illa regna atque principatus ita computare voluiſſet, ut ſingulis 29 annorum durationem tribueret, ſummam regnorum illorum atque principatuum ſeptemdecim 493 annos eſſe inveniſſet, quem numerum ſi addidiſſet ad epocham Olympiadis primae 776, Troiam anno ante Chriſtum 1269 everſam eſſe reperiſſet, ideoque unico tantum anno ab Herodoteo numero aberraſſet.

Sed methodo hac nimis incerta atque dubia, medioque quo generationes & ſucceſſiones multiplicandae ſunt numero, vario prouti maior minorue ſit generationum ſucceſſionumve numerus, aliam viam, errori huic minus

obnoxiam certiusque ad veritatem adducentem, ingrediendam duximus.

Capta dicitur Troia anno Meneſthei regis ultimo. Si ergo temporis ſpatium, quod inter hunc eventum & Olympiadum inſtitutionem interfuit, definire velimus, quot reges & Archontes perpetui Athenienſes hoc in tempore regnarunt quaeramus. Fuere autem reges ſex & undecim Archontes. Horum regum quinque priores Demophon, Oxyntes, Aphidas, Thymoetes, & Melanthus ternas tantum efficiunt generationes. Aphidae nempe regnum breviſſimum, & ſi fides Euſebio habenda, annuum fuit, eoque magis Euſebio fidem tribuimus, quod Thymoetes, Aphidae frater eiusque ſucceſſor, cui Euſebius octenne tantum regnum tribuit, florente aetate regno ſuo privatus eſt, alias enim pugnae, ad quam a Xantho provocatus erat, impar fuiſſet, nec eum Athenienſes ob hanc repulſam regno ſine ſumma iniuria privare potuiſſent. Melanthus, cui Thymoetis in locum regnum detulerunt, peregrina, quae regiam Atticam non attingebat, gente ortus, & a Neleo ſexta generatione procreatus erat [1]. Horum igitur principum regna tribus tantum generationibus aequiparanda, iisque ſeculi duratio tribuenda. Codrus, & qui poſt eum imperarunt duodecim Archontes, quorum primus fuit Medon, Codri filius, duodecim tantum efficiunt generationes, non enim de primo aetatis, ſed regni Codri anno quaeſtio eſt, & prima

1) Pauſan. Corinth. ſive lib. 2. c. 18. p. 151.

prima Olympias in tertium Aeſchyli Archontum perpetuorum duodecimi annum incidit. Duodecim autem generationes, ſi unicuique 33 tribuamus annos, 396 annos efficiunt, qui ſi centum illis annis addantur, qui regibus Atticis a Troia capta ad Codri regni initium tribuuntur, item 776 annis, ſive epochae Olympiadum initio, 1272 habebimus annos ad ultimum usque Meneſthei annum, in quem Troianum coincidit excidium, qui numerus biennio tantum maior eſt Herodoteo.

Eundem ad ſcopum & hac inita via perveniemus. A Medonte, Archontum perpetuorum primo, ad tertium usque Aeſchyli annum, quo Olympiades inſtitutae ſunt, duodecim imperarunt Archontes perpetui, quorum filii ſemper patrum fuere ſucceſſores, hi tamen pro undecim tantum generationibus habendi, quia non de vitae, ſed magiſtratus Medontis anno primo quaeſtio eſt, & prima quoque Olympias in Aeſchylei principatus initium incidit. Si 33 undecies ſumamus, ſumma erit 363. Quem ad numerum addimus annos 58, tot enim Codri Melanthique regna durarunt, uti ſupra cap. VIII. de Chronologia Athenienſium §. 3. demonſtratum eſt, praetereaque 80 annos pro reditu Heraclidarum, & ſummam habemus 501 annorum, qui Troianum inter excidium & Olympiadum initium praeteriere. Si huic ſummae porro addamus 776 qui numerus primae Olympiadis annum indicat, inveniemus annum Troiae captae 1277, qui ſeptennio tantum maior eſt calculis Herodoteis.

Patet ex his, Parii chronici auctorem, vel e quibus hic ſua hauſit, ſi alias nullas, niſi quas nunc habemus, ad calculos antiquiſſimorum ſeculorum definiendos, fontes habuiſſet, tamen, vel ſolam Atticam ſequutus chronologiam, ad Herodotum & Thucydidem, ſi modo auxiliis his recte uti ſciviſſet, proxime acceſſurum fuiſſe. Quod cum negligeret, a veritate aberravit. Chronici Parii auctor Dicaearchum, qui 58 annis antiquior ipſo fuit, vel etiam alium quem, nobis incognitum, auctorum ducem ſequutus eſt. Num chronicon hoc marmorum eo tempore, quo elaboratum eſt, vel proxime ſequentibus ſeculis, auctoritatem quandam gravem habuerit, ignoramus, quod tamen vix credimus, quia neminem haec Marmora laudantem inter veteres cognoſcimus, eaque, niſi ſingulari quodam caſu feliciter detecta fuerint, vel ad hunc usque diem ignota manſiſſent, marmoraque quibus inſculpta erat in aedificio quodam vel inſtaurando vel reſtaurando periiſſent. Monet h. l. *Degenius*, chronici huius marmorei fidem atque auctoritatem nuper a docto quodam Britanno tentatam, ſed in Göttingenſibus novis litterariis anni 1789, fortaſſis ab *Heynio* noſtro, defenſum eſſe.

Sed quaecunque fuerit laus atque auctoritas huius chronici, ea tamen haud multo poſt ab Eratoſthene obſcurata, qui duodecim ante eam, a qua Parius chronographus exiit, & ad quam omnes ſuas temporum periodos retulit, epocham annis natus eſt, anno ſcilicet Juliano 4438 (Job. Fr. 3906) ante Chriſtum 276. Huic Marmora Paria, vel etiam auctores horum fon-

tes,

tes, non ignoti fuiſſe videntur, ſed eorum rationes vel erroneas putavit, vel novitatis ſtudioſus ab iis abire ſibi propoſuit. Eum Herodoti quoque & Thucydidis rationes cognoſſe, vix affirmaremus, auctores enim iſti eas in ſcriptis ſuis neque expreſſis verbis protulerant, neque explicarant, ſed per inductionem indagandae ſunt; ex quo ſine dubio factum eſt, ut vulgares numquam redderentur, quod pro gravitate atque celebritate horum ſcriptorum meruiſſent. Compoſuerat Eratoſthenes chronologiam, quae *Chronographiae* i. e. temporum deſcriptiones, inſcripta fuit. Dionyſius Halicarnaſſenſis eius cum laude meminit[1]), affirmans epochas ſive canones huius auctoris eſſe ſenas, h. e. exactas. Chronographiarum harum mentionem quoque fecere Plutarchus[2]), Clemens Alexandrinus[3]), Tatianus in Orationibus ad Graecos[4]), Cenſorinus[5]), Harpocration ſub voce. Εὔηνος, Syncellus[6]), cet. Idem quoque ſcripſerat Eratoſthenes chronologiam regum Aegypti Thebanorum, vel potius e ſacrariis cognitionem ſuam de his regibus petierat, & eorum geſta, Ptolomaei, regis Alexandriae, iuſſu in Graecum ſermonem tranſtulerat[7]). Num auctoris huius

---

1) Antiq. Rom. lib. 1. §. 74. p. 59.
2) in Lycurgo p. 39. F.
3) Stromat. lib. 1. p. 389 & 402.
4) §. 48. p. 107. §. 49. p. 108.
5) de Die natali cap. 21.
6) Chronogr. p. 194. Pariſ.
7) Idem p. 91 & 147. Pariſ.

huius Chronographiae diverſum a regum Aegypti chronologia opus fuerint, vel unum idemque, in quo & regum Aegypti ſeries contenta erat, ignoramus.

Eratoſtheni comitem ideo damus Apollodorum, qui eadem uſus eſt methodo idemque invenit. Nec diſſimulamus eum aeque celebrem eſſe atque Eratoſthenem, auctoritatemque eius haud minoris eſſe gravitatis. Vixit is, uti ſupra demonſtravimus anno Juliano 4566 (Job. Fr. 4034) ante Chriſtum 148 dedicavit enim Attalo Philadelpho [1]), regi Pergameno ſuum opus chronologicum. Exſtat nil, niſi Bibliothecae huius auctoris libri tres, mutilo tamen tertio, eoque magis dolendum eſt, hanc non integram nobis ſervatam eſſe, quia cyclicorum ſcriptorum reliquiae aeſtimandae in ea collectae fuerant! Chronicon [2]) ſuum iambis, ut memorari eo facilius poſſet, compoſuerat. Continebat id a Troiano excidio ad Attali usque regnum, civitatum plurium expugnationes, expeditiones bellicas varias, colonorum populorumque migrationes, barbarorum bella, res mari terraque geſtas, proelia, foedera civitatum & pacis concluſiones, regum hiſtorias, magnorum virorum vitas, tyrannorum deſtructiones, aliaque plura. Praeter Scymnum Chium, e quo haec petivimus, & Diodorus Siculus, Strabo, Lucianus, Stephanus Byzantinus, Diogenes Laërtius, Aulus Gellius, Euſebius & Syncellus hu-

1) Scymni Chii Perieg. v. 46 &c.
2) Ibid. v. 22 &c.

huius operis cum laude meminerunt, eoque ad maximorum eventuum tempora definienda uſi ſunt. Eratoſthenem ſive ſequutus ſit Apollodorus in rebus ante ſeculum ſuum geſtis, eiusque librum ad ſua usque tempora continuaverit, ſive eadem via ingrediens, ad eundem cum Eratoſthene metam pervenerit; nullum certe in dubium vocari poteſt, cum e fragmentis utriusque ſcriptoris eluceat, chronica horum duumvirorum, niſi quod Scymnus ſupra laudatus Apollodorum in rebus geſtis referendis uberiorem atque Eratoſthenem fuiſſe innuere videtur, ſemper ſibi invicem reſpondiſſe.

Apollodorus autem Troianum excidium in annum Julianum 3530 (Job. Fr. 2998) ante Chriſtum 1184 collocavit. A Troia capta, inquit [1]), ad Heraclidarum reditum octoginta anni elapſi. Ab hoc reditu ad primam Olympiadem, ſecundum Lacedaemoniorum regum ſeriem, 328 anni praeteriere. Quas ſi addamus ſummas, annos accipiemus 408, eaque ad 776 addita qui Olympiadum initium indicat numerus, annum ante Chriſtum 1184 habebimus,

Eratoſthenes hac methodo uſus eſt, uti Clemens Alexandrinus nobis teſtatur [2]): Hoc modo, inquit is, tempora deſcripſit. A Troia capta ad Heraclidarum reditum 80 annos numeravit. Ab hoc reditu ad colonos in Joniam immigratos, 60; Ab hac immigratione ad Lycurgi tutelam regis Spartani minorennis, 159; Inde ad

1) Diod. Sic. lib. 1. c. 5. p. 9.
2) Stromat. lib. 1. p. 402.

ad Olympiadem primam 108 annos. Numeri hi quatuor in ſummam collecti, efficiunt annos 407 quos ſi ad 776 addamus, habebimus annos 1183, quae ſumma unitate tantum minor eſt calculis Apollodori. In opinionem tamen adducimur ut credamus, calculos duumvirorum horum ſibi invicem exacte reſpondiſſe, idque ſupra probaſſe nobis videmur, ſuſpicamur ideo, in Clementis Alexandrini contextum vitium quoddam leve, ex quo unius huius anni differentia orta eſt, irrepſiſſe. Mirandum ergo non eſt, ſecundum ea, quae iam expoſuimus, auctoritate virorum horum doctorum ſeductos poſterioris aevi chronologos omnes, illorum veſtigiis ingreſſos eſſe, ſed ſummorum virorum auctoritatibus non plus iuſto tribuendum, eorumque rationes ſub examen vocandae ſunt. Hoc a veteribus neglectum eſt, nec recentiores id fecere, ſed horum doctiſſimi in disiectis fragminibus chronicorum horum duumvirorum occurrentes annos ſine omni dubitatione veros iuſtosque habuere. Fortaſſis & Petavius, Uſſerius, Simſonius aliique rationes ſummorum horum duumvirorum adhuc erui poſſe deſperarunt, easque neminem recentiorum diiudicaturum putarunt. At ſi vel aliquanto maiorem in id impendere voluiſſent attentionem ſtudiumque eas ſine dubio inveniſſent, nec poſt accuratum earum examen eos probaturi fuiſſent annos, qui fundamento ſatis firmo carebant. Quod viri iſti doctiſſimi neglexere, nos iam audeamus, & de conatibus noſtris iudicent rerum harum periti.

Chro-

Chronologias ſuas Eratoſthenes & Apollodorus a Troiano inceperunt excidio, idque ſine dubio nulla alia de cauſſa, niſi quod tempora illud antecedentia nimis incerta videbantur. Quod ad Eratoſthenem, ſupra laudatus Clementis Alexandrini locus dubium vix ullum relinquit, idque e Scymno Chio 1) clariſſimum eſt. Erat opinio vulgaris & ab omnibus recepta 2), Heraclidas in Peloponneſum reverſos eam occupaſſe octogeſimo poſt Troiam captam anno. Sed annos, quo haec urbs deleta eſt, niſi anno reditus Heraclidarum ſecundum aeram Olympiadum computato, definiri non poterat, & hac in computatione duumviri iſti veteres laborarunt. Illorum ſeculo, ſi vetuſtiſſimis his temporibus annales iam exſtitiſſent, nihil facilius fuiſſet, ſed his plane deficientibus, uti ſupra iam expoſuimus, ad generationum computationem recurrendum ipſis erat, ut veritatem invenirent, vel proxime ad eam ſaltem accederent. In reditu Heraclidarum computando nullum calculorum ſuorum melius fundamentum inveniri poſſe putabant, regum Lacedaemoniorum annis, qui ſerie generationum haud interrupta ad Ariſtodemum, a quo Peloponneſus occupata eſt, aſcenderent. Apollodorum id feciſſe, dubium nullum eſt. Ab Heraclidarum reditu, Apollodorus inquit 3), ad pri-

1) Perieg. v. 22.
2) Thucid. lib. 1. §. 12. & ibi Schol. Eratoſth. ap. Clement. Alex. Stromat. lib. 1. p. 402. Apollod. ap. Diodor. Sicul. lib. 1. §. 5. p. 9. Vellei. Paterc. lib. 1. c. 2. Euſeb. & Syncell. in Chron.
3) Diod. Sic. lib. 1. §. 5. p. 9.

primam usque Olympiadem, ſi reges Lacedaemonios computamus, ſunt 328 anni. Et Plutarchi teſtimonium, qui idem de Eratoſthene & Apollodoro dixit, reiiciendum non eſt. Hi, inquit prudens ille auctor, qui ſecundum regum Lacedaemoniorum ſucceſſiones tempora finiunt, v. c. Eratoſthenes & Apollodorus, & reliq.

Ariſtodemus, Peloponneſi debellator, ſtatim poſt natos ab uxore ſua gemellos, Euryſthenem & Proclem deceſſit, qui gemelli duorum apud Lacedaemonios generum regiorum auctores facti ſunt, qui Spartanam rempublicam ſimul gubernarunt. Euſebius & Syncellus de Euryſthenidis ad usque Alcamenis deceſſum loquuntur, Proclidarum ſimul cum illis regnantium nulla facta mentione. Nec id ſolum, ſed plura auſi ſunt. Euſebius enim [1], qui in Chronographiis Eratoſthenis & Apollodori ultra hunc Alcamenem nullos amplius Lacedaemonum reges memoratos legit, quia reges ante hunc Alcamenem nullam aliam ob cauſſam, niſi ut epocham Heraclidarum reditus eorum auxilio invenirent, inſererant ſcriptis ſuis duumviri iſti chronologi, Euſebius, inquam, hos imitatus ſucceſſores quoque omiſit, additque is mirum in modum errans, Lacedaemonios tantum ad hunc usque regem habuiſſe reges, innuensque his verbis, Alcamenem regem Laconiae poſtremum fuiſſe οἱ Λακεδαιμονίων βασιλεῖς ἕως τȣ̃ δὲ διήρκεσαν.

Syn-

1) Chron. Can. p. 150.

Syncellus ſi Proclidarum regum non meminit, horum tamen non negavit exiſtentiam, ſed contra omnem hiſtoriarum fidem atque auctorum relationes Alcamenem is quoque Euryſthenidarum regum ultimum dixit, οὗτος τελευταῖός ἐςι τῆς πρώτης οἰκίας [1]).

Qui fieri umquam potuerit, ut Euſebius & Syncellus tam gravem in errorem inciderint, ſi in Eratoſthenis & Apollodori chronographiis ceteros quoque Laconiae reges nominatos legiſſent? id profecto non comprehendimus! Cauſſa cur poſteriores hi ſcriptores in chronographiis ſuis reges Alcamenis ſucceſſores omiſerunt, ea nobis fuiſſe videtur, quod, ut ita dicamus, horum chronographiae duo quaſi opera efficiebant, unum, quod tempus a Troia capta, vel etiam ab Herculis nativitate ad usque Olympiadem primam continebat, rationibus & demonſtrationibus erat inſtructum, alterum canonem chronologicum, quo ſecundum annos res memorandae deſcriptae erant, continebat. In illo fundamenta quaſi operis ſui iaciebant, picturamque ut ita dicam aedificii ſui proponebant, viam quam inierant deſcribebant, rationesque opinionum ſuarum explicabant: in hoc, ab Olympiade prima incipiente, eventorum omnium annos fixerant, quia poſt Olympiades certis temporibus celebratas, his aerae loco utebantur, ad rerum memorabilium tempora, in quorum conſervationem maiorem nunc curam

1) Chronogr. p. 185. C. Pariſ. p. 148. Ven.

curam impendebant definienda. Nunc opus amplius non erat chronologis, ad generationum computationem recurrere. Prima operis pars in Alcamene deſinebat, quippe quo regnante prima Olympias anno eius regni trigeſimo ſeptimo eoque ultimo celebrata eſt. Euſebius & Syncellus ſine dubio partem alteram, quae canonem chronologicum continebat, evolvere neglexere, ex quo error eorum gravis, alioqui vix explicandus, originem duxit. Fortaſſis & altera haec pars a priori ſeparatum volumen fuit, quod duumviris his non innotuit.

Sed tempus eſt ad examinandam Erotoſthenis & Apollodori methodum ut progrediamur. Voluerunt duumviri iſti annum occupationis Peloponneſi ſecundum Olympiades definire, neceſſario igitur & annus excidii Troiani definiendus erat, quam urbem octogeſimo ante Peloponneſum ab Heraclidis occupatum anno everſam eſſe omnes conſentiebant auctores. Olympiades anno Alcamenis Euryſthenidae regis Spartani ultimo inſtitutae. Hoc ab Alcamene retro ad Ariſtodemum, Peloponneſi expugnatorem, decem erant generationes. Sed Eratoſthenes & Polydorus filium quoque Ariſtodemi Polydorum numerarunt, qui patre diem ſuum obeunte regnare iam valebat, quo addito undecim erant generationes. Eratoſthenis autem & Apollodori ſeculi generationi triginta tribui ſolebant anni. Undecim igitur generationes, ſingulae triginta annorum, 330 annos efficiunt. His additis 776, annum inveniemus Julianum 3608 (Job. Fr. 3076) ante Chriſtum 1106) quo Peloponneſus dicitur occupata. Additis aliis

octo

octoginta annis, quia conſentientibus omnibus veterum chronologis, ipſo quoque Appollodoro & Eratoſthene, Troia octogeſimo ante Peloponneſum ab Heraclidis devictum anno dicitur everſa, everſio haec in annum Julianum 3528 (Job. Fr. 2996) ante Chriſtum 1186 incidit & numerus biennio tantum differt ab epocha, his a duumviris huic celeberrimo eventui tributa.

Vix credimus erraturos, hanc putantes methodum fuiſſe, qua uſi ſunt iſti chronologi in temporibus his computandis. Sed methodus haec vitio laborat. Non enim animadverterant ſummi hi viri, antiquiſſimis longiores fuiſſe generationes temporibus, ob ſeriora matrimonia; ſed omnia ſic ſemper uti ſua ipſorum aetate fuiſſe putarunt. Herodotus ſubtiliori cum iudicio ſcripſit, qui, quamquam ſuis temporibus, & iam longe ante eum generationibus triginta vulgo tribuebantur anni, tamen veteres ternis ſeculi durationem tribuiſſe animadvertit, ex quo ſeculo Herodoteo generationum durationes breviores fuiſſe iam colligi poteſt, cur enim ſi ſuo ſeculo generationibus triginta tres anni tributi ſint, illud animadverterit, non videmus, cui enim bono id feciſſet, re omnibus notiſſima? Sed matrimoniis tunc temporis iam maturioribus, coaevis neceſſario debuit indicare, tempora antiqua ſecundum rationes antiquas ab ipſo computata, & ſerioribus antiquorum matrimoniis longiores illorum generationes effici, quam recentiorum matrimonia maturantium. Diſertis quidem verbis non indicavit Herodotus, ſui ſeculi generationes ternorum tantum decenniorum

 rum

rum durationem habuiſſe, id tamen ex iis quae iam obſervavimus nemini dubium erit, & ſi quod ſuperſit dubium, ei facillime occurremus. Floruit Heraclitus Epheſius [1]) in Olympiade ſexageſima nona, anno Juliano 4210 (Job. Fr. 3678 ante Chriſtum 504 ante Herodotum igitur natum 20, & philoſophus [2]) iſte generationi tria tribuit decennio. *Quare*, Cenſorinus inquit [3]), *qui annos triginta ſeculum putarunt, multum videntur erraſſe. Hoc enim tempus γενεὰν vocari Heraclitus auctor eſt. Quia orbis aetatis in eo ſit ſpatio. Orbem autem vocant aetatis, dum natura hominis a ſementi ad ſementum revertitur.* Hae tam vulgaris fuit opinio, ut in ea omnes conveniſſe ſcriptores deprehendamus. Zeno, qui anno floruit [4]) Juliano 4250 (Job. Fr. 3718) ante Chriſtum 464, eam quoque amplexus eſt [5]); fuit haec etiam Dionyſii Halicarnaſſenſis opinio; licet enim verbis eam non expreſſit, tamen e contexto eius neceſſario colligitur, quod probavit Theodorus Rickius [6]). Accedunt Artemidori [7]), Heſychii, Suidae &c. teſtimonia. Certum igitur eſt ſeculo Eratoſtheneo generationum durationem triginta fuiſſe annorum, idque ab

e

1) Diogenes Laert. lib. 9. ſegm. 1.
2) Plutarch. de def. orac. p. 415. E.
3) de die nat. c. 17. p. 79.
4) Diogen. Laert. lib. 9. ſegm. 29.
5) Cenſorinus. l. l. c. 17. p. 80.
6) Theodori Rickii diſſertatio de primis Italiae colonis c. 4. p. 416.
7) Oneirocrit. lib. 2. c. 75. p. 157.

eo pro calculorum ſuorum fundamento poſitum eſſe.

Si vel paullo maiorem adhibuiſſet attentionem, hunc errorem non commiſiſſet. Attamen ſi Herodoteos adoptaſſet calculos, qui 33 annos ſingulis tribuit generationibus, Lacedaemoniorum regum ſerie calculorum ſuorum fundamento facto, in errorem eum haud minus gravem inciſurum fuiſſe contendimus. Antiquis enim Graeciae temporibus anno 33, recentioribus autem 30 matrimonia inire ſolebant, quare generationes antiquiores aliquantum ſupra 33, poſteriores 30 annorum durationem habuere. Sed hac a norma vulgari Lacedaemonii excipiendi. Lycurgus enim, cuius inſtituta eo tendebant omnia, ut robuſti & bellicoſi redderentur cives, interdicere iis voluit matrimonia pro cuiusque arbitrio inita, ideoque ſanxit, ne quis niſi florente vigenteque aetate, corpore iam ſatis robuſto atque valido, contraheret matrimonium, hanc legem ad validam procreandam ſobolem utiliſſimam ratus *ἀποπαύσας τοῦ, ὁπότε βούλοιντο ἕκαστοι, γυναῖκας ἄγεσθαι, ἔταξεν ἐν ἀκμαῖς τῶν σωμάτων τοὺς γάμους ποιεῖσθαι, καὶ τοῦτο συμφέρον τῇ εὐγονίᾳ νομίζων* [3]). Nusquam tamen aetatem lege ſancitam ad matrimonia ineunda expreſſam legimus: ſed Ariſtoteles in libris de republica hanc ad legem reſpexiſſe videtur. Collegit namque ſummus hic philoſophus hoc in opere praeſtanti ſapientiſſima Graeciae inſtituta, imprimisque Laconica, eaque omnia in cor-



3) Xenoph. de rep. Lac. c. 1. §. 6.

corpus admirandum compoſuit. Hoc in opere praeſtantiſſimo inter alia quoque de aetate loquitur ad uxorem ducendam aptiſſima, legemque ab ipſo rogatam cum nulli Graecorum niſi Lacedaemonii ſequebantur [1]), in aliis enim civitatibus pro arbitrio ſuo cives uxores ducebant, eam e Lycurgi legibus petiſſe videtur. Proponit ſummus Stagirites rationes profecto excellentes e moribus & natura petitas, quae iuvenes a nimis maturis abhortari debent matrimoniis, deinde ad aetatem maribus feminisque matrimonio iungendis aptiſſimam progreditur, feminamque non ante annum duodevigeſimum, maremque non ante trigeſimum ſeptimum coniungi iubet. *Διὸ τὰς μὲν ἁρμόττει περὶ τὴν ὀκτωκαίδεκα ἐτῶν ἡλικίαν συζευγνύναι, τὰς δ' ἑπτὰ καὶ τριάκοντα ἢ μικρὸν* [2]); addens rationem, quia hac demum aetate homines omnem corporis vigorem roburque accipiunt, & iuniores, quia corpora adhuc creſcunt, non omnibus praediti ſint corporis viribus. Scimus autem apud Spartanos reges aeque legibus parere oportuiſſe ac infimos cives, ideoque apud Lacedaemones regum generationes & civium longitudine pares fuere, annosque triginta ſeptem duravere, cum Graecos apud alios initio 33. poſtea 30 tantum annorum longitudinem habuerint.

Obiici quidem nobis poteſt, legem hanc ante Lycurgum nondum uſu fuiſſe, ideoque

---

1) Xenoph. l. l.

2) Ariſtot. de rep. lib. 7. c. 16. p. 464. C.

que generationes regum Lacedaemoniorum hanc legiſlationem praecedentes 33 tantum annorum putandas, quam & Graecia in reliqua habuere durationem. Specioſa haec obiectio nec gravitate careret, ſi inſtituta Laconum ante Lycurgum huius legibus plane contraria fuiſſe probari poſſet, quod tamen vix credimus. Quomodo enim umquam prudentiſſimus vir civibus perſuadere potuiſſet, novis ſuis legibus atque inſtitutis parere, quae populi a moribus atque ingenio alieniſſimae videbantur, quomodo novam ſuam civitatem condere atque ſtabilire potuiſſet? Vulgus moribus maiorum adhaerere ſolet, licet maxime abſurdis, omnem igitur populum a ſe alianaſſet. Suſpicamur ergo apud Lacedaemonios iam extitiſſe talia inſtituta, ſed arbitrio civium permiſſa, nec legibus iam ſancita. Ex his Lycurgus, quae ſapientiſſima & ad bonos fortesque cives formandos aptiſſima ipſi videbantur, elegit, eaque legibus ſanxit, civitatemque hoc modo firmam conſtituit. E Cretenſium quoque inſtitutis, quae tunc ſapientiſſimae iudicabantur, quaedam adoptavit. Vero igitur ſimile videtur, Lycurgum morem, ante trigeſimum aetatis annum uxorem non ducendi, iam vulgarem & a capta ab Heraclidis Peloponneſo obſervatam, inveniſſe, quem lege ſanciendum ſtatuit, ut in perpetuum ſtabiliretur, arbitrariaque matrimonia cohiberentur. Si conſideramus inter Heraclidarum reditum & Olympiadem primam duobus e generibus regiis apud Lacedaemonios, utramque undecim tantum generationes numerare, cum per idem temporis ſpatium Athenis e ſtirpe Melanthi tredecim,

& Corinthi Aletis e genere quod 57 anno ante Olympiadem primam iam extinctum erat, undecim regnarint, hoc, inquam, ſi conſideramus, opinio ad veritatem ipſam quam proxime accedere videtur. Origo autem huius diverſitatis alia nulla nec eſt nec eſſe poteſt, niſi Lacedaemones aliis Graecis ſeriores ſuas uxores duxiſſe.

Reſtat & alia contra noſtram opinionem obiectio, e Platone deſumta, qui quarto de legibus libro dixit [1]; uxorem intra trigeſimum & trigeſimum quintum annum eſſe ducendam: *γαμεῖν δὲ, ἐπειδὰν ἐτῶν ᾖ τις τριάκοντα, μέχρις ἐτῶν πέντε καὶ τριάκοντα.* Obiectionis huius fundamentum eſt, quod vulgo, Platonem, qui vel centies Spartanorum laudavit leges, de nullis aliis niſi de his in dialogis ſuis de legibus cogitaſſe, remque ſuam publicam ad inſtar Spartanorum formaſſe creditur. Ex quo quidem facile quis colligeret, matrimonia Spartae intra trigeſimum & trigeſimum quintum vitae annum inita eſſe; quo more probato, noſtra in ſuperioribus explicata ſententia reſcilleretur. Fateamur quidem Platonem eximium fuiſſe laudatorem legislationis Lycurgicae, eumque in rempublicam ſuam atque de legibus dialogum multas Lacedaemoniorum leges tranſtuliſſe, ex his tamen minime ſequitur, omnes a Platone probatas leges Laconicas fuiſſe, multae enim in utroque eius libro inſunt leges, ab aliis populis petitae, nec paucae nullibi obſervatae, quas e ſuo

1) p. 721. A. B.

ſuo ipſe ingenio rogavit. Difficillimum profecto nobis eſt, has a ſe invicem diſtinguere, pluribus veterum de Graecorum rebus publicis diſputationibus temporum iniuria deperditis. Si Platonis duo dialogi politici non ex hoc genere fuiſſent, quomodo in mentem venire potuerit eius coaevis, proximisque poſteris, ut rempublicam eius deſcriptionem regiminis & inſtitutorum nusquam niſi auctoris in ingenio exiſtentium putarint? Leges a Platone rogatae ſi apud Spartanos latae conſtitutaeque fuiſſent, aſſertionem illam, in Graecia ipſa exſiſtente republica ubi religioſiſſime obſervantur, fundamento carere dicendum eſſet.

Probata generationum apud Lacedaemonios duratione 37 annorum, eorumque ab Eratoſthene & Apollodoro, ſeculorum ſuorum uſu ſeducti, ad triginta annos reductione, reſtat oſtendamus, chronologos hos duumviros adoptata generationes computandi ratione Laconica cum Herodoto & Thucydide ceterisque cum his ſentientibus ad Troianum quod attinet excidium conſenſuros fuiſſe.

Si enim undecim Laconicas iſtas generationes ab Ariſtodemo ad Polydorum, utroque incluſo per 37 annos multiplicemus, 407 annos habebimus. His additis 776 annis, ſumma annum indicabit, quo Heraclidae redierunt, qui eſt Julianus 3531 (Job. Frank. 2999) ante Chriſt. 1183. Quibus ſi addamus iterum 80 annos, quia ſecundum omnes auctores veteres Troia octogeſimo ante Heraclidarum expugnationem Peloponneſi anno capta eſt, annum accipiemus Julianum 3451 (Job. Fr. 2909) ante Chri-

ſtum 1263, qui ſeptennio tantum differt ab epocha, ab Herodoto, Thucydide, vitae Homeri auctore fixa, & regum Albanorum ſerie confirmata.

Certum igitur eſt, Eratoſthenem & Apollodorum ad figendam hanc epocham nulla alia habuiſſe ſubſidia niſi generationum computationem, nec minus clarum eſt eos, ſi regum Lacedaemoniorum ſeriem ad hanc epocham ſtabiliendam adhibere voluiſſent, hanc ea, qua nos uſi ſumus, ratione ab iis fuiſſe computandam: cum vero celebres iſti temporum ſcrutatores generationes has Laconicas ſecundum breviores ſuo ſeculo uſitatas inter Graecos computarint, iisque triginta tantum annos tribuerint, de longitudine temporis illius antiqui eos ſeptem ad minimum decennia annosque ſeptem detraxiſſe patet. Hunc eorum errorem non animadverterunt recentiores temporum periti, qui celebritate duumvirorum iſtorum decepti, eos ſibi duces his in tenebris elegere, eorumque veſtigiis inſtitere.

Neque ſtudium ſingularitatis, neque praeiudicium in gratiam Herodoti, nobis inter veteres cariſſimi, ob multas in eo illuſtrando conſumtas lucubrationes nos patrem hiſtoriarum prae ceteris ſequi, aliorumque ſcriptorum opiniones reprobare permovit. Propoſuimus rationes, chronologorum doctiſſimorum atque celeberrimorum, ſumma fide atque integritate, neque quidquam de gravitate atque pondere argumentorum detraximus. Noſtra quoque argumenta ita explicare ſtuduimus, ut, quae iis contraria videri poſſent, non taceremus.

Ju-

Judicium nunc penes lectores noſtros, quos, ut pondus argumentorum noſtrorum examinare, & non, niſi religioſe perpenſis noſtris aſſertionibus iudicare velint, rogamus.

# Caput XIV.

## *De Coloniis Graecorum.*

Vetuſtiſſima iam antiquitate Graeci colonos alias in terras miſerunt; alios ante, alios poſt captam Troianorum urbem. Nos de iis tantum dicturi ſumus, quorum apud Herodotum mentio facta, vel quae in capita quaedam operis eius lucem inferre aliquam poſſint.

### Sectio I.

### De Coloniis Graecorum ante bellum Troianum.

#### §. 1.

#### *De Peucetiis.*

Antiquiſſimae, quas cognovimus, Graecorum coloniae a Peucetio & Oenotio fundatae. Erant hi duces, uti ſupra capite nono demonſtratum eſt, fratres, filiique Lycaonis. Cauſſa eorum ex Arcadia emigrationis aliasque in ſedes longinquas immigrationis ignoratur. Certum eſt autem, eos decima ſeptima ante bellum Troianum generatione, h. e anno Juliano 2877 (Jobeleo Frank. 2354) ante Chriſtum 1837 in Ita-

Italiam navigaſſe, ibique ſedes ſuas fundaſſe [1]).

Peuceteus in terram egreſſus eſt ſupra caput Rapygium [2]), ibique civitatem ſuam condidit, populumque a ſuo nomine Peucetios appellavit. Fines horum vix quisquam accurate inveſtigabit [3]). Cum temporis progreſſu populus hicce, ſicuti & Daunii, everſus fuerat, vel cum aliis ſeſe miſcuerat populis, eorum terra omnis, praeter Meſſapiam, Apulia dicta.

§. 2.

*De Oenotriis.*

Maiorem ſecum multitudinem duxerat Oenotrus [4]), cum qua medio in ſinu Auſonio appulit [5]), Auſonios e terris ſuis expulit, omnesque inter hunc ſinum & Scylaceum terras occupavit, dimidium diei iter longas [6]). Strabo [7]) 160 Stadiorum longitudinem iis tribuit conſentiens cum Plinio [8]), qui milliaria viginti. quorum unum octo ſtadia continebat, longam eam facit

1) Dionyſ. Hal. Antiq. Rom. lib. 1. §. 11. p. 9.
2) Ibid.
3) Strabo lib. 6. p. 434.
4) Dionyſ. Halic. l. l.
5) Idem ibid.
6) Ariſtot. Polit. lib. 7. p. 193. lin. 17 &18. ex edit. Aldi.
7) lib. 6. p. 391. B.
8) lib. 3. c. 10. p. 165. lin. 6.

facit. Sinum hunc Auſonium, ab accolis Auſonibus cognominatum, Antiochus, Xenophanis filius, qui de fundatione ſcripſit Italiae, Napetinum dixit [1]). Lameticus [2]) quoque ab oppido Lameto [3]). Terinaeus [4]) a Terina [5]) Crotoniatarum colonia, Hipponiatas [6]) ab Hipponio Locriorum colonia, quam poſtea Romani Vibonem Valentiam [7]) dixere, appellatur.

His ex terris Oenotrii expulere Auſones easque occupavere. Multitudine eorum cum temporis progreſſu aucta, ad Metapontum [8]) usque habitationes ſuas protulere, inde poſtea ad Tarentum [9]), Poſidoniam & Paeſtum. In Latium tandem pervenere, ex quo Siculos [10]), auxiliantibus ipſis Opicis expulere, de quo Sect. 2. §. 4. conferenda.

## §. 3.

### *De colonis in Theſſaliam miſſis.*

Theſſalia campus latus, undique montibus altis atque impeditis cinctus eſt, rivi his a mon-

---

1) Strabo lib. 6. p. 391. B. Dionyſ. Antiq. Rom. lib. 1 §. 35. p. 27.
2) Ariſtot. Polit. lib. 7. p. 193. lin. 17.
3) Schol. Lycophron. ad v. 1083.
4) Plin. lib. 3. c. 5. p. 158. c. 10. p. 165.
5) Scymni Chii orbis deſcr. v. 306.
6) Strabo lib. 6. p. 391 & 393. lin. ult. Scymni orbis deſcr. v. 307.
7) Strabo lib. 6. p. 394. Plin. lib. 3. c. 5. p. 158.
8) Strabo lib. 6. p. 391. ſub. fin.
9) Dionyſ. Antiq. Rom. lib. 2. §. 1. p. 75.
10) Idem ibid. lib. 1. §. 22. p. 18.

montibus ſemper defluentes exitum invenere nullum, campos igitur inundare neceſſario, lacumque immenſum ex iis fecere. Tandem terrae motu Oſſa mons ab Olympo disruptus, viam aquis aperuit, quae in mare defluxere, Theſſaliaeque campos exſiccavere. Monticola quidam portentum hoc Pelasgo nuntiavit, Arcadiae regi, qui multis ſuorum populorum comitibus hanc novam in terram immigravit. Plura his de rebus ſupra iam cap 9 §. 3 expoſuimus, ad quae lectores ablegamus.

### §. 4.

#### *De colonia Evandri.*

Omnium Arcadum ſui temporis ſapientiſſimus, bellatorque fortiſſimus fuit Evander[1]). Factiones eius in patria binae exortae[2]), res ad arma venit, victi Evandrum ſibi ducem elegere, quocum in Italiam navigarunt. Aboriginum eo tempore Faunus rex fuit, qui, ſecundum Catonem & Sempronium[3]) a Graecis originem ducebant. Dionyſius Oenotrios eos putat, quia Oenotrus primus fuiſſe videtur, qui colonos in Italiam e Graecia duxit, additque & alia argumenta, quae hic longum foret repetere, & in opere eius ab iis, quibus intereſt, legi poſſunt. Faunus iſte prudentia & ſollertia in rebus gerendis magnum ſibi nomen acquiſierat[4]). Evandrum

1) Pauſan. Arcad. ſ. lib. 8. c. 43. p. 688. 689.
2) Dionyſ. Halic. Ant. Rom. lib. 1. §. 31. p. 24.
3) Id. lib. 2. §. 13. & ſeqq. p. 11. ſq.
4) Idem ib. lib. 1. p. 24. lin. 38.

drum is benigniter recepit a comitum eius paucitate nil metuens, nec enim plures eum comitabant, quam trecenti circiter viri, qui duobus in navigiis advenerant[1]), his quantum vellent agrorum Faunus aſſignavit. Evander ad ripas Tiberinas[2]) oppidum condidit, quod, ſecundum oppidi patrii nomen, e quo plures colonorum ſuorum exierant, Pallantium appellavit, quod poſtea Romani Palatium dixere: Fabulam hanc traditionem Strabo[3]) putavit, ſed alia fuit Romanorum opinio. Antoninus enim Pius, Romanorum hanc originem Arcadicam ſacram reddere volens, Pallantium in Arcadia urbis nomine honoravit, eiusque civibus libertatem & ab omni tributo immunitatem donavit[4]), Argumentum gravius autem hoc eſt, quod Dionyſii[5]) temporibus Romae ſacra Arcadica iisdem ritibus celebrata ſunt, quos Arcades ſolebant obervare. Romanis autem Graeci cum Arcadibus, ſeculis poſt urbem conditam iam elapſis, tandem innotuerunt; unde igitur ritus iſtos non cognovere ſolum ſed & adoptavere? Explicari hoc nequit, niſi Arcadum hanc coloniam immigratam putemus, vel ab Oenotriis, qui 567 circiter anno ante Troiam captam has in terras advenere, ritus hos ſacros cerimoniasque ſimul allatas dicamus. Tunc vero

1) Gatterer Weltgeſchichte P. I. p. 344.
2) Pauſan. loc. laud.
3) lib. 5. p. 352. B.
4) Pauſan. loc. laud.
5) Dionyſ. Hal. lib. I. §. 32. 33. p. 25. 26.

vero ſacra illa iam ante Oenotrum cum coloniis emigratum in Arcadia inſtituta fuiſſe probandum eſt; quod ſi fuerit, ab Oenotro in Italiam inferri potuerint, variisque in terris ab Oenotriis cultis veſtigia eorum invenirentur. Nullibi autem, niſi Romae celebrata ſunt. Strabo, haec ſi rite perpendiſſet argumenta, Evandri hanc coloniam fabuloſam profecto non dixiſſet.

Evander igitur anno ante Troiam captam ſexageſimo in Italiam navigavit [1]). Teſtantur hoc Romani, inprimisque Aurelius Victor [2]), qui de Romanorum origine ſcripſit. *Regnante Fauno*, inquit, *ante annos circiter ſexaginta, quam Aeneas in Italiam deferretur, Evander Arcas, Mercurii & Carmentis* Nymphae *filius, ſimul cum matre eodem venit.*

Evandri patrem ignorabant. Mercurii eum filium dixere [3]). Fortaſſis hoc ideo factum eſt, quia barbaros Italiae populos artes docuit [4]) ad vitam utiles, leges ipſis tulit, litterarumque Graecorum uſum, quam Arcades noviſſime didicerant, ipſis monſtravit. Alii [5]) Echemi & Timandrae filium eum fuiſſe affirmant, Echemus Tegeatum rex fuit; refert enim Pauſanias [6]), uxoris eius nomen Timandrae fuiſſe.

1) Dionyſ. Hal. lib. 1. §. 31. p. 24.
2) Orig. gent. Rom. c. 5. p. 11.
3) Pauſan. Arcad. ſ. lib. 8. c. 43. p. 688. Dionyſ. Hal. lib. 1. §. 31. p. 24. Aurel. Vict. l. l.
4) Dionyſ. Hal. Ant. Rom. lib. 1. §. 33. p. 26.
5) Servius ad Virgil. Aen. lib. 8. 130.
6) loc. laud. c. 5. p. 60.

fuiſſe. Sed Echemus iſte Evandri pater fuiſſe non poteſt, interfecit enim Hyllum [1] duello anno Juliano 3424 (Job. Frank. 2892) ante Chriſtum 1290, uti capite XV. demonſtrabimus. Echemus dum Hylli provocationem acciperet, annum circiter aetatis agebat quadrageſimum, quod ex eo concludimus, quod Hyllus tunc temporis aetatis flore fuit. Echemi igitur filius ſi fuiſſet Evander, ſexennis vel ſeptennis tunc fuiſſet & annum aetatis circiter egiſſet vigeſimum ſextum vel ſeptimum, cum Troia everteretur. Eduxit autem is colonos ſexageſimo ante Troiam captam anno.

Sed mittimus iam inveſtigationem patris Evandri, quae ſine dubio fruſtra ſemper erit, nec multum intereſt eum amplius inveſtigaſſe, cum probaſſe ſufficiat, Arcadum colonos duce Evandro ſexagaſimo ante Troiam captam anno in Italia ſedes ſuas fixiſſe.

## §. 5.

### *De colonis Dorienſium ante excidium Troianum.*

Phorbas [2]) Lapithis filius, Rhodum inſulam occupavit anno ante Troiam captam 369, qui, ſi fides Euſebio, qui hoc tradit, habenda, in annum ante Chriſtum 1580 incidit. Sedes is cum comitibus ſuis in Theſſalia quaerebat [3]), cum Rhodienſes ut inſulam ſuam a ſer-

1) Pauſan. loc. laud. Herod. lib. 9. cap. 26.
2) Euſebius Chron. lib. poſt. p. 74.
3) Diod. Sic. lib. 5. c. 58. p. 377.

a ſerpentibus, qui eam vaſtabant, purgare vellet, rogarent. Serpentibus enecatis Phorbes cum Dorienſibus inſulam diviſam poſſeſſit, & rebus ſemper ſtrenue & fortiter geſtis poſt mortem heroum in numerum relatus eſt.

Triopas[1]) eius filius cum Hellenibus ſive Dorienſibus in inſulam hanc venit. Inde in Cariam[2]) ſe contulit, & promontorium, a nomine ſuo Triopium dictum, occupavit. Hellenes igitur eo tempore in Theſſalia regnabant. Poſt Hellenis mortem Xuthus, eius filius, qui patris ſibi vindicare vellet pecunias, a fratribus ſuis pulſus eſt[3]). Hac fortaſſis occaſione, & quia Xuthi a partibus ſteterant, Phorbas eiusque filius Triopas, Rhodum inſulam petivere. Quod ſi ſtatuamus Triopas anno circiter Iuliano 3284 (Iob. Fr. 2752) ante Chriſtum 1430. hoc eſt anno ante Troiam captam 160 ſecundum Herodotum, & 246 ſecundum Euſebium, Rhodum navigavit.

Hyllo, Herculis filio, a Tegeatum rege Echemo duello percuſſo, Tlepolemus alter filiorum Herculis cum ceteris huius herois filiis & nepotibus Tricorynthum ſe contulit[4]). Inde cum Licymnio Argos profectus, ibique receptus

---

1) Diod. Sic. lib. 4. c. 58. p. 302.
2) Id. lib. 5. c. 57. p. 376.
3) Pauſan. Achaic. ſ. lib. 7. c. 1. p. 521.
4) Herod. lib. 9. c. 26. Apollodori Bibl. lib. 2. c. 8. §. 2. Diod. Sic. lib. 4. c. 58. p. 302.

tus eſt, ſed occiſo Licymnio Rhodum navigavit, ubi cum Heraclidis, qui eius a partibus ſtabant, fortunamque eius ſequebantur, Lindum, Jolyſſum & Camirum urbes condidit. Patris gloria permoti Rhodienſes non multum poſt tempus inſulae ipſi regnum detulere, isque Agamemnonem in expeditione Troiana copiis ſuis adiuvit. Homerus ampliſſimis verbis de harum urbium fundatione loquutus eſt, nec minus cauſſas extulit, quibus hanc in inſulam navigare permotus eſt Tlepolemus.

Occiſus eſt Hyllus anno Juliano 3424 (Job. Fr. 2892) ante Chriſt. 1290 quod infra de Heraclidis capite XV probabimus. Tlepolemus ſine dubio Tricorynthi breve tantum tempus moratus eſt; Argosque ſe contuliſſe videtur anno Juliano 3427 (Jobeleo Frank 2895) ante Chriſtum 1287. Hac ex urbe breve poſt tempus abire coactus, urbes ſupra nominatas fundaſſe videtur circa annum Julianum 3432 (Job. Fr. 2900) ante Chriſt. 1282.

## *Sectio II.*

### De coloniis Graecorum poſt Troianum excidium.

#### §. 1.

#### *De colonia Dorienſium.*

Megaris [1]) in Atticae confiniis, Codri poſt interfectionem circa annum Julianum 3583 (Job.



1) Strabo lib. 14. p. 965. C.

(Job. Fr. 3051) ante Chriſtum 1131 fundata videtur. Ibi pars Dorienſium ſedes fixit, alia cum Althaemene Argivo Cretam in inſulam profecta, in eaque coloniam fundavit, reliqui in inſula Rhodi, Halicarnaſſi, Cnidi & Cois diſperſi. Coloniae hae omnes praeter Rhodienſem a Tlepolemo fundatam, poſteriores fuere Peloponneſi ab Heraclidis occupatione. Vero haud abſimile videtur, migrationes has in ea incidiſſe tempora, ubi Graecia omnis turbata, nulla ibi tuta ſedes erat, quare populi patriam, dulce nil ipſis pollicentem, relinquere, melioresque & tutiores ſedes quaerere non dubitabant. Sed cum tempus harum migrationum veterum nemo adnotaverit, nos quoque definitionem eius tentare non audemus, & §. 4. de nonnullarum tantum urbium fundatione noſtram opinionem explicabimus.

§ 2.

*De colonia Aeolienſi.*

Secundum Strabonem [1]) Aeolienſium emigratio quarta ante Jonenſem accidit generationem. Tradit idem coloniae huius fundationem longum per tempus duraſſe, eamque ſero tandem, poſtquam incepta fuerat, conſummatam fuiſſe. Colonorum dux princeps fuit Oreſtes, cui, in Arcadia mortuo, filius ſucceſſit Penthilus, qui in Thraciam usque progreſſus eſt anno poſt Troiam captam ſexageſimo, hoc eſt eo

---

1) lib. 13. p. 872. C.

eo ipſo, quo Heraclidae in Peloponneſum rediiſſe dicuntur anno.

Penthilus colonos Aeolienſes aliam nullam ob cauſſam niſi quod e patria pulſus erat ab Heraclidis, duxiſſe videtur. Innuere hoc & Strabonem putamus, qui eo ipſo hoc factum eſſe tempore dixit, quo in Peloponneſum redierant Heraclidae. Certum tamen eſt, principes hac e gente octogeſimo poſt Troiam captam anno, haud vero ſexageſimo, uti retulit Geographus, terram hanc occupaſſe, quem quidem errorem Straboni minus quam librariis inculpamus, idque eo magis, quod fere ſemper in Eratoſthenis ingreſſus eſt Strabo veſtigiis, qui reditum Heraclidarum in octogeſimum poſt Troiam captam annum retulerat, quod capite ſequente de Heraclidis oſtendemus. Suſpicamur ergo Strabonis in contexto tranſpoſitum quid eſſe, verbaque ἑξήκοντα ἔτεσι τῶν τρωϊκῶν ὕστερον ponenda eſſe poſt verba Ὀρέστην μὲν γὰρ ἄρξαι τοῦ στόλου. Levi hac tranſpoſitione horum verborum Strabo cum Eratoſthene omnibusque aliis conſentit auctoribus, qui de Heraclidarum reditu ſcripſere, colonisque ab Oreſte ductis tempus adſcribit certum, quod antea fuit ignotum, cum, quae ſub Penthilo facta eſt emigratio, e verbis, quibus uſus eſt, facile poſſit colligi.

Oreſtes igitur ſexageſimo poſt Troiam captam anno, hoc eſt Juliano 3504 (Jab. Franc. 2972) ante Chriſtum 1210 colonos Aeolienſes educere coepit. Eoque iam nonagenario in Arcadia vita functo [1]) rem Penthilus filius recepit.



1) Strabo lib. 13. p. 872. C. Vellej. Paterc. lib. 1. c. 1.

pit. Succeſſit is in regno, uti e Velleio Paterculo colligimus, anno Juliano 3521 (Job. Fr. 2989) ante Chriſtum 1193 regnique tertio anno Heraclidis cedere coactus eſt. Nunc ad Aeolienſes colonos, huc usque neglectos, uti videtur, cogitationes ſuas denuo convertit, hos usque in Thraciam[1]), ubi diem obiiſſe veroſimile eſt, duxit. Plures alias haud ineruditi viri putarunt, ſermonem hic eſſe de Thracia propria, ideoque in difficultates implicati ſunt, e quibus ſe expedire neſcirent. At neque de Thracia Europaea hic ſermo eſt, neque de Aſiatica, ſed de Boeotiae quadam parte a Thracibus olim occupata, quam Thraciam Strabo appellavit. Si dubitari hac de re poſſet, Geographi huius narratio, cuius ſummam proponemus, omnem tollere poterit dubitationem. Aones, inquit ille[2]), Temnices, qui poſt varios errores a Sunio huc venerant, Leleges, & Hyantes, barbari populi, Boeotiam primis temporibus habitaverunt. Poſtea Phoenices Cadmo duce eam occuparunt, isque condidit Cadmeam, regnumque poſteris ſuis reliquit, qui Thebas exſtruerunt, easque cum Cadmea iunxerunt. Maxima his Boeotiae pars paruit, regnumque ad usque bellum Epigonum ſibi conſervarunt, quo quidem Thebas reliquerant tempore, nec tamen multo poſt reverſi. Sed a Thracibus & Pelasgis iterum pulſi, cum Arneenſibus in Theſſalia civitatem fundarunt, eamque diu tenuerunt,

1) Strabo loc. laud.
2) Strabo lib. IX. p. 615. C. & ſqq.

runt, ex quo Arneenſes quoque Boeotii appellati ſunt. Hi tamen iterum in patriam redierunt, eo ſcilicet tempore, quo Aulide in Boeotia naves aedificatae ſunt Aeolienſes, in quibus Oreſtidae in Aſiam navigarunt. . . . . .

Cum Strabone Thucydides [1]) quoque ſentire videtur, qui de foedere loquutus, quod cum Sitalce, Thracum regis Teretis filio, fecerant Athenienſes, haec addidit. Teres autem hic Tereo cognatus non erat, qui Prognen Attici regis Pandionis filiam duxerat, nec eadem a Thracia oriundus. Tereus enim Daulide habitabat, in terra, quae nunc Phocis dicitur, a Thracibus tunc culta.

Megarenſes [2]) Tereum hunc Pegis ſive Pagis in Megaride regnaſſe contendebant. Sed Pauſanias e monumentis ſuo tempore adhuc exſtantibus eum Daulide ſupra Chaeroneam regnaſſe collegit: ἐβασίλευσε δὲ ὁ Τηρεὺς, ὡς μὲν λέγουσιν οἱ Μεγαρεῖς, περὶ τὰς Πηγὰς τὰς καλουμένας τῆς Μεγαρίδος. Vox igitur Πηγὰς littera maiuscula initiali ſcribenda, verſioque latina ſecundum hanc noſtram explicationem emendanda eſt. *Gedoynus* Abbas, Graeca non intelligens, Tereum, ſi fides populis illis tribuenda, circa fontes Megarenſes regnaſſe, in verſione ſua Pauſaniae Francogallica ſcripſit [3]). Sed dicat nobis *Gedoynus*, qui fuerint iſti fontes Megarenſes, ubi locorum ſiti, quis veterum eorum fe-

T 4 cerit

1) lib. 2. §. 29. p. 115. 57.
2) Pauſan. Attic. ſ. lib. 1. c. 41. p. 100.
3) Pauſanias François lib. 1. c. 41. p. 129.

cerit mentionem! Stephanum Byzantinum 1) evolvere ſi placuerit, Pegas Megarenſium oppidum fuiſſe vidiſſet.

Sed ad Thraciam ut redeamus, duorum horum hiſtoricorum teſtimoniis certum eſt, a Thracibus magnam ſaltem Boeotiae partem eo tempore fuiſſe occupatam, quo in eam rediere Cadmei, nec minus certum eſt, filios Oreſtis ex Aulide in Boeotia in Aſiam navigaſſe. Thracia igitur ea, in quam Penthilus ſe contulit, & Aeolienſes ducere colonos ſuſcepit, Boeotiae ſine dubio pars fuit, quae nomen a victoribus tulerat Thracibus. Penthilus igitur cum fratre ſtatim poſt Heraclidarum expugnationem Peloponneſi, h. e. anno Juliano 3525. (Job. Fr. 2993) ante Chriſtum 1189 Aeolienſes eos duxit, qui ſecunda vice in Aſiam immigrarunt.

Tertia Aeolienſium migratio aliquot annis poſterior accidit reditu Heraclidarum. Echelatus eam duxit, Penthili filius 2). Eam in regionem is Aeolienſes ſuos duxit, quae Strabonis aetate Cyzicene dicta eſt, & quidem circa Daſcylium, Vix errabimus hanc anno Juliano 3540 (Job Frank. 3008) ante Chriſtum 1174 factam migrationem ſtatuentes.

Quartam eamque poſtremam Aeolienſium coloniam Grais, Echelati filiorum minimus duxit 3), qui a Lacedaemoniis 4) adiutus ad Granicum

---

1) ſ. v. πηγαί.
2) Strabo lib. XIII. p. 873. A.
3) Strabo lib. XIII. p. 873. A.
4) Pauſan. Lacon, ſive lib. 3. c. 2. p. 206.

nicum usque[1]) progreſſus eſt, &, neceſſariis rebus melior inſtructus ſuperioribus, cum maxima copiarum ſuarum parte inſulam Lesbum petiit, eamque occupavit. Eventus iſti omnes una cum generationum ſerie poſtremam hanc emigrationem poſt annum Julianum 3540 (Job. Fr. 3008) ante Chriſtum 1174 factam eſſe demonſtrant, & e fundatione urbis Lesbi, quae ſecundum auctorem vitae Homeri, quae Herodoto vulgo tribui ſolet, anno Juliano 3574 (Job. Fr. 3042) ante Chriſtum 1140 facta dicitur, colligimus, colonos hos circa annum Julianum 3563 (Job. Fr. 3031) ante Chriſtum 1151 eductos eſſe; Grais enim ad novas expeditiones & occupationes animum intendere non potuerit, ante quam terras iam occupatas contra barbarorum vicinorum incurſiones defendiſſet easque tutas ſuis populis reddidiſſet, Et Grais quoque, ſi inter tertiam migrationem & Lesbi urbis exſtructionem 34 annorum ſpatium ſtatuamus, iuvenis adhuc erat, cum colonos hos ducendos ſuſciperet, quippe qui Echelati filiorum minimus dicitur.

Circa idem tempus & Cleuas & Malaus, Agamemnonidae utrique, copias collegerant, ſed Penthili claſſis celerior ipſis e Thracia in Aſiam[2]) advenit. Hi in Locride circa Phricium montem diu ceſſarunt, tandem navibus conſcenſis Cymen & Phriconidum, a nomine montis Phricii appellatam, fundarunt. Auctor vitae Homeri

 meri

---

1) Strabo loc. laud.
2) Strabo loco laud.

meri Cymes fundationem anno Juliano 3594 (Job. Frank. 3062) ante Chriſtum 1120 factam tradit.

Infra §. 4. de nonnullarum urbium Aolienſium fundatione plura proferemus.

## §. 3.

### *De colonia Jonum.*

De colonia Jonum ſi recte & accurate iudicare volumus, ad rerum origines ut redeamus neceſſe eſt.

Hellen [1]), Deucalionis filius, in Phthia, Peneum inter & Aſopum ſita, regnavit. Xuthus eius filius, a fratribus e Theſſalia pulſus [2]), in Atticam confugit [3]), ibique regis Erechthei filiam duxit [4]), cum qua Achaeum & Jonem filios procreavit. Achaeus poſt caedem involuntariam [5]) in Laconiam emigravit, incolisque nomen ſuum communicavit.

Attica

1) Strabo lib. VIII. p. 587. C.

2) Pauſan. Achaic. ſ. lib. 7. c. 1. p. 521. a quo Strabo in quibusdam differt, qui Hellenem tradit maiori filiorum regnum reliquiſſe, aliosque ut alias ſibi ſedes quaererent iuſſiſſe: Dorum igitur circa Parnaſſum ſedem inveniſſe copiasque ab eius nomine Dorienſes appellatas eſſe, Xuthum in Atticam eſſe profectum, ibique filium regis Erechthei duxiſſe. Strabo lib. VIII. p. 558. A. conferendus & Conon in Narrat. 27.

3) Circa annum Julianum 3284 (Jobeleum Frank. 2752) ante Chriſt. 1430.

4) Circa annum Julianum 3285 (Jobeleum Frank. 2753) ante Chriſt. 1429.

5) Id. ibid. circa annum Julianum 3307 (Jobeleum Frank. 2775) ante Chriſtum 1407.

Attica eo tempore incolarum multitudine obruta, quae ſolo hoc in ſterili & arido vitae neceſſitates invenire non poterat, Athenienſes eius partem Jone ducente in Peloponneſum miſerunt [1]). Cum is iam bellum adverſus Aegialenſes eorumque regem Selinuntem pararet, filiam is ipſi Helicen collocavit, eumque filium & regni heredem adoptavit [2]). Mortuo Selinunte ſucceſſit Jon, qui urbi, quam condiderat nomen Helices, populoque Jonenſium indidit.

Jone in Aegialenſes regnante Athenienſes cum Eleuſiniis bellum gerentes, eum copiarum ſuarum ducem elegere [3]). Vicit is Thraces [4]), Eumolpi copias, qui Eleuſinem occuparant, & Athenienſes grati principatum ipſi in civitate ſua tradidere nomenque ſibi Jonenſium impoſuere [5]). Circa hoc tempus Atticam quatuor in tribus diviſiſſe videtur, quas, ſecundum filiorum nomina, Geleontes, Argades, Aegicores & Hopletes appellavit [6]). Brevi poſt haec ab eo inſtituta tempore Jonum coloniam fundaſſe videde-

1) Id. ibid. p. 588. B. circa annum Julianum 3308 (Job. Frank. 2776) ante Chriſt. 1406.

2) Pauſan. Achaic. ſ. lib. VIII. c. 1. p. 521. 522. circa annum Julianum 3309 (Jobel. Frank. 2777) ante Chriſtum 1405.

3) Pauſan. ibid. circa annum Julianum 3312 (Jobel. Frank. 2780) ante Chriſt. 1402.

4) Veriſimile eſt Thraces hos non e Thracia veniſſe. ſed Boeotios Thraces eſſe intelligendos. Strabo lib. VIII. p. 588 A. & Euripides in Phoeniſſ. v. 865. huius meminit belli.

5) Strabo lib. VIII. p. 588 B. lib. XIV. p. 997 D.

6) Herod. lib. 5. c. 66.

detur, nec dubitari poteſt teſtibus Euripide [1]), Vitruvio [2]) & Nicandro [3]), eum ducem horum colonorum fuiſſe. Sed a Strabone, Pauſania, aliisque, a Suida ſ. v. Ἰωνία, ab Etymologo magno [4]) illorum infirma reddantur teſtimonia, & poſtremi duo auctores, quod Harpocration in voce Ἐρυθραῖοι oſtendit, ex Hellanico ſua hauſiſſe videntur. Nos igitur hac e diverſitate opinionem duas in Aſiam tranſiiſſe Jonum colonias, quarum primam Jon, alteram Neleus duxerit Codri filius, illamque infirmam fuiſſe, & exigua tantum oppida ſive habitationes fundaſſe, alteram autem hanc valentiorem urbes exſtruxiſſe colligimus. Quae altera cum longe valentior fuerit colonia, auctoresque, qui de Jonenſi ſcripſère migratione Aſiatica, hanc ſemper intellexiſſe videantur, in huius epocha definienda & nos operam noſtram collocemus, antea vero quam hoc fieri poterit, eventus quosdam inter utramque coloniam memorabilis, ne rerum ſeries abrumpatur, breviter percurramus neceſſe eſt.

Erechtheo mortuo de regno certarunt filii [5]): Xuthus quem arbitrum elegerant, Cecropi fratrum maximo regnum adiudicavit, quare ceteri eum ex Attica eiecerunt; confugit is in Aegialenſem

1) In Jone v. 74.
2) Vitruv. lib. IV. 1.
3) Alexipharm. v. 9.
4) Etymolog. Magn. p. 327. lin. 11.
5) Pauſan. Achaic. ſ. lib. VII. c. 1. p. 521.

lenſem terram [1]) ibique diem ſuum obiit, Jonem in regnum rediiſſe veroſimile eſt, ignoratur autem quamdiu ibi manſerit, hoc ſaltem certum eſt, eum Athenas reverſum ibi vitam [2]) obiſſe.

Achaeus haud longum in Laconia tempus moratus, ſed copiis ex Aegialenſibus & Athenienſibus collectis in Theſſaliam tranſiit, patriumque regnum recuperavit [3]). Archander & Architeles [4]), eius filii Phthiotide relicta Argos profecti, duas ibi Danai filias uxores duxerunt, Quo factum eſt, ut Achaeorum nomen & Lacones & Argivi tulere. Danaus ſine dubio regio Argivorum e genere ortus, ſed diverſus ab eo fuit, qui ex Aegypto advenerat, ex quo reges Argivi originem ducebant Marmora Paria Epocha nona adventum huius in Erichthonii tempora collocant, qui anno Juliano 3203 (Job. Fr. 2680 ante Chriſtum 1511) regnavit. Nos autem ſupra capite VIII. §. 2. de chronologia Attica, Erichthonium anno Juliano 3216 (Job. Fr. 2693) ante Chriſtum 1496 regnum accepiſſe, ſicuti capite IX de regibus Argivis §. 4. Danaum circa annum Julianum 3142 (Job. Fr. 2619) ante Chriſt. 1572 in Graeciam adveniſſe probavimus, qui ideo ante Cecropis regnum, quem anno Juliano 3144. (Job. Fr. 2621) ante Chri-

1) Id. ibid. p. 521.
2) Id. ibid. p. 522.
3) Id. ibid. p. 521.
4) Id. ibid. memorabilis locus, ex quo Herodotus lib. 2. c. 98. quem Gronovius locum explicare deſperabat, poteſt intelligi.

Chriſtum 1570, regnaſſe ſupra oſtendimus, is in Graeciam navigavit.

Achaei ad reditum usque Heraclidarum, a quibus pulſi ſunt, his in terris remanſerunt. Tunc in Aegialeam [1]) receſſi ob conſanguinitatem ab Joniis benigniter recepti ſunt. Poſtea vero utrique populi armis inter ſe congreſſi ſunt, Joniis, Achaeos in id animum intendere, ſuſpicantibus, & Tiſamenum, Oreſtis regis filium, regem conſtituerunt. Victi Jones, Achaeisque terram cedere coacti, qui eius quidem diviſionem, quam Jones fecerant, conſervarunt, ſed terram ipſam a nomine ſuo Achaiam appellarunt. Regnum in eos Tiſamenis poſteri ad usque Ogygis filios tenuere [2]), qui regia abutentes auctoritate violenterque in populum dominantes, regno privati ſunt, quod in democratiam converſum eſt. Reſpublica haec magnam celebritatem adepta, libertatem usque in Olympiadis 158, annum tertium (Job. Fr. 4036) ante Chriſtum 156 conſervavit, quo quidem anno in Romanae provinciae formam redacta eſt.

Achaeos non prius ad Jones Aegialenſes quam e Laconia ab Heraclidis erant eiecti confugiſſe vidimus. Eveniſſe autem hoc putamus anno, quo in Peloponneſum iſti redierant, qui fuit poſt Troiam everſam octogeſimus. Haud multo poſt, uti vidimus, diſcordia inter utrosque hos populos exorta, armisque decertarunt.

1) Pauſan. lib. VII. c. 1. p. 523.
2) Polyb. lib. 2. c. 41. p. 178. lib. 4. c. 1. p. 375.

terunt [1]). Jones ſuperati, Helicen ſe receperunt, quos ſequuti ſunt Achaei, urbem oppugnare aggreſſi ſunt. Jones ad reſiſtendum impares urbem ea conditione tradidere, ut liber ipſis exitus praeſtaretur. In Atticam igitur confugere, & a Melantho, tunc temporis Athenarum rege, recepti ſunt, recens enim rerum ab Jone praeclare geſtarum memoria facilem ipſis praebuerat receptionem. Dicitur quoque, Athenienſes non tam ob benevolentiam erga Jones, quam ob metum, ne ipſi quoque a Dorienſibus e patriis ſedibus eiicerentur, Jones hos, ut vires ſuas augerent, recepiſſe. Achaei in Aegialeum confugerant anno Juliano 3525 (Job. Fr. 2993) ante Chriſtum 1189. Jones igitur anno ſequenti ab Athenienſibus recepti videntur, qui regni Melanthi fuit ſecundus. Melantho & Codro regnantibus ibi remanſere, qui ſecundum Caſtorem [2]) 58 per annos regnum tenuere. Sed Codro interfecto & regno abolito, regum in locum Archontes perpetui, minore cum auctoritate, ſucceſſere. Archontum horum primus e Codri, qui pulcherrimam pro patria mortem obierat, poſteris electus eſt, ſed inde orta diſcordiarum inter Codri filios cauſſa, Nileus [3]) enim privatus & fratri, quem regno minus dignum ſe ipſo iudicabat, ſubiectus vivere nolens, meliorem aliis in terris fortunam quaerere ſtatuit. Jones in Attica, cuius ſolum aridum & ſterile,

---

1) Pauſan. Achaic. ſ. lib. 7. c. 1. p. 523.
2 Euſebii Chronic. lib. poſt. p. 96.
3) Pauſan. Achaic. ſ. lib. VII. c. 2. p. 523 & 24.

ſterile, quae ad vitam ſuſtentandam neceſſaria ſunt, vix invenientes, nec ullis jam vinculis arctioribus ibi contractis, a more huius terrae non capti, a Nileo, ut ſecum in Aſiam transmigrare vellent, ſollicitati ſunt. Quibus ſocietatem non denegantibus, biennium in praeparanda profectione conſumſit. Jones igitur ſexageſimo poſt Heraclidarum reditum anno, & centeſimo quadrageſimo poſt Troianum excidium in Aſiam coloni profecti ſunt. Eſt haec quoque Eratoſthenis opinio, quae probationis, quam daturi ſumus, pondus auget. A Troia capta, inquit [1]), ad Heraclidarum reditum octoginta anni elapſi, & ab hoc reditu ad Joniae fundationem anni ſexaginta. Thucydides quoque accuratiſſimus & Eratoſthene multo vetuſtior auctor, Peloponneſum ab Heraclidis anno poſt Troiam captam octogeſimo recuperatam ſcripſit [2]) Jonienſem hanc migrationem ſexageſimo poſt hanc expugnationem anno factam eſſe Thucydides expreſſis quidem verbis non teſtatus eſt, quod tamen e contexto narrationum eius facile perſpici poteſt. Refert enim [3]) Graeciam, poſt turbas diuturnas pace & tranquillitate reſtituta atque ſtabilita, nullas in longum tempus metuentem rebelliones internas, colonos alias in terras miſiſſe, inſularumque maximam partem ex Attica novos accepiſſe

1) Eratoſthenes apud Clement. Alex. Stromat. l. 1. p. 402.
2) lib. 1. §. 12.
3) loc. laud.

piſſe colonos. Nos in capite de Troiano excidio ſcriptorem hunc, in annum Julianum 3444 (Job. Fr. 2912) ante Chriſtum 1270 id collocaſſe oſtendemus; ex quo eum Heraclidarum reditum in annum Julianum 3524 (Job. Frank. 2992) ante Chriſtum 1190, & Jonum in Aſiam emigrationem in annum Julianum 3584 (Job. Frank. 3052) ante Chriſtum 1130 collocaſſe, patet.

Vix quidquam contra hanc opinionem proferri poterit, niſi quae Strabo ſcripſit [1]), qui, putant, inquit, Aeolienſium coloniam quarta ante Jonienſem fundatam eſſe generatione. Inter utramque igitur migrationem 133 anni elapſi, quae, ſecundum noſtram computationem octoginta tantum annorum ſpatium intermedium habuere. At Strabonem hoc in loco generationibus ad tempora deſcribenda uti voluiſſe non credimus, quippe cui computationes iſtae minime ignotae fuere, qui etiam Oreſtem diutiſſime vixiſſe, & ſeptuaginta omnes regnaſſe ſciebat. Geographum igitur his verbis nihil innuere voluiſſe ſuſpicamur, niſi quatuor diverſas fuiſſe Aeolienſium migrationes, ducibus quatuor ſibi ſuccedentibus principibus uno eodemque genere ortis, quarum primam duxerat Oreſtes, alteram Penthilus, Oreſtis filius, tertiam Penthili filius Echelatus, quartam denique Grais Echelati filius. Haec autem quarta ad Jonum coloniam proxime accedit. Strabo vidit Aeo-

1) lib. XIII. p. 872. C.

Aeolienſes quaternis vicibus ante Jones emigratos, primorum colonorum Oreſtes, & qui hos ſubſequuti ſunt, huius filius, nepos & pronepos duces fuere. Ex his Aeolienſes quatuor ante Jonenſes generationibus emigratos collegit. Coloniarum epochas ſi figere voluiſſet, rem accuratius narraſſet, & pro conſuetudine ſua numeris certis determinaſſet. Si vero generationibus uti voluiſſet in epochis his definiendis, quarum computationem fere omnes auctores antiquiores in chronologia adhibuerant, dicere ſaltem non potuiſſet quatuor intra primam Aeolienſium emigrationem & Jonum coloniam fuiſſe generationes, nam ſenex iam Oreſtes, cum colonos ſuſciperet ducendos, nec minor 73 annos natus erat. En demonſtrationem. Occiſus ab Aegeſtho eſt Agamemnon eo ipſo quo Troia capta eſt anno, h. e. Juliano 3444 (Job. Frank. 2912) ante Chriſtum 1270. Aegiſthus [1]) ſeptem annos regnavit, & ab Oreſte occiſus eſt anno Juliano 3451 (Job. Frank. 2919) ante Chriſtum 1263. Oreſtes [2]) ſeptuaginta annos regnavit, mortuus igitur anno Juliano 3521 (Job Frank. 2989) ante Chriſtum 1193. Is ergo cum nonaginta annorum ſenex obiiſſe dicitur [3]), anno Juliano 3431 (Job. Fr. 2899) ante Chriſtum 1283 lucem adſpexit, & colonorum Aeolienſium dux factus eſt anno aetatis 73; incidit enim in annum Julianum 3504 (Job Frank. 2972)

1) Vellej. Paterc. lib. 1. c. 1.
2) Id. ibid.
3) Idem ibid.

2972) ante Chriſtum 1210 prima haec Aeolienſium emigratio.

Penthilus hac aetate iam vir erat vigens, eiusque filius vel natus iam, vel brevi poſt in lucem editus fuit. Grais, Echelati filius, puer adhuc duxit quartam Aeolienſium coloniam. Strabo hoc expreſſis tradidit verbis libro XIII. p. 873. A. Quatuor ergo principes iſti pro duabus tantum generationibus & dimidia computandi ſunt, quae annos efficiunt 82 isque numerus duobus tantum annis maior eſt eo, quem nos, certioribus uſi ſubſidiis, inter primam Aeolienſium & Jonienſis coloniae initium computavimus, octoginta ſcilicet annis. Accedit & Geographum non expreſſis tradere verbis, coloniam Aeolienſem primam quarta ante Jonienſem generatione emigraſſe, ſed Φασὶ inquit h. e. *tradunt.* Eius ipſius ergo hanc fuiſſe opinionem demonſtrari nequit. ſed illius potius, ex quo ſua hauſit. auctoris ſententia videtur, quam non accurate ſatis inveſtigavit, ut e verbo Φασὶ patet.

Nodis his ſolutis ſupereſt, ut Dorienſium, Aeolienſium & Jonienſium quarundam, tam in Aſia quam in Europa urbium fundationes breviter deſcribamus; quod quidem quam ſuccinctiſſime, ita tamen a nobis abſolvetur, ut, quod iure meritoque exigi poteſt a chronologo, auctoritates indicemus, in quibus noſtra fundata videtur opinio, & lectoribus examen argumentorum iudiciumque relinquamus liberum.

## §. 4.

*De fundatione quarundam urbium Dorienſium, Aeolienſium & Jonum tam Aſiaticarum quam Europaearum.*

Alalia[1]) in inſula Cyrno, poſtea Corſica dicta, vigeſimo ante Phocaeam ab Harpago Cyri duce captam anno a Phoceenſibus fundata. Sardium urbs, quod in capite VII de Lydorum regibus oſtendimus, anno Juliano 4169 (Job. Frank. 3637) ante Chriſtum 545 expugnata eſt. E ſerie rerum ab Herodoto traditarum facile perſpicimus Phocaeam anno Juliano 4172 (Job. Frank. 3640) ante Chriſtum 542 captam eſſe; Alaliae igitur fundatio in annum Julianum 4152 (Jobeleum Frank. 3620) ante Chriſtum 562 incidit.

Qui poſt captam ab Harpago Phocaeam in Oenuſas[2]) confugerant inſulas Phoceenſes, Cyrnum ſive Corſicam petierunt, in qua quinquennium morati ſunt Sexto enim anno cruentam cum Carthaginienſibus & Tyrrheniis pugnam navalem pugnarunt, in qua quidem victoriam deportarunt, ſed Cadmeam, maximam enim navium & copiarum partem amiſerant, quare Cyrnum reverſi, uxores cum liberis omnique ſuppellectili navibus impoſuerunt, urbemque Hyelam in Oenotriis fundarunt. Incidit haec fundatio in annum ut videtur Julianum 4179 (Jobeleum Frank. 3647) ante Chriſtum 535.

Uno

---

1) Herodot. lib. 1. c. 165.
2) Id. ibid. c. 165. 166. 167.

Uno eodemque quo Hyela, & Maſſilia urbs condita videtur anno. Pauſanias id expreſſis teſtatus eſt verbis libro decimo capite octavo p. 417. Miramur tamen Herodotum de ea ſilere. Quae Ariſtoteles [1]) de huius urbis fundatione dixit, cum Pauſaniae traditione non conveniunt. Solinus [2]) eam Olympiade 45 conditam ait, ſed quae addit, cum hac epocha minime conſentiunt. Timaeus contra, Solino multo vetuſtior fideque dignior auctor, eam anno 120 ante pugnam Salaminiam h e. Juliano 4114 (Job. Fr. 3582) ante Chriſtum 600 fundatam tradidit [3]). Qui ſi recte computaverit, Herodoti hac de re ſilentium non mirandum eſt, & ut diſſenſum inter Solinum & Pauſaniam tollamus, Maſſiliam ſecundum Timaeum & Solinum Olympiade 45, anno Juliano 4114 (Job. Fr. 3612) ante Chriſtum 600 conditam quidem eſſe, ſed Phoceenſes a Perſis fugatos partim in eam confugiſſe, eamque circa annum Julianum 4179 (Job. Fr. 3647) ante Chriſtum 535 ampliaſſe, maioremque exſtruxiſſe ſtatuamus [4]).

Abderae [5]) prima iecit fundamenta Timeſias Clazomenius, quo a Thracibus pulſo, eam

U 3 d.nuo

1) Athenaeus lib. XIII. c. 5. p. 576.
2) Polyhiſt. c. 2. p. 12.
3) Scymni Chii Orbis deſcript. v. 210 & ſeqq.
4) Plura de huius celeberrimae urbis fundatione atque fatis videſ. apud Beckium doctiſſimum in libro germanico Welt-und Völkergeſchichte T. 1. p. 249.
5) Herod. lib. 1. c. 168.

denuo exſtruxerunt Teii, quorum urbem ceperant Perſae Hi navibus conſcenſis in Thraciam ad novas ſedes quaerendas profecti. Incidere in Julianum annum 4173, (Job. Frank. 3641 ante Chriſtum 541 altera haec videtur fundatio, quia Phoceenſium urbis expugnatio praecedente acciderat anno. Euſebius urbem hanc anno Juliano 4059 (Job. Fr. 3527) ante Chriſtum 655 conditam ſcripſit, qui numeri niſi corrupti ſint, de primis a Timeſia iactis fundamentis intelligendus eſt Euſebius.

Smyrna[1]) urbs 622 ante Xerxis expeditionem anno condita eſt, qui eſt Julianus 3612 Job Fr. 3080) ante Chriſt. 1102. Octodecim annis prius Cymes[2]) in Aeolia fundamenta iacta, h e. anno Juliano 3594 (Jobeleo Frank. 3062 ante Chriſtum 1120. Lesbi[3]) fundatio Cymenſem anteceſſerat duobus decenniis, ea igitur in annum Julianum 3574 (Job. Fr. 3042) ante Chriſtum 1140 referenda.

Melos[4] inſula a Laconibus & Spartiatibus fundata. Spartanus Philonomus Lacedaemonem Dorienſibus tradiderat, & Amyclas urbem mercedis loco acceperat. Amycleenſes autem rebellantes adverſus Dorienſes, tertia generatione ex urbe ſua eiecti iunctisque ſecum Spartanis nonnullis, navibus conſcenſis Cretam profecti ſunt. Horum pars ad Melon inſulam, appulit

1) Auctor vitae Homeri ſub fin.
2) Idem ibid.
3) Id. ibid.
4) Conon Narrat. 36.

pulit eamque fundavit. ἐν τῷ παραπλῷ δὲ τῷ στύλῳ Μῆλον ἀποδασμὸς οἰκίζει. Liceat nobis hic aliquantum ſubſidere, & *Thomae Galei*, editoris Cononis ſingularem quendam errorem oſtendere. Is vocem ἀποδασμὸς littera maiuſcula initiali ſcripſit, quaſi nomen eſſet proprium; tranſtulitque Graeca: *Apodasmus Melum habitatoribus inſtruxit. Gedoymus Abbas*, Graecae linguae ignarus, in Diſſertationibus Academiae litterarum elegantiorum [1]), hunc ſequutus auctorem, verba tranſtulit: *Apodasmus igitur Melo inſulae appropinquans copiarum partem in eam expoſuit, qui ſedes ſuas ſibi fixerunt.* En igitur novum, a nemine huc usque cognitum, fundatorem! — Sed mittamus *Gedoynum* eiusque plane novum inventum, & ad inſulae huius fundationem redeamus. Lacedaemonem ab Heraclidis occupatam eſſe anno Juliano 3524 (Job. Fr. 2992) ante Chriſt. 1190 ſupra iam expoſuimus. Philonomus in mercedem perfidiae Amyclarum urbem accepit. Tertia generatione Amyclaei adverſus Dorienſes rebellarunt. Hi eos oppreſſerunt, & Amyclaei Cretam navibus petierunt, qua in profectione pars in Melon inſulam ſe contulit eamque fundavit. Inſulae igitur huius fundatio ante annum Julianum 3591 (Job. Frank. 3059) ante Chriſtum 1123 facta eſſe nequit, neque ea poſt annum Julianum 3622 (Job. Frank. 3090) ante Chriſtum 1092 fundata eſſe poteſt. Propius ad veritatem Cononis nos narratio non

 ad-

1) Memoires de l'acad. des Belles Lettres T. 12. Mem. p. 214.

adducit, eaque contenti deberemus eſſe, niſi Thucydides eam accuratius deſcripſiſſet. Anno inquit [1]) decimo ſexto belli Peloponneſiaci Melienſes ab Athenienſibus aggreſſi, inſulam eorum ante ſeptem ſecula fundatam eſſe contenderunt. Decimus autem ſextus belli Peloponneſiaci annus in Julianum 4298 (Job. Fr. 3766) ante Chriſtum 416 incidit. Subductis autem ab hoc numero 700 annis, annus remanet Julianus 3598 (Job. Fr. 3066) ante Chriſtum 1116, qui ergo Melienſium fundationis annus erit. Et optime is cum Cononis congruit narratione, qui eam intra annos Julianos 3591 & 3622 (Job. Fr. 3059 & 3090) collocavit.

Circa idem fere tempus, quo *Syracuſae* conditae ſunt, Corcyra quoque inſula, hodie *Corfu* appellata, primos accepiſſe dicitur cultores. Archias [2]) enim Syracuſas profectus Cherſicratem Heraclidam dimiſit, qui Liburnos ex inſula Corcyra, quam occuparant, eiecit, eamque exſulis Corinthiorum tradidit colendam, quorum e numero ipſe fuit. Inde inimicitiarum, quae inter Corcyram & metropolin exſtitere, origines deducendae, quae e cruentiſſima pugna [3]), 260 anno ante belli Peloponneſiaci finem his a populis pugnata, cognitae ſunt. Timaeus hiſtoricus [4]) hanc inſulam ſexcente-

1) lib. 5 §. 112.
2) Strabo lib. VI. p. 414. Schol. Apollon. Rhod. ad lib. 4. v. 1215.
3) Thucyd. lib. 1. c. 13.
4) apud Schol. Apollon. Rhod. lib. 4. v. 1215.

centeſimo poſt Troianum excidium anno fundatam eſſe auctor eſt. Sed is verbis huius everſionem longe prius collocavit Herodoto atque Thucydide, quod tamen vix credendum, vel in errorem incidit. Vix dubitaremus errorem hunc tribuere Scholiaſtae Apollonii, qui hoc nobis Timaei fragmentum ſervavit, vel eius librariis, ſed occurrit iſta lectio non omnibus tantum in exemplaribus typis deſcriptis, ſed & in pervetuſto codice manuſcripto Bibliothecae regiae Pariſienſis ſub numero 2727, qui carmina continet Apollonii Rhodii. Corcyra igitur anno Juliano 3958 (Job. Fr. 3426) ante Chriſtum 756 fundata eſt, quod infra de Syracuſarum fundatione dicentes, demonſtrabimus.

Crotonae fundamento anno ante Syracuſas conditas iacta ſunt. Myſcellus [1]) cum Achaeis eo profectus eſt, ut coloniam conderet. Archias Syracuſas ire volens his in locis cum claſſe ſua appulit, Myſcellum in condenda urbe adiuvit. Crotona igitur brevi ante Syracuſas tempore fundata eſt, ideoque anno circiter Juliano 3965 (Job. Fr. 3432) ante Chriſtum 759 annoque proxime ſequente Syracuſarum fundatio coepta eſt, uti mox videbimus. Retulit quidem Dionyſius Halicarnaſſeus [2]) eam anno tertio Olympiadis decimae ſeptimae, h. e. anno Juliano 4004 (Job. Fr. 3472) ante Chriſtum 710 fundatam eſſe. Nos autem Straboni potius fidem habendam cenſemus, qui de Geographia

U 5 non

1) Strabo lib. 6. p. 402 & 403.
2) Antiq. Rom. lib. 2. §. 59. p. 116.

non ſolum uti Geographus, ſed & uti Hiſtoricus ſcripſit, hiſtoriamque & origines plurimarum urbium celeberrimarum ſummo ſtudio inveſtigavit.

Siculi [1]) ſive Sicilienſes ab Oenotriis & Opicis ex Italia eiecti in Siciliam tranſierunt, veteres huius inſulae cultores Sicanos vicerunt, eorumque ſedes trecenteſimo circiter anno ante primum Graecorum hanc in inſulam adventum occupavere [2]). Primam autem Graeci coloniam Naxum fundarunt anno Juliano 3955 (Job. Fr. 3423) ante Chriſtum 759. Siculi igitur anno Juliano 3655 (Job. Fr. 3123) ante Chriſtum 1059 in Siciliam tranſiere. Dionyſius Halicarnaſſeus [3]) id tertia ante Troianam expeditionem generatione factum eſſe ſuſpicatur, ſecundum ergo hypotheſin eius in annum Julianum 3430 (Job. Frank 2898 ante Chriſtum 1284 caderet. Sed quia Thucydides accuratius cognoviſſe nobis videtur res Siculas, quam Dionyſius Halicarnaſſenſis, in eius partes ire maluimus.

Chalcidenſes [4]) Theucle duce ex Euboea profecti Naxum in Sicilia urbem condiderunt anno Juliano 3955 (Job. Fr. 3423) ante Chriſtum 759. Et hoc eodem loco retulit Thucydides, anno proxime ſequente Archiam Heraclidam Syracuſarum fundamenta ieciſſe. Supereſt igitur, ut harum fundationis annum inveſtigemus.

Syra-

---

1) Thucyd. lib. I. c. 22. p. 18.
2) Idem ibid. lib. VI. §. 2.
3) Antiq. Rom. lib. I. §. 22. p. 17.
4) Thucyd. lib. VI. c. 3.

Syracuſas, Euſebius ait anno quarto Olympiadis undecimae eſſe fundatas. *Petavius*, ex teſtimonio huius chronologi, fundationem hanc in quartum Olympiadis nonae annum, hoc eſt octennio prius, collocavit. Eo tempore quo vir doctiſſimus doctrinam ſuam temporum eruditiſſimam compoſuit. Marmora Paria nondum vulgata fuere. Quae ſi cognoviſſet, ea profecto praelaturus fuiſſet Euſebio. Marmora autem Paria Syracuſas conditas eſſe volunt anno vigemo Archontis perpetui Aeſchyli. Scimus autem Olympiadem, quarum initium in annum Julianum 3938 (Job. Fr. 3406) ante Chriſtum 776 incidit, tertio huius Archontis anno inſtitutas eſſe, cuius igitur annus vigeſimus primus, tertio quintae Olympiadis anno reſpondet, qui eſt annus Julianus 3956 (Job. Fr. 3424) ante Chriſtum 758.

Obiici quidem poſſet, in Marmoribus numeros evanuiſſe, & qui in editis leguntur ab editoribus reſtitutos eſſe, horum igitur, nec Marmorum, eſſe numerum illum 494. Sed reſpondemus numerum hunc, quamquam e coniectura ab editoribus ſuppletum, nec minus tamem certum eſſe. Verum enim eſt, Olympiades anno Aeſchyli Archontis tertio inſtitutas eſſe, ideoque & verum initium earum in annum Julianum 3938) Jobeleum Fr. 3406) ante Chriſtum 776 incidere. Annus Aeſchyli Archontis tertius ſi in 776 ante Chriſtum coincidit, annus eiusdem vigeſimus primus incedat neceſſe eſt in Julianum 3956 (Jobeleum Frank. 3424) ante Chriſtum 758. Confirmatur quoque annus iſte nativitate Eumeli poetae, quam Euſebius

ſebius tertia Olympiade floruiſſe tradidit. Is autem, teſte Clemente Alexandrino [1]), cum Archia Syracuſarum conditore ſocietatem iniit. Hoc anno aetatis circiter 45 fecit, quo vigor eius ad talem profectionem ſuſcipiendam nondum effloruerat. Quod ſi vero Archias, ſecundum Euſebianam, cui *Dodwellus* calculum ſuum adiecit, ſententiam, Syracuſarum fundamenta ieciſſet anno quarto Olympiadis undecimae, Eumelus ſeptuageſimum iam vitae annum egiſſet, aetas, ſine dubio, nimis provecta, ad transmigrandum alias in ſedes!

*Dodwellus*, eundem Euſebium auctorem ſequutus, Syracuſas anno Juliano 3982 Job. Fr. 3450) ante Chriſtum 732 conditas ſtatuit, eius nos opinionem, de Megarenſium fundatione dicentes, ſub examen vocabimus.

Quinto poſt Syracuſas conditas anno Chalcidenſes Theucle duce e Naxo Sicilienſi profecti, Leontii [2]) fundamenta, poſtquam Siculos inde eiecerant, poſuere. Poſtea duce electo Evarche Catanam urbem condidere.

Pauca de Megaris Atticae hoc loco monenda ſunt, quia coloni inde in Siciliam transmigrarunt, urbemque ibi eiusdem nominis fundarunt.

Megaridem primis temporibus Leleges Pelasgi coluere [3]). Pandion II, a Metionidis eiectus,

1) Stromat. lib. 1. p. 398. lin. 15.
2) Thucyd. lib. 6. §. 3.
3) Pauſan. lib. 1. c. 39. p. 95. Ovid. Metamorph. 8. 6.

ctus [1]), ad Pyladem, Megaridis regem, confugit, qui filiam ipſi Peliam collocavit. Pylas, Biante interfecto avunculo, copiis collectis in Pelopenneſum abiit, urbem ibi Pylon fundavit, generoque Pandione regnum Megarenſe parvum reliquit. Niſus [2]), Pandionis filius, patri Megarenſi in regno ſucceſſit. Huius urbem Minos aggreſſus, cepit, Alcathous, Pelopis filius, muros arcis a Cretenſibus devaſtatos reſtauravit, & fundatoris urbis nomine honoratus eſt [3]). Quam ob cauſſam Megarenſes Alcathoi habitatores, Ἀλκαθόου ναετῆρες, dicti ſunt in inſcriptione quadam Megaris inventa, & a *Tayloro*, in altero Demoſthenis ſui volumine p. 358, vulgata, ſic enim, non Ἀλκαθέου, legendum eſt, Athenienſibus urbs ad Codrum usque fuit ſubiecta. Peloponneſii regem hunc anno regni eius vigeſimo primo, aggreſſi, in fugam acti ſunt [4]), ſed Megaras tamen ceperunt, eamque urbem Dorienſes poſt hoc tempus ſemper retinuerunt, vid. Sect. II. § 1.

Eo circiter tempore, quo Leontium conderetur, Lamis Megarenſis e confiniis Atticae in Siciliam pervenit, ibique Trotilum fundavit [5]). Ad Leontinos is poſtea ſe contulit, eorumque rempublicam una cum Chalcidenſibus rexit.

1) Apollod. Bibl. lib. 3. c. 14. §. 5.
2) Idem ib. §. 8.
3) Pauſan. lib. 1. c. 41. p. 99. conf. Theognid. Sentent. v. 751.
4) Strabo lib. 9. p. 602.
5) Thucyd. lib. VI. §. 4.

xit. Sequenti tempore pulſus a Leontinis, Thapſum condidit, ibique deceſſit. Eius quoque comites eiecti ſunt, & Megaras Sicilienſes condiderunt. Centeſimo poſt hanc fundationem anno Megarenſes Selinuntem condidere, annoque ducentiſimo quadrageſimo quinto a Gelone Syracuſarum tyranno eiecti ſunt. Megararum deletione non accurate definita, vix annum fundationis earum eruere poterimus Re ſic ſe habente, ad veritatem quam proxime ſi accedamus, ſimus contenti. Patet e Thucydide, Gelonem cum urbem hanc expugnaret, Syracuſarum iam tyrannum fuiſſe. Sed quo tempore cepit is hanc urbem? Hic alia nova exoritur difficultas Marmora Paria [1]) factum id eſſe ponunt Archonte Timoſthene anno aerae Atticae 215, h e. Juliano 4236 (Job. Fr. 3704) ante Chriſtum 478, nam Enneadecateride nondum inſtituta ad annum ante Chriſtum inveniendum Atticis annis 263 addendi. Epochae huic Pauſanias [2]) contradixit, qui Gelonem ſecundo ſeptuageſimae ſecundae Olympiadis anno, Archonte Hybrilide, h. e. anno Juliano 4223 (Job. Fr. 3691) ante Chriſtum 49 . Syracuſis potitum eſſe, tradidit. Marmora igitur Paria Gelonis regni Syracuſani initium tredecim annis ſerius ponunt quam Pauſanias, Euſebius autem eum anno ſecundo ſeptuageſimae tertiae Olympiadis, h. e. 4227 Juliano (3695 Job Fr.) 487 ante Chriſtum regnum adeptum eſſe voluit.

Gra-

1) Epocha 54.
2) lib. 6. c. 9. p. 473.

Gravia ſine dubio haec ſunt teſtimonia, ſed iis ſibi invicem, aliiſque nec minus gravibus contradicentibus res eo magis in dubium vocatur, nec mirandum eſt recentiorum opiniones tam diverſas hac de re exiſtere, & nos quoque ipſos in difficultatibus verſari. Quamquam tamen nodus quodammodo ſolvendus ſit, noſtram qualemcunque ſolutionem eiusque rationes cum lectoribus communicemus.

1) Diodorus Siculus [1]) tradit, Gelonem per ſeptennium Syracuſas regnaſſe, in eoque Marmora ſecum conſentientia habet, quae eum Syracuſis potitum eſſe volunt Archonte Timoſthene, h. e. anno Juliano 4236 (Job. Fr. 3704) ante Chriſtum 478. Hieronem autem ei ſucceſſiſſe Archonte Charete, anno Juliano 4243 (Job. Frank. 3711) ante Chriſtum 471. Ariſtoteles [2]), vetuſtior chronographo Parienſi & Diodoro Siculo, in eamdem ivit ſententiam. Ex quibus Gelonis ſeptennalem tyrannidem Syracuſanam fuiſſe, certum eſt. Si, quod Pauſanias tradidit, urbem Syracuſanam anno Juliano 4225 (Job. Fr. 3693) ante Chriſt. 491 ſibi ſubiecerat, mors eius in annum Julianum 4230 (Job. Fr. 3698) ante Chriſtum 484 incidit. Sed in vivis eum deprehendimus anno, quo pugna Salaminia pugnata eſt, quae quadriennio poſterius accidit, Graeci enim, teſte Herodoto [3]) Gelonem hunc in belli ſocietatem ſollicitarunt, auxilia-

1) lib. XI. c. 38.
2) Politic. lib. 5. c. 12.
3) lib. 7. c. 153.

xiliaque ab eo petierunt. Quare in ſuſpicionem adducimur Pauſaniam erraſſe, eumque Gelonis tyrannidis Gelanae initium cum Syracuſanae initio confudiſſe. Confirmatur haec noſtra ſuſpicio a Dionyſio Halicarnaſſenſi, qui de Romanorum legatione Sicilienſi mentionem faciens, addidit, eo tempore Hybrilidem fuiſſe Archontem Athenis, & Gelonem Dinomenis filium, Hippocratis ſibi tyrannidem vindicaſſe, νεωςὶ τὴν Ἱπποκράτες τυραννίδα παρειληφώς. Hippocrates autem Gelae tyrannidem exercuerat. Quod ſi vero ponamus, Gelonis uſurpationem tyrannidis ante menſes aliquot factam eſſe, id quod e Dionyſii colligi poteſt verbis, inde eum primo anni Juliani 4223 (Job. Fr. 3691) ante Chriſtum 491 ſemeſtri, circa finem anni primi Olympiadis 72 tyrannidem ſibi vindicaſſe videmus. Sic cum Dionyſio conſentit Pauſanias, qui in eo tantum diſſentit, ut hic Syracuſanae, Dionyſius vero Gelanae tyrannidis initium hunc in annum collocaverit.

2) Gelon mortuus eſt, teſte Diodoro Siculo [1]), Archonte Timoſthene ſeptimo tyrannidis Syracuſanae anno. Marmora contra tyrannidis eius Syracuſanae initium hunc in annum poſuere. Sed Diodorus ipſe Siculus accuratius cognoſſe videtur res Siculos chronographo Pario, quare teſtimonium eius, quocum, uti ſupra iam monuimus, conſentit Herodotus, longe gravius eſt Pario. Accedit, quod Diodorus [2]), Syra-

1) lib. XI. c. 38.
2) ibid. c. 68.

Syracuſanos, addidit, poſt Thraſybulum eiectum, libertatem per ſex decennia conſervaſſe; ad usque reipublicae formam a Dionyſio Maiore mutatam. Notum autem eſt, Dionyſium hunc circa finem anni tertii Olympiadis 93, h. e. initio anni Juliani 4309 (Job. Fr. 3777) ante Chriſtum 405 tyrannidem in Syracuſas ſibi vindicaſſe. Annus hic ideo probatur, quod Thraſybuli expulſionem in tertium annum Olympiadis 78 collocat, h. e. in primum ſemeſtre anni Juliani 4249 (Job. Fr. 3717) ante Chriſtum 465. Tertius enim annus Olympiadis 78 in poſterius ſemeſtre anni Juliani 4248 (Job. Fr. 3716) ante Chriſtum 466 & prius ſemeſtre anni Juliani 4249 Jobelei Frank 3717) ante Chriſt. 465 coincidit, quare in huius anni initium eventus iſte optime poteſt collocari. Diodorus autem Siculus ipſe anno praecedente Juliano hoc eveniſſe videtur indicare. Archonte enim Lyſania factum ſcripſit, qui ſine omni dubio anno Juliano 4248 (Job. Fr. 3716) ante Chriſtum 466 gubernacula Attica cepit. Sed animadvertendum eſt, eo tempore, quo Diodorus opus ſuum compoſuit, annum Athenienſium civilem per plura iam ſecula eodem quo Olympicum tempore incepiſſe, eumque fere ſemper computationes annorum ſuo tempore uſitatas ſequutum eſſe, ſicuti recentiorum quoque temporum hiſtorici annos numerare ſolent ſine omni reſpectu ad annorum apud maiores noſtros initia, num Januario vel Marte ſuos illi annos inceperint, neglectaque, quae inter veterem novumque calendarii ſtilum occurrit, differentia. Hiero, ſecundum Diodorum

X Sicu-

Siculum 1), undecim annos & octo menſes regnavit, eiusque frater Thraſybulus annum unum, in poſteriore vero loco undecim tantum annos tribuit Hieroni. Septem Gelonis, undecim Hieronis; unus Thraſybuli, & ſexaginta libertatis anni, 79 efficiunt annos. Gelon igitur tyrannus Syracuſarum factus eſt 79 anno ante Dionyſii tyrannidem. Qui 79 anni ſi a 4309 ſubtrahantur, tyrannidis eius Syracuſanae initium in prius ſemeſtre anni Juliani 4230 (Job. Fr. 2698) ante Chriſt. 484, & Gelanae in ſemeſtre prius anni Juliani 4223 (Job. Fr. 3691) ante Chriſtum 491 incidit. Mortuus Gelon primo ſemeſtri anni 4237 Juliani (Job. Fr. 3705) ante Chriſtum 477, nec tamen, uti Diodorus tradidit, Archonte Timoſthene. Succeſſorem habuit fratrem Hieronem, qui primo ſemeſtri anni Juliani 4248 (Job. Fr. 3716) ante Chriſtum 466 obiit, huiusque frater & ſucceſſor Thraſybulus eodem Diodoro teſte, primo ſemeſtri anni ſequentis eiectus eſt.

Gelon ſtatim poſt tyrannidem ſibi vindicatam Syracuſas amplificare, florentiſſimasque reddere ſtuduit 2). Camarinam delevit, eiusque cives Syracuſas transportavit, eodem migrare iuſſit & dimidium Gelanarum civium partem. Megaras quoque oppugnavit, easque delevit. Accidiſſe hoc videtur anno eius regni tertio, duobus enim annis ipſi opus erat, ad Camarinenſes & Gelanos Syracuſas deducendos, & Megarae

garae

1) lib. XI. c. 38 & 66.
2) Herod. lib. 7. c. 156.

garae iam deletae, ſtatusque Syracuſarum iam florentiſſimus erat, cum Graecorum legatio Gelonem ad belli contra Perſas ſocietatem ſollicitare tentavit. Miſſam autem ſcimus hanc legationem vere anni Juliani 4234 (Job. Fr. 3702) ante Chriſtum 480. anno quarto Olympiadis 74 exeunte. Megaras igitur deletas putamus anno Juliano 4232 (Job. Fr. 3700) ante Chriſtum 482: conditas vero anno Juliano 3987 (Job Frank. 3455) ante Chriſtum 727. Selinuntem Megarenſes ſeculo poſt eorum urbem deletam elapſo, ideoque anno Juliano 4087 (Job. Fr. 3555) ante Chriſtum 627 fundarunt.

*Dodwellus* his noſtris cum calculis optime conſentit, quippe qui in unum tantum annum diſſentiens eſt, ſed his calculis ad coloniarum, de quibus loquuti ſumus, Graecorum fundationes, earum in primis, quas Syracuſani fundarunt, quam proxime coniungendas uſus eſt, neglecta Marmorum Parienſium auctoritate. Qui vir doctiſſimus cum iure ſuo permagni aeſtimetur, eius ſententia accuratius examen requirit. Circa tempus, inquit [1], fundationis Catanae, Lamis Trotili urbis iecit fundamenta. Lamis autem hic ſocietatem cum Leontinis inierat, & paullo poſt eorum ex urbe expulſus Thapſum condidit ibique diem ſuum obiit. Thapſenſes poſtea comites eius eiecerunt, qui Megaras condiderant. Contra omnem hiſtoriarum fidem *Dodwellus*, Megarenſium fundationem, quae anno circiter Juliano 3987 (Job. Fr. 3455) ante Chri-

 ſtum

1) Annal. Thucyd. p. 49.

ſtum 727 facta eſt, ſtatim poſt Trotilum fundatam accidiſſe putavit. Trotilus eodem circiter tempore quo Catana condita eſt, Catana autem quinto poſt Syracuſas anno fundata, ſecundum igitur eius ſententiam Syracuſae tertio undecimae Olympiadis anno fundatae forent, h. e. anno Juliano 3981 (Job. Fr. 3449) ante Chriſtum 733. Quam eius computationem ſi probaremus inter Syracuſas & Megaras conditas quinquennium, & inter Catanenſium & Megarenſium fundationem unus tantum annus elapſus foret.

Sed e Thucydide multo longius intervallum interfuiſſe patet. Eo circiter tempore inquit [1]), quo Catanam fundavit Evarchus, Lamis in Siciliam appulit, urbemque Trotilum condidit. Hac poſtea relicta ad Leontinos ſe contulit eosque una cum Chalcidenſibus per tempus aliquod rexit. Sed pulſus inde, Thapſum fundavit ibique obiit. Chalcidenſes qui eum ſequuti fuerant Thapſo cedere coacti, Megaras fundarunt.

Quis unquam his e verbis Megaras, anno Catanenſem fundationem proxime ſequente conditas eſſe colliget? Trotili fundamenta anno poſt Catanam conditam iacta videntur. Thucydides quamdiu Lamis Trotili manſerit, non dixit; ſuſpicamur tamen, eum ibi ad minimum octennium moraſſe, nam urbem condere, civitatisque formam ſatis firmam conſtituere neminem minori temporis ſpatio poſſe putamus. Inde Leontium ſe contulit, quo breve per tempus

1) lib. 17. §. 4.

pus principatum obtinuit. Id quidem non ignoramus, vocabula ὀλίγον χρόνον eſſe vagae interpretationis, ſed infra quadriennium hoc loco non poterimus ea explicare, cogitantes Leontinos Lamidem non primo ſtatim eius adventu principem in republica ſua conſtituiſſe, ſed tempus huic opus fuiſſe, ut civium maiorem partem ſecum coniungere, eorumque favorem variis artibus atque prenſationibus ſibi conciliare poſſet, nullus enim veterum eum vi principatum arripuiſſe tradidit. Anno ſequente Thapſum condidit, ibique diem obiit. Thucydides quam diu poſt urbem hanc conditam vixerit, non retulit. Ponamus eum decennium poſt eum vixiſſe. Comites eius anno poſt eius mortem expulſi ſunt, Megaraſque anno proximo condiderunt. Megarae igitur vigeſimo ſexto poſt Catanam, & trigeſimo primo poſt Syracuſas conditae ſunt anno. Sic Marmora Paria cum Thucydide in epocha conditarum Syracuſarum optime poſſunt conciliari.

E Diodoro Siculo colligi poteſt, Megaras anno Juliano 3963 (Job. Fr. 3431) ante Chriſtum 751 fundatas eſſe. Selinuntem enim, inquit, deletam eſſe anno quarto Olympiadis 92. poſt fundationem ſuam 242 [1]). Selinus igitur hunc ſecundum auctorem fundata eſt anno Juliano 4063, (Job. Fr. 3531) ante Chriſtum 651. Et Selinunte centeſimo poſt Megaras conditas anno fundata, haec urbs anno Juliano 3963 (Job. Fr. 3431) ante Chriſtum 751 condita eſt.

X 3 Diffe-

1) Diod. Sic. lib. 13. c. 59.

Differunt ita quidem Diodorus & Thucydides annis viginti quatuor; ſed in tanta rerum obſcuritate numerorumque varietate Thucydidi potius calculum noſtrum adiicimus, is enim & vetuſtior fuit Diodoro, nec rerum minus penitus, praeſtantioribus uti potuit teſtibus ad praecipuarum in Siciliae civitatum Graecarum origines cognoſcendas. In Euſebii ſententia, qui Selinuntem ſcripſit anno Juliano 4066 (Job. Fr. 3534 ante Chriſtum 648 conditam eſſe, ideo morandum non duximus, quia parvi ponderis eius eſt auctoritas, repugnantibus praeſertim graviſſimis vetuſtioribus ſcriptoribus.

Gelam Antiphemus Rhodius & Entimus Cretenſis anno poſt Syracuſas conditas 45, h. e. Juliano 4001 (Job. Fr. 3469) ante Chriſtum 713 fundarunt [1]).

Zanclen Siculi ſtatim poſtquam in Siciliam advenerant, circa annum Julianum 3655 (Job. Fr. 3123) ante Chriſtum 1059) vel potius anno ſequente condiderunt [2]). Graeci poſtea colonos Zanclen miſerunt, qui eam occuparunt; ſed tempus, quo hoc accidit, incertum. Suſpicamur tamen, hoc iis accidiſſe temporibus, quo ſtudium alias in ſedes emigrandi, novasque urbes condendi, Graecos ceperat, hoc eſt circa tempus originis Syracuſarum. Sed quoquo modo res ſeſe habeat, Samii, poſt Miletum captam fugientes ex Jonia, eam occuparunt

Scy-

1) Thucyd. lib. 6. §. 4.
2) Id. ibid. §. 4 & 2.

Scythes 1) eo tempore Zanclenſium fuit Tyrannus. Capta Meletus eſt anno Juliano 4216 (Job. Fr. 3684) ante Chriſtum 498. Samii Zanclen occuparunt anno ſequente. Anaxilas Rhegii tyrannus, urbem hanc oppreſſit anno Juliano 4220 (Job. Fr. 3688) ante Chriſtum 494 quod e ſequentibus probatur. Diodorus Siculus enim refert 2), eum anno Juliano 4238 (Job. Fr. 3706) ante Chriſt. 476, anno primo Olympiadis 76 poſt octodecim annorum regnum mortuum eſſe. Hos 18 annos ſi 476 addamus, eosque a 4238 ſubtrahamus, habebimus annum Julianum 4220, ante Chriſtum 494 eius regni Zanclenſis initium. Anaxilas poſtquam urbe hac potitus erat, eam nomine mutato Meſſenem, ſecundum patriae veteris nomen appellavit 3). Is igitur ſine dubio Meſſenius fuit. E Pauſania 4) qua ratione urbem ſub poteſtatem redegit, perſpicimus, qui eam accurate deſcripſit, oppugnationem autem urbis in Olympiadem 29 poſuit, quae ſicuti demonſtravimus, anno tertio Olympiadis 71 facta eſt, conferri quoque merentur ea, quae *Larcherius* ad Herodoti librum 6. cap. 23. & lib. 7. c. 164. nota 230 diſputavit.

Himera poſt Zanclen fundata 5) Euclides, Simus & Sacon duces colonorum fuere, qui

X 4 ſedes

1) Herod. lib. 6. c. 23.
2) lib. 9. c. 48.
3) Thucyd. lib. 6. c. 5.
4) lib. 4. c. 23. p. 336. 337.
5) Thucyd. lib. 6. c. 5.

ſedes ſuas ibi fixerunt circa annum Julianum 4065 (Job. Fr. 3533) ante Chriſtum 649, anno quarto Olympiadis 32. Diodorus enim Siculus ſcripſit[1]), a Carthaginienſibus eam eſſe deletam anno quarto Olympiadis 92, poſt fundationem 240. Acrae[2]) poſt Syracuſas conditas 70, Carmenae[3]) poſt Acras conditas 20, utraeque a Syracuſanis fundatae.

Gilani[4] poſt urbem ſuam conditam anno 108 colonos emiſerunt, a quibus Acragas urbs, quam Agrigentum Romani ſolent vocare, anno Juliano 4109 (Job. Fr. 3577) ante Chriſt. 605. condita eſt.

Camarina varias experta eſt viciſſitudines[5]). Syracuſani eius fuere conditores anno poſt Syracuſas conditas 135. h. e. Juliano 4091 Job. Frank 3559) ante Chriſtum 623. Daſcon & Menecolus colonos duxerunt. His poſtea contra Syracuſanos rebellibus urbs eorum deleta eſt, ſed breve poſt tempus ab Hippocrate Gelano tyranno reſtaurata. Quo Hippocrate Gelae tyrannidem exercente anno Juliano 4216 (Job. Frank. 3684) ante Chriſtum 498, Camarinae reſtauratio anno circiter Juliano 4217 (Job. Frank. 3685) ante Chriſtum 497 facta videtur, poſtquam anno Juliano 4215 (Job. Fr. 3683) ante Chri-

1) lib. 13. c. 62. p. 590.
2) Thucyd. lib. 6. c. 5.
3) Idem ibid.
4) Idem ibid. c. 4.
5) Thucyd. lib. 6. c. 5.

ſum 499 fuerat everſa. A Gelone [1]) iterum exciſa; eiusque cives Syracuſas migrare coacti ſunt. Syracuſarum igitur tyrannus iam erat, idque tyrannidis ſub initium fecit. Syracuſas autem ſibi ſubiecerat anno Iuliano 4230 (Job. Frank. 3698) ante Chriſtum 484. Camarinam ergo delevit circa annum Julianum 4231 (Job Frank. 3699) ante Chriſtum 483. Mittamus iam a Scholiaſte Pindari [2]) propoſitam ſententiam, qui Camarinam tempore Perſarum ſub Dario in Graeciam ſuſceptae expeditionis, hoc eſt anno Juliano 4224 (Job Fr. 3692) ante Chriſtum 490 deletam putat. Multo profecto gravior eſt auctoritas Herodoti teſtimonio hoc obſcuri cuiusdam ſeriorum temporum Grammatici, cuius etiam contextum corruptum eſt. Gelon poſtea Camarinam reſtauravit, Thucydide teſte [3]), quae reſtauratio ſine dubio facta eſt circa tyrannidis eius finem, anno Juliano 4235 (Job. Fr. 3703) ante Chriſtum 479.

Si Gelon anno Juliano 4223 (Job. Frank. 3691) ante Chriſtum 491 urbe Gela potitus eſt, Hippocratem tyrannum hoc anno mortuum eſſe oportet. Hippocrates hicce, teſte Herodoto [4]), Gelae ſeptem per annos tyrannidem exercuit. Tyrannidem igitur uſurpavit anno Juliano 4216 (Job. Fr. 3684) ante Chriſtum 498 fratris Cleandri, a Sabyllo interemti ſucceſſor, qui Cleander



1) Herod. lib. 7. c. 156.
2) ad Olymp. V. 19.
3) lib. 6. c. 5.
4) lib. 7. c. 155.

item Gelae ſeptennalem exercuerat tyrannidem 1).
Pantaris ille filius fuit. Gelon autem a Telenſi
inſulano, qui Antiphemi Rhodii fuerat comes;
cum Gelae is fundamenta iaceret, genus ſuum
duxit. Poſterorum eius quidam nomine Telines; Cereris & Proſerpinae Hierophantes creatus eſt, narravitque Herodotus, qua via hoc ad ſacerdotium perveniſſe dicitur.

Tarentus in Magna Graecia poſt bellum Meſſeniacum a Phalantho condita eſt. Occaſionem pluribus deſcripſit Strabo libro ſexto pag. 426 & 427. Finitum autem eſt alterum Meſſeniacum bellum, quod demonſtravit *Larcherius* in diſputatione academica de Creonte Archonte, anno Juliano 4046 (Job. Fr. 3514) ante Chriſt. 668. Tarenti igitur in annum circiter incidit Julianum 4048 (Job. Fr. 3516) ante Chriſtum 666 fundatio.

## Cap. XV.

### *De Heraclidis.*

Hercules moribundus Hyllo 2), filiorum e Dejanira genitorum maiori, iura in Peloponneſi poſſeſſionem tradidit eique, ad pubertatis annos pervento, ut Jolen uxorem duceret mandavit. Herculem Euryſtheus perſequutus erat, idem filiis

1) Idem ibid. c. 154.
2) Apollodor. Bib. lib. 2. cap. 7. §. 7.

filiis eius evenit. Fugere coacti, ad Ceycem[1]) Trachenſem regem ſe receperunt. Ceyce ad eos defendendos parum valido, Helladem, h. e. Locridem & Boeotiam peragrarunt, Athenasque ſe contulerunt. Hyllus ad aram Miſericordiae[2]) in foro Athenienſi exſtructam ſedens, auxilium imploravit. Theſeus eo tempore Athenarum regnum tenebat, Herculis olim in laboribus ſocius. Is non Hyllum ſolum eiusque fratres defendit, ſed & Euryſtheo bellum intulit. Victi Peloponneſii. Euryſthei filii cecidere in proelio, ipſumque Hyllus in Scironide rupe interemit. Heraclidae urbes in Peloponneſo omnes ſibi ſubiecere[3]) Sed peſte terribili exorta reſponſum ab oraculo tulere, poenam hanc eſſe divinam Heraclidis illatam, qui antequam fata voluere patriam receperant. Hyllus igitur Marathonem in Attica ſe contulit, ibique ex patris moribundi mandato, Jolen duxit Euryti filiam. Sed ingenium eius audax longam perferre quietem non potuit, Deum igitur Delphicum iterum conſulere decrevit. Reſponſum tulit ambiguum Hyllus, id in ſui favorem interpretatus eſt, rediitque in Peloponneſum, hoſtium fortiſſimum ad pugnam provocavit, qui eum occidit[4]). Cleodaeus eius filius tertiam, nec eam meliore ſucceſſu, tentavit expeditionem.

---

1) Id. ibid. c. 8. §. 1.
2) Pauſan. Attic. ſ. lib. 1. c. 17. p. 39.
3) Apollod. lib. 2. c. 8. §. 1.
4) Herod. lib. 9. c. 26.

nem[1]). Filius huius Ariſtomachus nec felicior fuit in quarta quam ſuſceperat expeditione, quod Oenomaus teſtatur[2]). *Aridaeus*, inquit, *Iſthmum perrumpere tentans, cum vitam amiſerat, filius eius Ariſtomachus ex te* (Oenomaus Apollinem alloquitur) *viam quaeſivit, qua ſibi eundum eſſet, eadem, quae pater, tentanti. Reſponſum tulit: Deus victoriam oſtendit tibi, anguſtasque humidasque vias eunti. Iſthmum is igitur dum tentavit perrumpere, proelio cecidit.* Occurrunt & alios apud ſcriptores loci, in quibus poſtremarum harum binarum expeditionum mentio facta eſt, ſed nimis obſcuri ſunt, & noſtrum ad ſcopum nullius uſus, quare eos iam praeterimus. Sed haec Oenomai verba clara ſunt nulloque modo ambigua. Ineſt tamen in eis librarii vitium, qui Ἀριδαῖε & Ἀριδαῖος loco Κλεοδαῖε & Κλεοδαῖος ſcripſit. Non enim Aridaeus ſed Cleodaeus Hylli filius appellatus eſt, quod e loco Herodoti ſupra laudato patet. Tandem Temenus, Ariſtodemus & Creſphontes Deum denuo interrogarunt; reſponſumque minus obſcurum, magisque perſpicuum ipſis datum eſt. Claſſem igitur apud Aetolos aedificarunt, cum eaque Peloponneſum adorti ſunt, quam & aliquot proeliis devicerunt ſibique ſubiecerunt. Erant horum in exercitu Tyrrhenii, quos Archondas ducebat, eaque occaſione Graecis Tyrrhenia tuba primum innotuit[3]).

Hera-

1) Euſebius in Praep. Evang. lib. 5. c. 20.
2) Id. ibid.
3) Schol. vet. in Sophoclis Aiac. v. 17. Schol. in Euri-

Heraclidarum expeditiones Peloponneſiacas, ne filum abrumpatur, una ſerie explicavimus, nunc ad definiendas earum epochas redeamus, & ab ultima eaque felici ordiamur, hac enim ſtabilita praecedentium anni haud difficile invenientur, excepta tamen tertia & quarta, quae ſemper ambiguae manebunt.

Thucydides [1]) auctor eſt, Heraclidas Peloponneſum 80 poſt Troiam captam anno recuperaſſe. Cum eoque conſentiunt Apollodorus [2]), Eratoſthenes [3]), Velleius Paterculus [4]), verbo, omnes qui hoc de eventu ſcripſere veteres. Sed prouti Troianum iſtud excidium vel maturius vel ſerius collocare ſolent veterum hiſtorici, ſic & Peloponneſi hanc expugnationem vel prius vel poſterius collocent neceſſe eſt.

Probavimus nos, Troiam anno Iuliano 3444 (Iob. Frank. 2912) ante Chriſtum 1270 eſſe everſam, idque ex Herodoto, Thucydide, Vitae Homeri auctore, ex Albanorum regum ſerie demonſtravimus Explicavimus etiam errores a Pario Chronographo, Apollodoro & Eratoſthene in definienda hac epocha commiſſos, qui fidem horum minuunt ſcriptorum. Sequi-

---

Euripid. Phoeniſſ. v. 1386. Scholiaſtes Sophocleus in editione Romana Arichondas ſcripſit, ſed a Valnenaerio ad Eurip. Phoeniſſ. p. 764 demonſtratum eſt Archondas eſſe legendum.

1) lib. 1. c. 12.

2) Diod. Sic. lib. 1. c. 5. p. 9.

3) Clemens Alex. Stromat. lib. 1. p. 402.

4) lib. 1. c. 2.

Sequitur ergo ex iis, quae ſupra iam expoſuimus, Heraclidas ſecundum calculos Herodoteos, Thucydideos, & auctoris vitae Homeri anno Juliano 3524 (Job Frank. 2992) ante Chriſtum 1190 Peloponneſum recuperaſſe & hanc unice veram huius eventus epocham ſtatuimus.

Probari & hac ratione poterit huius noſtrae epochae veritas. Ariſtodemo vita functo Peloponneſus ab Heraclidis iam occupata, diviſaque fuit, tranquillitas cum pace iam reſtituta. Praeteriiſſe ergo plures annos inter belli huius initium & Ariſtodemi mortem neceſſario ſtatuamus. Ponamus duodecim, minimum quem ponere poſſumus numerum, praeteriiſſe. Procles & Euryſthenes Ariſtodemi filii gemelli, eo iam moribundo nati ſunt 1). Tutor horum Theras avunculus conſtitutus, ad maiorennitatem puerorum, quae in annum aetatis 25, qui idem eſt annus poſt Ariſtodemi mortem 25, incidiſſe videtur. Theras, qui principum minorennium tutor regni iucunditates guſtarat, ad privatam redire noluit vitam & colonos educere ſtatuit. Nec minore quam triennii ſpatio itineris comites & quae ad migrationem neceſſaria ſunt parare potuit. Quadraginta igitur annos a Peloponneſi recuperatione ad Therae inſulae fundationem elapſos ſtatuimus. Probavimus autem ſupra capite decimo, Therae inſulae fundationem in annum Julianum 3564 (Job. Frank. 3032) ante Chriſtum 1150 incidiſſe, ex quo Peloponneſum

1) Herod. lib. 6. c. 52.

neſum ab Heraclidis anno Juliano 3524 (Job. Fr. 2992) ante Chriſtum 1190 occupatam eſſe colligimus.

Haec epocha quum haud parvi ſit momenti, eam & alia hac ratione probare tentabimus. Leotychide, Spartano rege [1]), anno Juliano 4245, (Job. Fr. 3713) ante Chriſtum 469 mortuo, regnum ad nepotem eius tranſiit Archidamum, eo tempore 30 annos natum. Erat autem Archidamus hicce vigeſima generatione [2]) poſt Ariſtodemum, Peloponneſi expugnatorem, natus. Generationes vero non ſecundum easdem regulas apud Lacedaemonios, quam alios apud populos computandae. Legibus enim ſancitum fuit Spartae, uti ſupra cap. XIII. oſtendimus, ne quis ante annum aetatis trigeſimum vel trigeſimum ſeptimum ducat uxorem, & hanc ad legem Ariſtoteles [3]) reſpexiſſe nobis videtur, neminem, inquiens, matrimonium inire debere corpore creſcente; neque ante annum aetatis trigeſimum ſeptimum, a viris eſſe uxores ducendas. Spartae vero reges legibus nec minus erant ſubiecti quam civium infimus, quapropter generationi apud Lacedaemonios tribuendi ſunt anni 37, cui ceteros apud Graeciae populos 33 annos tantum adſcribere ſolemus. Quodſi vero viginti illas generationes ab Ariſtodemo ad Archidamium, utroque in-

1) Dodwell. Annal. Thucydid. p. 70 & 71.

2) Videſ. Larcherium ad Herodot. libr. 8. c. 131. ubi genealogiam Archidami expoſuit.

3) de republ. lib. 7. c. 16. p. 464. C.

incluſo, per numerum 37 multiplicemus, 740 accipiemus annos. additis his ad 499, quia Leotychides anno ante Chriſtum 469 mortuus, eiusque nepos & ſucceſſor Archidamus cum regnum ſuſciperet 30 annum vitae agens erat, annum inveniemus Ariſtodemi natalem Julianum 3475 (Job. Fr 2943) ante Chriſtum 1239 qui quidem annus cum numeris Herodoteis, Thucydideis & auctoris vitae Homeri optime convenit, haec enim computatio Ariſtodemum expugnationis Peloponneſi tempore 49, vitae annum egiſſe, annoque vitae 61 mortuum eſſe, docet.

En tertiam quoque demonſtrationem! Melienſes 1) anno belli Peloponneſiaci decimo ſexto, inſulam eorum ante ſeptem ſecula fundatam eſſe affirmarunt. Incidit ergo colonorum Dorienſium hanc in inſulam immigratio in annum 3598 Julianum, Job. Fr. 3066) ante Chriſtum 1116. Legimus autem apud Cononem 2), Melon tertia generatione poſt Heraclidarum in Peloponneſum reditum eſſe fundatam, quare haec oppugnatio intra annum Julianum 3498, (Job. Fr. 3966) ante Chriſtum 1216 & Julianum 3531 (Job. Fr. 2999) ante Chriſtum 1183 collocanda eſt. Nos Herodotum & Thucydidem ſequuti hanc in annum Julianum 2524 (Job. Fr. 2992) ante Chriſtum 1190 collocavimus expugnationem; & annus iſte incidit in tertiam generationem ante Melon fundatam. Aliter res ſe haberet ſecundum Apollodorum & Eratoſthenem,

1) Thucyd. lib. 5. c. 112.
2) Narrat. 36.

iem, qui Meli inſulae fundationem Dorienſem luodecim annis vetuſtiorem faciunt occupatioie Peloponneſi, quae tamen ad minimum duaous generationibus & dimidia ſerior contigit. Hoc ſolum ſufficit ad demonſtrandum omniis ſine praeiudicio rem diiudicantibus, rationes horum duumvirorum chronologicas eſſe alſiſſimas.

Explicata vero hac epocha eaque definita, ine magna difficultate annum illum inveſtigare poterimus, quo Hyllus in Peloponneſum penerare tentans vitam amiſit. Narravit Herodous [1]), Peloponneſios, Hyllo obviam progreſſos, in Iſthmo caſtra poſuiſſe, ibi Hyllum, ex hoſtili exercitu fortiſſimum ad pugnam provocaſſe, & conditiones propoſuiſſe eas, ut victor in patrias poſſeſſiones reſtitueretur, hoſte contra victore ante ſeculi lapſum Heraclidae in Peloponneſum non reverterentur. Eadem habet Scholiaſtes in Thucydidem ad libri primi caput duodecimum. Hyllus in pugna cecidit, quod anno Juliano 3424 Job. Fr 2892 ante Chriſt. 1290 eveniſſe ideo putamus, quia Heraclidae non prius centeſimo poſt hanc cladem anno redierunt, eorumque reditus in annum Julianum 3524 (Job Fr. 2992 ante Chriſtum 1190, uti oſtendimus, tentatus eſt.

Fuit autem haec ſecunda Heraclidarum in Peloponneſum expeditio; prima viginti annis ante eam tentata erat, quod e verbis Scholiaſtis

1) lib. 9. c. 26.

ſtis Thucydidei ad locum ſupra laudatum, eli cet. Suſcepta igitur ea eſt anno Juliano 340 (Job. Fr. 2872) ante Chriſtum 1310.

Heraclidae fidem Peloponneſiis datam no omni religione praeſtiterunt. Cleodaeus eni Hylli filius tertiam tentavit expeditionem, ſe infelicem, nec felicior fuit quarta expeditio filio Cleodaei Ariſtomacho ſuſcepta. Supra iar monuimus, annos harum expeditionum exact definiri non poſſe. Nos, ut ad vires novas col ligendas ſpatium Heraclidis relinquatur, tertian in annum Julianum 3469 (Job. Fr. 2937) ant Chriſtum 1245, quartam vero in annum Julia num 3504 (Job. Fr. 2972) ante Chriſtum 121 collocavimus.

At dici quis poſſet, Hyllo interemto anno Juliano 3424 (Job. Frank. 2892) ante Chriſtum 1290. Troianaque ſuſcepta expeditione anno Juliano 3434 (Job. Frank. 2892) ante Chriſtum 1280, quare Graecorum contra Troianos pug nantium abſentia, praeſertim omnibus Pelo ponneſiis Ilium oppugnantibus, ad Pelopon neſum recuperandum uti noluerint Heracli dae? — Reſpondemus hanc ad obiectionem ſequentia: 1) Hylli filium Cleodaeum eo tem pore admodum puerum fuiſſe, qui de Pelopon neſo expugnando cogitare non poterat. 2) He raclidarum copias poſt inducias inter Hyllum Peloponneſios factas, vix ſubſiſtere, vitaeq neceſſaria ſibi parare potuiſſe, quare libent duces alios potentiores in expeditione Troian ſequuti ſunt, eaque finita ad Cleodaeum redi runt. Verum quidem eſt, id a nullo veteru auctorum narratum eſſe, nec tamen a verita

videtur abhorrere haec noſtra coniectura, quum & filii & nepotes Herculis adverſus Troianos profecti fuerant, quos Cleodaei copias ad vitae neceſſitates cum honore ſibi parandas ſequi, quam apud Cleodaeum ſuum puerum, a quo propter pueritiam vix quidquam ſperare poterant, manere maluiſſe, ſuſpicamur. Vidimus & Europam poſterioribus temporibus, omnibus in militiam ſacram cruce ſignatam cum furore quodam ruentibus; qui ſtatus rerum, Graeciae illo ſtatu, cum adverſus Troianos omnia concurrerent, ſimillimus videtur, maxime tranquillam & pacificatam, cum tamen quaeri poſſit, cur iis temporibus Gallofranci Britannos ſuis e provinciis non expulerint? cur Britanniam & Germaniam ſibi non ſubiecerint? cur Britanni Gallofranciae arma ſua non intulerint? De recentioribus his temporibus ſcriptores ad noſtra pervenere tempora, qui rationes tranquillitatis huius & pacis ſtudii expoſuere, quibus deficientibus, eadem quaerentibus reſpondere par eſſet, quae nos de quiete Heraclidarum, excidii Troiani tempore, in Graecia quaerentibus iam reſpondimus, & in tali reſponſione, defectu omnium hiſtoriae monumentorum, acquieſcendum eſſe ducimus.

## Caput XVI.

### *De Regibus Corinthi.*

Corinthi, plurimarum civitatum antiquiſſimarum, origines fabulis obſcuratae ſunt. Eumelus,

lus [1]), Amphilyti filius, Bacchiadum e gente in Corinthiaca narravit hiſtoria carmine heroico ſcripta, Ephyram, Oceani filiam, has terras primam habitaſſe nomenque ſuum urbi communicaſſe, poſt eam Marathonem, Epopei filium, Aloei nepotem, & Corinthum Ephyrae regnaſſe, quae a poſtremo Corinthi nomen acceperit, quo nomine poſtea ſemper appellata ſit; poſt hos Jaſonem & Medeam Corinthi regnum tenuiſſe [2]), Jaſonem vero Jolcos, Medeamque in Aſiam ſe recepiſſe, regnumque Siſypho, Aeoli filio, Hellinis nepoti, tradidiſſe.

Quodſi vero Sophoclem in Oedipo tragoedia ſequi malimus, Polybus eodem tempore Corinthi, quo Laius Thebis regnavit, qui filiis carens Oedipum adoptavit. Ignoramus, num proximus is Corinthi fuerit ſucceſſor, vel inter hos alii quidam regnum tenuerint, ſed, quoquo ſe res habeat modo, Creon proximus eius ſucceſſor fuiſſe videtur. Is enim hac in urbe regnavit, quo tempore Jaſon & Medea advenerunt; teſtatur hoc in Medea Euripides. Poſt aliquod tempus Creon eiusque filia a Medea interfecti, quae Corinthiorum iram metuens Athenas ad Aegeum regem fugit. Hoc tempore Siſyphus, Aeoli filius, Hellenis nepos ad regnum Corinthiacum pervenit.

Siſiphydarum regum ſeriem is inchoavit, qui primi putantur Corinthiorum reges, quia regni ſui ſtatum in ordinem meliorem redegerunt,

1) Pauſan. Corinth. ſive lib. 2. c. 1. p. 110.
2) ibid. c. 3. p. 119.

runt, eumque antea vacillantem firmarunt. Ornytion, Thoas, Damophon & Propodus, omnes Siſyphidae, per ordinem generationum ſe invicem in regno ſequuti ſunt. Doridas autem & Hyanthidas, Propodae filii regno diviſo ſimul regnarunt. Sed redeuntibus in Peloponneſum Heraclidis regnum ſuum Aleti [1] tradiderunt, privatique in patria remanſerunt. Sexagenarii iam fuiſſe videntur regnum Aleti cedentes; alias enim credibile vix videretur, eos tam imbelles fuiſſe, ut Corinthios [2]) adverſus Dorienſes proeliantes reliquerint, auxiliumque ipſis ſuum denegarint, niſi enim provecti iam fuiſſent ſenectute, ſine dubio fortunam populi ſequi, cum ſuisque alias in terras emigrare, quam in patria Dorienſibus ſubiecti aetatem agere maluiſſent. Aletis victoria eiusque regni initium, ut infra oſtendemus, in trigeſimum poſt Heraclidarum reditum annum incidit. Doridas igitur & Hyanthidas reditus huius tempore trigeſimum annum egiſſe videntur. Abierunt autem Heraclidae, uti capite XV demonſtravimus, anno Juliano 3524 (Job. Fr. 2992) ante Chriſtum 1190. Generationes ergo a Dorida ad Siſyphum retro computando inveniemus, Siſyphum circa annum Julianum 3324 (Job. Fr. 2792) ante Chriſtum 1390 natum eſſe. Convenit hoc perbene cum iis, quae de Jone, Hellenis quoque nepote, ſupra expoſuimus [3]).

 Siſy-

1) Pauſan. Corinth. lib. 2. c. 4. p. 120.
2) Id. ibid
3) Cap. XIV. Sect. 2. §. 3.

Siſyphus ſi regnum Corinthiacum poſt Medeae hac ex urbe fugam acceperit, teſte Eumelo, quinquaginta ſex annos iam natus fuit, rex creatus; anno Juliano 3380 (Job. Fr 2848) ante Chriſtum 1334. Rapta enim Medea eſt circa annum Julianum 3364 (Job. Fr. 2832) ante Chriſtum 1350 & cum Jaſone Jolcos ſe contulit. Inde Corinthum fugere coacta, ibi regnavit, vel regnare ſaltem voluit, ſed expulſa Athenas ad Aegeum regem confugit. Quia vero Theſeum veneno necare tentarat, Graeciam reliqui omnem circa annum Julianum 3387 (Job. Fr 2855) ante Chriſtum 1227. Athenis cum diu ſatis morata ſit, circa annum Julianum 3380 (Job. Fr. 2848) ante Chriſtum 1334 Corintho expulſa videtur, Siſyphumque Creontis, a malefica hac principe interfecti, ſucceſſorem fuiſſe putamus. Siſyphi regnum diuturnum fuiſſe vix credimus, eique quatuordecim annos aſſignare placet. Ornytion ergo Siſypho ſucceſſit anno Juliano 3394 (Job. Fr. 2862) ante Chriſtum 1320. Regni huius regumque eius ſucceſſorum duratio valde incerta, quare eam arbitrariam, ſed tamen veriſimilitate non neglecta, computare nobis viſum eſt. Thoas, Ornytionis ſucceſſor, ab Atreo vel ab Agamemnone regno privatus eſt. Certum enim eſt, Agamemnonem Troianum in bellum exeuntem Corinthi regnaſſe [1]). Tempore huius expeditionis Graecia tantam incolarum, quantum poſtea, multitudinem non continebat, copiarumque hoc in bellum

1) Homeri Iliad. II, 570.

bellum armatorum delectu exhauſta videtur. Thoas ſine dubio impatiens occaſionem patrii regni recuperandi exſpectabat, veroque haud abſimile videtur, eum ſtatim poſt Agamemnonis abitum in regnum rediiſſe. Certum eſt Damophontem, Propodam, Doridam & Hyanthidam ipſi ſucceſſiſſe reges, quorum duo poſteriores fratres fuere coniunctim regentes, quibus Aletes Heraclida anno poſt reditum Heraclidarum trigeſimo regnum eripuit.

Ad reges Corinthios Prytanesque annuos nunc transeamus Heraclidarum e gente, vulgo Bacchiades appellatos, quorum quidem hiſtoria multo clarior eſt Siſyphidorum rebus geſtis. Attamen obſcurietates haud paucae ſuperſunt, quarum illuſtratio poſceret diſputationem, niſi natura huius noſtrae ſcriptionis brevitatem nobis commendaret, longam.

Neceſſario requiritur definitio tam initii quam durationis regnorum Aletiadum & Bacchiadum ab Hercule originem ducentium, magiſtratuum annuorum Prytanes dictorum e gente Bacchiadum, regnique Cypſeli initium, qui Prytanibus eiectis tyrannidem uſurpavit.

Quodſi Diodorum Siculum ſequi placeret, res facillime foret enodata. Statim, inquit ille[1]), poſt Peloponneſum ab Heraclidis expugnatam Aletes ab his acceſſitus ipſique Corinthus tradita eſt, cum agris circumiacentibus. Tenuit is regnum per annos 38. Poſt eum regnum apud poſteros manſit ad tyrannidem usque Cypſeli,

 an-

1) Fragm. T. 2. p. 635.

anno 447, poſtquam redierant Heraclidae. Huius ſucceſſores Jaion 39, Agelas 37, Prumnis 35, & Bacchis item 35 annos regnarunt. Bacchis tantum ſibi nomen famamque acquiſivit, ut anteceſſores in regno longe poſt ſe relinqueret, & a nomine eius, qui eum ſequuti ſunt reges, Bacchides ſive Bacchiades [1]) dicerentur. Agelas huius ſucceſſor 30 annos regnavit. Eudemus 25, Ariſtomedes 35, qui moribundus filium Teleſtem reliquit infantem. Agemon eius patruus tutorque ſibi ipſi regnum vindicavit, quod 16 annos retinuit. Huic ſucceſſit Alexander, regnavitque annos 25, quem Teleſtes interfecit, patriumque regnum recuperavit, quod duodecim annos retinuit. A cognatis tunc occiſus eſt, & Automenis regnum annuum tantum fuit. Regnum nunc abolitum eſt, & Bacchiades numero ducenti rempublicam ſibi ſubiecerunt, eamque ſimul adminiſtrarunt, e medio ſuo tamen unum elegerunt, Prytanem dictum, qui annua vice gubernacula reipublicae teneret. Hic rerum ſtatus per novem decennia duravit, ad Cypſelum usque tyrannum, qui Bacchiadibus reipublicae gubernacula eripuit, prytanesque eiecit [2]).

Quos

1) Altera haec denominatio apud Diodorum quidem non occurrit, ſed Pauſanias lib. 2. c. 4. p. 120 ſic ſcripſit, videſ. Kuhnium in hunc auctorem p. 419.

2) conferri merentur, quae Beckius clariſſ. habet in libro germanico Welt- und Völkergeſch. Vol. 1. p. 233.

Quos numeros ſi unam in ſummam colligamus, 417 habebimus annos, Diodorus autem regibus & Prytanibus 447 tribuerat annos. *Weſſelingius* Diodorum ſibi ipſi conſentientem reddere ſtuduit, loco e Didymi Grammatico laudato, quo dicitur Aletem trigeſimo demum poſt Heraclidarum reditum anno regnum ſuum adeptum eſſe [1]).

Ingenioſa ſine dubio nodi ſolutio, quae omnes tollit difficultates, ſi cum Diodoro ſtatuamus, Troiam anno Juliano 3530 (Job. Fr. 2998) ante Chriſtum 1184 captam & Heraclidarum reditum in annum Julianum 3610 (Jobel. Frank. 3078) ante Chriſtum 1104 incidiſſe. Nam ſi annos 447 ſubtrahamus ab 1104, reſiduus erit annus Julianus 4057 qui eſt 657 ante Chriſtum, qui ab anno quo Cypſelus tyrannidem uſurpavit, non longe abit. At ſupra iam oſtendimus, Diodori de Troiani excidii tempore ideoque & eius de Heraclidarum reditu ſententiam, quam eandem & Apollodorus & Eratoſthenes defendunt, tolerari non poſſe. Quare haec non ſufficit *Weſſelingii* doctiſſimi ſolutio, neceſſarioque Aletiadum & Bacchiadum regna prolonganda, vel Prytanum annuorum e Bacchiadum gente numerus augendus eſt. Vidimus autem durationum ſingulorum horum regnorum iam ſatis longam eſſe, ut, niſi contra veritatem computare velimus, longiora ipſis regna tribuere non audeamus. Quare annos eorum quos Diodorus numeravit probamus, idque eo lubentius,

 quia

1) Weſſeling. ad Diod. Sic. loc. laud.

quia e loco ſupra laudato & e Pauſania [1]) clarum eſt, decem eorum generationes exſtitiſſe. Decem autem generationes habent annos 333, regnorum horum ſumma 327 efficit annos, differunt ergo vix ſexennium a generationum computatione.

Error ergo in Prytanum annuorum numero latere videtur. Diodorus Siculus [2]) eorum numerat nonaginta, Strabo [3]) contra ducentos. Cuinam horum calculum adiicimus noſtrum? Ad initium & finem Aletiadum atque Bacchiadum reſpiciendum eſt, quo utroque inveſtigato atque fixo, Cypſelique tyranni epocha definita, Prytanum annuorum numerum haud difficile inveniemus. In Epocha ergo Aletiadum atque Bacchiadum inveſtiganda incipiamus oportet.

Certum quidem nobis videtur Aleten anno poſt Heraclidarum reditum trigeſimo, h. e. Iuliano 3554 (Iob. Frank. 3022) ante Chriſtum 1160 Corinthi regnum eſſe adeptum. Δίδυμος δὲ φησὶ τὸν Ἀλήτην μὴ οἰκιστὴν τῆς Κορίνθου γεγονέναι, ἀλλὰ βασιλέα, ἔτει τριακοστῷ μετὰ τὴν τῶν Δωριέων ἄφιξιν. h. e. Didymus expreſſis inquit verbis, Aleten non conditorem exſtitiſſe Corinthi, ſed eius regem anno poſt Heraclidarum reditum trigeſimo fuiſſe [4]). Fatendum quidem eſt

1) Corinth. ſ. lib. 1. c. 4. p. 120.
2) Fragm. T. 2. p. 635.
3) lib. 8. p. 580. C.
4) Schol. Pindari ad Olymp. XIII. v. 17. p. 144. col. 2. lin. 7.

eſt, huius grammatici auctoritatem his in rebus parvi ponderis eſſe, ſed gravior reddi videtur eo, ſi factum hoc e ſcriptore vetuſtiore excerpſerit Didymus. Tamen haec nos non moviſſet cogitatio, eius in ſententiam ut iremus, niſi Conon quoque eius a partibus ſtare videretur, qui ſi non verbis expreſſis id narravit, eius tamen e narratione facile colligi poteſt. Auctor iſte librum ſuum ad Archilaum Philopatore Cappadociae regum ſcripſerat [1], qui Antonianus a partibus contra Octavianum ſtetit. Inde colligimus Cononem floruiſſe ante annum Julian. 4483 (Job. Fr. 2951) ante Chriſtum 31. Conon narravit [2], Aleten, poſtquam Corintho potitus erat, Siſyphidas & Jones expuliſſe, urbeque denuo habitatoribus inſtructo, regnoque ſuo firmato, Athenienſibus bellum intuliſſe. Hoc in bello Codrus pro ſalute patriae ſe devovit. Demonſtravimus ſupra de chronologia Athenienſium cap VIII. §. 3 & 4. Codri hanc devotionem factam eſſe anno Juliano 3582 (Job Frank. 3050) ante Chriſtum 1132. Aletes ergo ſi ſtatim poſt reditum Heraclidarum h. e. anno Juliano 3524 (Job. Fr. 2992) ante Chriſtum 1190 Corinthi regnum occupaſſet, quinquaginta octo annos regnans eo tempore fuiſſet, quo bellum hoc adverſus Athenienſes ſuſceperat, cum vero infra annos viginti quinque natus eſſe non potuerit, cum Corintho potiretur, tempore huius belli 83 annorum ſenex iam fuiſſet. At quis umquam ſene-

1) Photii Bibl. cod. 186. p. 424.
2) Idem ibid.

ſenectute tam decrepita in ambitioſas terrarum amplificationes cogitationes ſuas intendet? Quodſi vero cum Didymo ponamus, Aletem trigeſimo poſt Heraclidarum anno regem Corinthiorum factum, hoc eſt anno Juliano 3554 (Job. Fr. 3022) ante Chriſtum 1160, viginti octo eo tempore annos regnarat, tempus ſatis longum ad potentiam firmandam; quodſi porro ponamus, eum regni ſui initio viginti quinque annos natum fuiſſe, tempore belli adverſus Athenienſes ſuſcepti 53 vitae annum egiſſe videtur, quae ſatis adhuc vigens eſt aetas ad ambitioſa capienda conſilia regnique dilatationes ſomnianda.

Aletem igitur anno Juliano 3554, (Job. Fr. 3022) 1160 ante Chriſtum regno potitum eſſe ſtatuimus regnumque Corinthi apud eum poſterosque eius ex Diodori Siculi [1]) ſententia 327 annos manſit. Regiam ergo abolitam eſſe dignitatem colligimus anno Juliano 3881 (Job. Fr. 3349) ante Chriſtum 833. Regnum eo tempore in Ariſtocratiam converſum eſt, princeps civitatis, Prytanis appellatus, annuum geſſit magiſtratum. Inveſtigemus ergo Ariſtocratiae huius initium, annumque eius figamus oportet, alia enim nulla ratione durationem eius computare poterimus.

Veteres ad annum quod attinet, quo Cypſelus tyrannidem occupaverit, non conſentiunt. Mittimus autem varias eorum opiniones, ne in eas inquirere oporteat, quod quamquam laborem

---

1) Fragm. T. 2. p. 635.

rem exigeret haud facilem, qui plurimis noſtris lectoribus crearet faſtidium, nec tamen quidquam expediret. Nullam niſi Euſebianam 1) explicabimus ſententiam, cui temporum ſcrutatori celeberrimo ſi fidem tribuamus, Cypſelus anno trigeſimae Olympiadis primo, qui in Julianum 4054 (Job. Fr. 3522) ante Chriſtum 660 incidit, tyrannidem ſibi vindicavit. *Petavius* 2) & *Corſinius* 3) tyrannidis eius initium in annum tertium trigeſimae Olympiadis collocavere, Euſebium teſtem ſequuti, non enim obſervarant in Graeco Euſebii contexto tres ita collocatas eſſe epochas, ut ad tertium trigeſimae Olympiadis annum referantur, cum tamen Latina Euſebii translatio Hieronymiana Cypſeli epocham in primum huius Olympiadis annum retulerit. *Buherius* 4) initium illud in annum poſuit Julianum 4059 (Job Fr. 3527) ante Chriſtum 655, cuius eam ob cauſſam hoc loco tranſimus rationes, quia mox eas refutabimus.

Nos ſequentibus adducti argumentis Euſebianae ſententiae acceſſimus. Demaratus Bacchiadum unus, ut tyrannidem effugeret Cypſeli, in Italiam ſe contulit. Teſtatur autem Dionyſius Halicarnaſſeus 5), eum in Tyrrheniam ſive Etruriam ſe contuliſſe, ibique feminam illuſtri loco natam uxorem duxiſſe, ex eaque duos filios

---

1) Euſebii Chronic. lib. poſt. p. 121.
2) de Doctrina temp. lib. 13. p. 302.
3) Faſti Attici tom. 3. p. 48.
4) Recherches & Diſſert. ſur Herod. chap. XV. p. 169.
5) Antiq. Rom. lib. 3. §. 42 & 47. p. 176 & 177.

filios, quos ſecundum mores Graecorum & Tyrrheniorum educaverit. Filios hos ad maturitatem adultos cum illuſtribus feminis matrimonio iunxit. Maior horum, Aruns dictus, poſt breve tempus diem obiit, gravida relicta uxore. Demaratus ipſe poſt dies aliquot vitam propter moerorem depoſuit, magnasque ſuas facultates & pecunias Lucumoni reliquit. Qui cum in petitionibus ſummorum magiſtratuum repulſam tuliſſet, ſe poſthabitum a Tarquiniis indigne ferens, Romam migravit, & Romanorum tunc regis Anci Marcii favorem amicitiamque ſibi paravit, quo rege mortuo rex ipſe Romanorum creatus eſt anno ſecundo quadrageſimae primae Olympiadis, qui in annum Julianum 4099 (Job. Fr. 3567) ante Chriſtum 615 incidit. Anno aetatis vigeſimo quinto Romam pervenerat [1]), cum Anco Marcio ſeptemdecim annos vixerat, annum igitur agebat aetatis quadrageſimum ſecundum, cum regnum Romanum ſuſciperet. Natus igitur erat anno Juliano 4057, (Job. Fr. 3525) ante Chriſt. 657. Aruns frater eius maior anno lucem adſpexerat praecedente Juliano 4056 (Job. Fr. 3524) ante Chriſtum 658 uxoremque duxerat Demaratus anno Juliano 4055 (Job. Fr. 3523) ante Chriſtum 659. Trium quatuorve annorum ſpatium impendere ad minimum oportuit Demaratum, ad fortunas ſuas colligendas, has in Tyrrheniam transportandas, ibique ſedes ſuas figendas. Quare Cypſelum ty-

1) Dionyſ. Hal. Ant. Rom. lib. 4. §. 6. p. 203. lin. 15 &c.

tyrannidem occupaſſe putamus anno Juliano 4051 (Job. Fr. 3519 ante Chriſtum 663. Prytanumque annorum magiſtratus, ſi recte coniecimus, 170 annorum durationem habuit.

Verum quidem eſt, quod & nos ſupra monuimus, in Diodori illo loco laudato nonaginta tantum numerari Prytanes annuos. Sed fragmentum hoc nullibi niſi apud Syncellum exſtat, qui multis in locis a librariis corruptus eſt, quare & hoc in loco mendum librarii admiſſum eſſe poteſt. Quodſi vero integrum conſervatum eſſe hunc Diodori locum putemus, huius auctoris de Troiano excidio & Heraclidarum reditu ſententia eum commoviſſe potuit, ut de magiſtratibus Prytanum tempus aliquod detraheret. Certum eſt enim Strabonem [1]) numeraſſe ducentos, rationesque in aperto. Credidiſſe videtur Geographus, Aletem ſtatim poſt Heraclidarum reditum regem Corinthiorum factum eſſe. Regnum autem Corinthiorum 327 annos duraſſe manifeſtum erat. Diodori fragmentum & a Pauſania numeratae generationes regiae gentis denae dubium nullum relinquunt. Abolitum id igitur eſt, huius ſcriptoris ex opinione, anno Juliano 3851 (Job. Fr. 3319) ante Chriſtum 863. Tyrannidis Cypſeli initium anno Juliano 4051 (Job. Fr. 3519) ante Chriſtum 663 nec minus certum ipſi viſum, idque cum Demarati exilio arctiſſime fuit iunctum; eiusque profunda Romanarum rerum cognitio nullum ipſi hac de re dubium permiſit. Secundum

1) lib. 8. p. 580. C.

dum igitur eius opinionem ariſtocratia Corinthi 200 annorum fuerat.

Contenti quidem forent lectores vulgares, ſi cognoſcant Cypſelum hoc vel illo anno ſuſtuliſſe ariſtocratiam, ſed alii cauſſas ſcire cupient, quae talem reipublicae revolutionem adducere & adiuvare potuerint. Reges imperio privari poſſe facile intelligimus, namque Teleſtes infans patrem amiſerat, nec difficile fuerat, patruo eius Agemoni, cuius tutelae traditus erat rex infans, regnum eius ſibi ipſi vindicare. Talia ſaepius tentata ſunt facinora. Alexander Agemonis huius filius patri ſucceſſit, ſed Teleſtes e latebris ſuis rediens uſurpatorem interfecit, idem a cognatis Alexandri necem vindicare volentibus, vita privatus eſt, & qui in regno ſucceſſit Automenes annum tantum regnavit, vel enim occiſus vel expulſus eſt. Bacchiadum a Bacchide, quinto Corinthiorum rege, donominatorum gens iunior Heraclidarum numeroſa eo tempore fuit, in pluresque familias ſine dubio diviſa. Bacchiades ob Agemonem interfectum irati, unusquisque regnum ſibi nativitatis iure deberi putans, id alii invidebat, ideoque facillime induci potuere ad conſpirationem de regio imperio tollendo ineundam, idque conſilium exſequuti ſunt antea quam a rege vel cognoſci potuerat, vel etiam rege, ſi res ipſi delata fuerit, invito. Hoc minime nobis mirandum videtur. At familiam tam numeroſam, cuius in poteſtate magiſtratus & honores in civitate erant omnes, quos nemini niſi e ſuis uni committebant, quae poteſtatis ſuae ambitioſiſſima erat, auctoritatemque

que ſibi vindicatam ſtudioſiſſime ſervare ſtudebat, qui Prytaniam annuam tantum conſtituerat, hanc inquam gentem a ſumma deiectam poteſtate, e civitate eam prorſus eiectam eſſe; hoc profecto mirum videri poteſt. Res omnis in obſcuro poſita eſſet, niſi Thucydides nobis factum tradidiſſet, quod tenebris his lucem quandam inferre poterit. Retulit [1]) nempe Corinthios inter & Corcyraeos navalem pugnam cruentiſſimam pugnatam. Cauſſam, quae bellum hoc accenderit, ideo nunc non inveſtigamus, quia mox in eam inquirendum nobis eſt. Id modo monemus, ariſtocratiam eſſe duriſſimum reipublicae genus, nec ullibi magis quam in ariſtocratia poteſtate ſua abuti ſolere nobiles ad plebem, eosque qui ſuis partibus adverſantur, opprimendos, quare Bacchiades populo inviſos fuiſſe mirum non eſt. Erat autem eo tempore alia Corinthi gens valida, quae a Mela, Antaſi filio, ducebat originem. Melas illuſtri fuit loco natus Aletenque in Corinthi adiuverat occupatione [2]), quare ſedem ſuam hac in urbe fixit, eiusque poſteri magno ibi in honore vixerunt. Gentes iſtae duae ſe invicem poteſtate ſumma privare tentarunt, atque expellere. Quamdiu reges gubernacula tenebant Corinthi, res eorum in aequo manſit, coacti, ambitionem utrique ſuam ſupprimere. Sed regno a Bacchiadibus abolito ſummaque apud hos poteſtate

1) lib. 1. c. 13.
2) Pauſan. Corinth. ſ. lib. 2. cap. 4. p. 120.

teſtate poſita, perfacile his fuit Melanides opprimere, qui tamen plebi aſſentantes eamque prenſantes deleri ab illis plane non poterant, ſed potius dignitatem haud parvam in republica retinuerunt. Eetion etiam Cypſeli pater, Melanides, Amphionis Bacchiadae duxit filiam uxorem. Sed ſuppreſſa, minime vero extincta, Bacchiadum invidia oraculo reſuſcitata eſt, quo ipſis everſio, Cypſelo vero recens nato magnitudo portendebatur illuſtris, quare infantem hunc occidendum ſibi propoſuerunt. At decepit eos atroxque eorum conſilium Cypſeli matris prudentia. Cypſelus, poſtquam ex ephebis egreſſus erat, vindictae quaeſivit occaſionem, eamque in navali illa, de qua diximus, pugna invenit. Vires Bacchiadum hac pugna cruenta fractae Cypſelus ergo uſus eſt hac clade, ut cum iis, quibus inviſa erat ariſtocratia, ſe coniungeret, hisque ſuas in partes tractis occaſionem ad exſequenda ſua conſilia feliciſſimam vir prudentiſſimus arripuit. Fortaſſis & plebs ſuis a partibus ſtetit ab uno domino maiorem exſpectans benignitatem & gratiam, quam a ducentis. Haec ſi non omnino vera, tamen vero ſimillima videntur.

Sed ad Cypſelum revertamur. Annus, quo tyrannidem ſibi vindicavit, e Demarati exilio voluntari huiusque annus e Lucumonis regni Romani initio eiusque eo tempore aetate colligi poteſt. Herodotus [1]) Cypſelo tribuit regnum 30 annorum, Periander igitur ipſi ſucceſſit anno

1) lib. 5. c. 92.

anno Juliano 4081 (Job. Fr. 3549) ante Chriſtum 633. Reſtat igitur Periandri huius regni duratio determinanda, & quaeramus oportet, num, quae de vita tyranni huius narrantur, poſteriora ſint anno Juliano 4081. Recenſebimus ergo, quae Herodotus tradidit de Periandro nulla temporum habita ratione.

Primum igitur, quod apud Herodotum occurrit ad Periandrum pertinens, eſt conſilium Thraſybulo Mileti tyranno datum. Mileſii [1]) eo tempore bellum adverſus Lydos gerebant. Bellum illud a Sadyatte, Lydorum rege, ſexto antequam obiret anno coeptum erat. Alyettes filius eius id alios ſex annos continuavit. Qui cum duodecimo huius belli anno ineunte in morbum incideret, oraculum conſuluit, reſponſumque eſt, priusquam Minervae Aſſeſiae templum a ſuis combuſtum non eſſet reſtitutum, regem non fore valiturum. Alyattes ergo inducias cum Mileſiis facere ſtuduit, usque dum templum illud combuſtum reſtauraretur. Periander Thraſybulum hoc de oraculo, deque induciis, quas petiturus foret Alyattes, fecit certiorem. Thraſybulus ergo magnas frumenti copias in foro coacervandas curavit, Mileſiosque, ut legato Lydo adveniente epulis & laetitiae ſe darent, iuſſit. Allyattes Miletum ad extrema iam redactam putarat, nunc a legato redeunte certior factus, omnium rerum copiam atque abundantiam Mileti eſſe, cum Thraſybulo pacem facere decrevit. Accidit hoc ſexto regis Alyattis



1) Herod. lib. 1. c. 18. 19 &c.

tis anno Juliano 4104 (Job. Fr. 3572) ante Chriſtum 610, nam Alyattes Sadyatten ſequutus erat anno Juliano 4098 (Job. Fr. 3566) ante Chriſtum 616, quod ſupra de Lydorum regibus capite demonſtratum eſt. Periander ergo eo tempore regnarat annos viginti tres.

Alterum, quod Herodotus tradit ad Periandrum hunc pertinens eſt Arionis hiſtoria [1]) Dithyrambicus iſte celebris poeta, Periandri vivens in aula, conſilium cepit Siciliam atque Italiam viſendi. Magnas ibi facultates collegit, cum his retro in patriam navigare volens Corinthiam aſcendit navem revertentem. Nautae, divitiarum Arionis cupidi, eum interficiendum ſtatuerunt. Sed decepit eos Arion in mare proſiliens, & quoquo id factum ſit modo, Corinthum rediit ſalvus, antequam navis ille portum intrare poterat. Periander eo tempore regnabat. Solinus [2]) id Olympiade 29 accidiſſe refert, at eo tempore Periander non modo nondum regnavit, ſed ne genitus quidem iam fuit, Cypſelique regni initium in ſecundum huius Olympiadis annum incidit. Refutavit Solinum Salmaſius, ad quem lectores quibus intereſt ablegamus. Euſebius [3]) Arionem anno ſecundo Olympiadis quadrageſimae floruiſſe contendit, qui eſt Julianus 4 95 (Job. Fr 3561) ante Chriſtum 619 & Suidas in 38 Olympiadem eum collocavit. Nullus horum annorum Periandri regni initio adverſarius eſt.

Ter-

1) Herod. lib. 1. c. 24 &c.
2) Polyhiſt. c. 7.
3) Chronic. lib. poſt. p. 123.

Tertium hoc eſt, quod apud Herodotum [1]) de Periandro legitur, eum pueros trecentos Corcyraeos Alyatti Lydorum regi, miſiſſe exſecandos: Lycophronem filium Periander in inſulam Corcyram relegarat [2]), quem ſenex, & ad gubernacula reipublicae tenenda minus validus retro ad ſe acceſſivit. Corcyraei, Periandri dominationem indigne ferentes, iuvenem interfecerunt, quo facinore incenſus tyrannus pueros nobiliſſimos trecentos capi iuſſit, quos ad Lydum Alyatten miſit exſecandos. Quo tempore hoc acciderit, iam inveſtigemus.

Bellum ab Hegeſiſtrato, Piſiſtrati filio adverſus Mitylenaeos geſtum Periandro interceſſore compoſitum eſt [3]). Suſceptum id paucis ante Piſiſtrati primam tyrannidem annis fuerat. Quae cum incidat in annum Julianum 4154 (Job. Fr. 3622) ante Chriſtum 560, bellum illud circa annum Julianum 4150 (Job. Fr. 3618) ante Chriſtum 564 geſtum eſſe putamus, eoque tempore Periander iam ſenex fuiſſe videtur, quem, cum nulla eius a ſcriptoribus poſtea mentio facta eſt, brevi poſt hanc pacem Mitylenaeis reſtitutam, diem obiiſſe ſuſpicamur. Obitum igitur Periandri in annum proxime ſequentum collocare placuit. Haud multo ante obitum, uti mox monuimus, Lycophronem filium retro arceſſierat, id anno Juliano 4148 Job. Fr. 3616) ante Chriſtum 566 factum videtur, eoque

 ipſo

1) lib. 3. c. 48.
2) Ibid. c. 53.
3) Idem lib. 5. c. 94 & 95.

ipſo anno interemtus eſt Lycophron. Periander filii nece incenſus, Corcyraeos bello aggreſſus, devicit, ſuamque ſub poteſtatem inſulam redegit. Hoc in bello, ſi Thucydidis interpreti veteri fides habenda eſt [1]), pugna illa cruentiſſima Corcyraeos inter & Corinthios accidit, cuius mentionem fecit Thucydides [2]. Haec & *Buberii* fuit ſententia [3]), ſed apud Thucydidem plane nihil occurrit, ex quo colligi hoc poſſet, nec annus ab eo additus cum Periandri vitae tempore conciliari poteſt, quare *Buberius* eam, nulla niſi ſua ipſius auctoritate emendandam duxit. Nobis contra perſuaſum eſt, proelium illud longe ante Periandrum natum commiſſum eſſe, nec ullum cum atrociſſima Corcyraeorum erga eum iniuria habere nexum. Condita dicitur Corcyra a Corinthiorum exſulibus [4]), quorum ira in patriam non exſtincta eſt. Non igitur mirandum eſt, Corcyraeos, ſimulac virium ſatis habere videbantur ad tale quid audendum, iram ſuam atque inimicum erga Corinthios animum oſtendiſſe. Corcyra autem fundata dicitur [5]) anno Juliano 3958 (Jul. Fr. 3426) ante Chriſtum 756 & proelium illud, referente Thucydide [6]) anno Juliano 4050 (Jul. Fr. 3518) ante Chriſtum 664 ideoque 92 poſt in-

1) ad lib. 1. c. 13.
2) lib. 1. c. 13.
3) Recherch. & Diſſert. ſur Herod. c. 15. p. 167.
4) Timaeus apud Schol. Apollonii Rhod. lib. IV. c. 1216.
5) videſ. c. XIV. ſect. 2. §. 4.
6) lib. 1. c. 13.

inſulam fundatam anno commiſſum eſt. Veteris interpretis nimis infirma eſt auctoritas, ut de graviſſimi hiſtorici fide detrahere quidquam poſſit.

Periander, poſtquam devicerat Corcyraeos, Alyatti Lydo trecentos miſit pueros Corcyraeorum illuſtres exſecandos. Suſpicamur factum hoc eſſe anno ſtatim poſt filium interemtum. Alyattes in vivis adhuc erat, quippe qui mortuus eſt anno Juliano 4155 (Job. Frank. 3623 ante Chriſtum 559 [1]. Lycophron autem periit aetate florente & ad regnandum iam apta: quare infra annos 26 vel 27 natus eſſe non potuit, natus ergo videtur, circiter anno Juliano 4121 Job. Frank. 3590) ante Chriſtum 593. Apud Herodotum rationes, quibus permotus Periander, filium Corcyram in exilium miſit, ſi legamus, inde hunc quatuordecim vel quindecim eo tempore annos habuiſſe colligimus. Exilium igitur eius in annum Julianum 4139 (Job. Frank. 3607 ante Chriſtum 575 incideret.

Corcyraeorum ad Alyatten miſſi pueri in inſula Samo appulerunt. Samii, fortunam eorum miſerantes, eos liberarunt. Corinthii irati una cum Lacedaemoniis adverſus Polycratum Samiorum tyrannum proxima generatione [2] expeditionem ſuſceperunt. Convenit hoc optime cum iis, quae de puerorum Corcyraeorum ad Alyatten miſſione diximus, miſſis enim his ad Lydium regem anno Juliano 4149 (Job. Fr. 3617)



---

1) videſ. cad. VII. de regibus Lydiis.
2) Herod. lib. 3. c. 48.

3617) ante Chriſt. 565, Lacedaemoniorum & Corinthiorum adverſus Samios expeditio in annum circiter Julianum 4183 (Job. Fr. 3651) ante Chriſt. 531 incidit. Suſcepta autem fuit haec expeditio, ut ad locum Herodoti laudatum obſervavit *Larcherius*, ſex annis ſerius, nempe Juliano 4189 (Job. Frank 3657) ante Chriſtum 525, ſed Herodotus negligere potuit iſtud ſexennium, cui ſecundum generationes computationem inſtituenti, id minimi momenti viſum eſt.

Poſſent quidem contra hanc diſputationem noſtram de Cypſeli & Periandri regnorum annis dubia quaedam obiici, cum Ariſtoteles[1]) Cypſelidas inquiat 77 annos dominatos eſſe. Sed his a *Buherio* ſatis refutatis, lectores & caput XV. Diſſertationum atque Quaeſtionum eius Herodotearum ablegare poſſumus. Argumentis tamen viri doctiſſimi & hoc addimus, Ariſtoteleum contextum minime integrum ad nos perveniſſe, quare locus iſte Summi Philoſophi noſtra non poteſt infringere argumenta. Legimus namque primo, Cypſelidas tyrannidem tenuiſſe 73 annos & dimidium, & deinde iterum Cypſelo 30, Periandro 44, & Pſammeticho tres tribuuntur anni, qui 77 efficiunt annos, minimeque cum ante dictis conſentiunt, quare vel ſingulos numeros, vel eorum ſummam corruptam eſſe iudicamus. Idem quoque mendum ineſt in principe huius auctoris editione Aldina.

Cap.

---

1) Polit. lib. 5. c. 12. p. 411.

# Caput XVII.

## De Aeſopo.

Meminit mythographi huius celeberrimi mortis Herodotus in Muſa ſecunda, quare nobis intereſt, annum eius inveſtigare atque figere, idque eo magis, quia veteres aeque ac recentiores chronologi eum vel erronee vel minus accurate indicarunt. His ex erroribus vel negligentiis novi ſunt exorti errores, quos, niſi abſurda proponere, vel claros auctorum locos in dubium vocare volumus, evitare non potuimus.

Deficientibus omnibus monumentis vetuſtis, annum, quo natus eſt Aeſopus, inveſtigare nemo poterit umquam. Patet tantum e Suida *), eum Olympiade quadrageſima floruiſſe, h. e. circa annum Julianum 4094 (Job. Fr. 3562) ante Chriſtum 620. Secundum eundem hunc ſcriptorem Olympiade quinquageſima quarta, & ſecundum Euſebium primo eius anno de rupe Phaedriade deiectus eſt. Euſebius ſine dubio erravit. Piſiſtratus eo tempore tyrannidem nondum occuparat, cuius Aeſopus tyrannidis initium adhuc vidit, namque ipſi occaſionem dedit eam fabulam narrandi, quam Phaedrus in ſecunda libri primi fabula imitatus eſt:

„Athenae cum florerent aequis legibus
„Procax libertas civitatem miſcuit,



---

*) ſ. v. Αἴσωπος.

„Frenumque ſolvit priſtinum licentia.
„Hinc conſpiratis factionum partibus,
„Arcem tyrannus occupat Piſiſtratus
„Cum triſtem ſervitutem flerent Attici,
„ - - - - - - - - - - - - - -
„Aeſopus talem tum fabellam retulit.

Piſiſtratum Comia Archonte tyrannidem uſurpaſſe ſupra oſtendimus, h. e. Anno Attico 297, ſeptimo menſe anni quarti Olympiadis 54, primo menſe anni Juliani 4154 (Job. Fr. 3622) ante Chriſtum 560. Aeſopus, qui tyrannidis Piſiſtrati vidit initium, uti fabula Phaedri laudata teſtatur, & ſecundum Suidam Olympiade 54. de rupe Phaedriade deiectus fuit, neceſſario menſe vel undecimo vel duodecimo anni quarti Olympiadis 54 menſe quinto vel ſexto anni Juliani 4154 (Job. Fr. 3622) ante Chriſtum 560[1]) periit.

Piſiſtrati tyrannidis initium cum certiſſimum ſit, ea, quae Phaedrus & Suidas de Aeſopo narrarunt facile poterunt conciliari. Quare quae *Corſinius*, qui de faſtis Atticis eruditiſſime ſcripſit, commentus eſt, negligere poſſumus. Aeſopus, inquit[2] vir doctus, Piſiſtrati machinationes diu iam perſpexerat, antequam exſequi potuerant, eaque is occaſione fabulam hanc ad Athenienſes ſcripſerat. Verſus enim: *ar em tyrannus occupat Piſiſtratus*, oſtendit apertiſſime, Piſiſtra-

1) conf. Beckii Welt- und Völckergeſch. T. I. p. 264.
2) Faſti Attici T. 3. p. 93.

Piſiſtratum tyrannidem ſibi iam vindicaſſe & qui ſequuntur: *Cum triſtem ſervitutem flerent Attici Aeſopus talem tum fabellam retulit*, nec minus clare demonſtrans, mythographum eo tempore in vivis adhuc extitiſſe.

## Cap. XVIII.

### *De Piſiſtrato & Piſiſtratidis.*

Refert expreſſis verbis Plutarchus [1]) in fine vitae Solonis, Piſiſtratum Archonte Comia tyrannidem ſibi vindicaſſe. Conſentiunt cum eo Marmora Paria, adduntque factum hoc eſſe anno Attico 297. *Petavius* igitur tyrannidis Piſiſtrati initium in annum primum Olympiadis 55, Julianum 4154 (Job. Fr. 3622) ante Chriſtum 560 collocavit, veſtigiisque doctiſſimi chronologi *Corſinius* [2]) ingreſſus eſt. *Buherius* Comiam neglexit Archontem, a Plutarcho & in Marmoribus Pariis nominatum, & annum in poſterioribus adſcriptum ſolum ante oculos habuit [3]); ideoque tyrannidem a Piſiſtrato occupatam anno Juliano 4153 (Job. Frank. 3621) ante Chriſt. 561 voluit, h. e. anno prius quam *Petavius* & *Corſinius* voluerant. Additis enim 297 ad 264, qui

---

1) Vit. parall. p. 97. A.
2) Faſt. Attic. T. 3. p. 94 ſq.
3) Recherch. & Diſſert. ſur Herod. c. 14. p. 53 ſq.

qui eſt terminus, ad quem Parius chronographus omnes ſuas reduxit epochas, annum habemus Julianum 4153 (Job. Fr. 4621) ante Chriſtum 561.

Sed errarunt viri doctiſſimi omnes, non animadvertentes, Metonis Enneadecaëteridem nondum uſitatam fuiſſe. Ante hanc inſtitutam vulgaris Atticorum annus Olympiacum ſemper ſemeſtri ſpatio praeceſſit. Comias igitur Archon fuit poſteriore ſemeſtri anni quarti Olympiadis 54 & primo ſemeſtri antiſequentis primi Olympiadis 55. Piſiſtratus tyrannidem ſibi vindicavit menſe ſeptimo anni quarti Olympiadis 54 ſive primo menſe anni Juliani 4154 (Job. Fr. 3622) ante Chriſtum 560, eoque ipſo menſe magiſtratum ſuum Comias inierat. Parius ergo chronographus haud ſatis accurate in annum Atticum 297 epocham hanc collocavit, hac ratione ad errorem deceptus. Scripſit is anno ante Chriſtum 264, & ante hunc annum 168 Metonis cyclus receptus fuerat. Suo igitur tempore anno Attico vulgari cum Olympiaco conveniente, ſcriptores, quamquam antiquitus ſecus ſe habuerat, tamen ſi de rebus ante Metonis cyclum receptum ſcriberent, annos ita numerare ſolebant, uti poſt Metonem uſus erat, annosque vulgares & Olympicos uno eodemque tempore incipiebant. Nec miranda eſt haec conſuetudo, quae & apud recentiores invenitur hiſtoricos, errorumque ſatis magnorum cauſſa atque origo ſaepius fuit. Notum erat Chronographo Pario, Piſiſtratum initio magiſtratus Comiae Archontis tyrannidem uſurpaſſe, Comiaeque magiſtratum in poſterius ſemeſtre

anni quarti Olympiadis 54 incidiſſe, is igitur epocham hanc in eum aerae Atticae annum collocavit, qui in prius etiam anni quarti Olympici ſemeſtre coincidebat, & hic eſt fons erroris *Buberii.* *Petavius* quidem & *Corſinius* uſurpationem dominationis Piſiſtrati iure ſub archonte Comia in annum Julianum 4154 (Job. Fr. 3622) ante Chriſtum 560 poſuerunt, Januario enim huius anni menſe tyrannidis potitus eſt, ſed in eo errarunt, quod uſurpationem hanc in annum primum Olympiadis 55 poſuere. Magiſtratus quidem ille in Olympiadis quoque huius initium extenditur; ſed Piſiſtrato, ſecundum Marmora Paria, anno Attico 297. Comia Archonte, tyrannidis potito, eius dominationis initium neceſſario in ſeptimum menſem anni quarti Olympiadis 54 incidit, cui primus menſis anni Juliani 4154 (Job. Fr. 3622) ante Chriſtum 560 reſpondet [1]).

Scimus Piſiſtratum bis expulſum, tyrannidem bis recepiſſe eamque poſtremam poſt recuperationem ad obitum usque ſuum retinuiſſe. Horum revolutionum anni oſtendendi ſunt. Ariſtoteles [2]) inter dominationis eius initium, inquit, eiusque obitum 33 elapſi ſunt anni. Obiit igitur circa annum 4186 Julianum (Job. Fr. 3654 ante Chriſtum 528. Idem tradidit Ariſtoteles, eum ex his annis 33, per annos tantum 17 tyrannidem exercuiſſe. Hos ita redigimus

---

1) conf. Beckii Welt-und Völkergeſch. Tom. I. p. 246.

2) lib. 5. c. 12. de republ. p. 411.

mus annos. Tyrannidem ſibi vindicavit anno Juliano 4154 (Job. Fr. 3622) ante Chriſtum 560. Auctoritate atque poteſtate ſua nondum ſatis firmata eiectus eſt anno ſequente, poſt unius tantum anni tyrannidem. Quinquennio poſt, anno Juliano 4160 (Job. Frank. 3628) ante Chriſtum 554, arte Megaclis, cuius filiam duxerat, reſtitutus eſt. Uxore vero hac ſua tali iniuria affecta, quam ignoſcere nunquam femina ſolet[1]) marito, a Megacle iterum eſt pulſus. Eiectio haec eius altera brevi poſt reſtitutionem facta eſſe oportuit, quia ſtatim poſt uxorem ductam hac atroci eam affecerat iniuria, & Megacles vindictam tamdiu tantum diſtulit, quam opus ipſi erat ad alios ſuas in partes alliciendos. Exilium igitur hoc ſecundum in annum proxime ſequentem collocamus, h. e. in annum Julianum 4161 (Job. Frank. 3629) ante Chriſtum 553. Piſiſtratus tyrannidis avidiſſimus eam vel quocunque modo recuperare ſtuduit, extra Atticam amicos ſibi conciliavit, milites conduxit, & poſt victoriam ab Athenienſibus deportatam, tyrannus denuo conſtitutus eſt. Herodotus expreſſis verbis tradidit[2]), hoc initio anni undecimi poſt ſecundum eius exilium accidiſſe, διὰ ἑνδεκάτου ἔτεος, tyrannidem igitur reſtauravit Piſiſtratus initio anni Juliani 4172 (Job. Fr. 3640) ante Chriſtum 542, eamque ad obitum usque ſuum circa finem anni Juliani 4186 (Job. Fr. 3654) ante Chriſtum 528 retinuit, ex quo

1) Herod. lib. 1. c. 61.
2) lib. 1. c. 62.

quo poſtremam hanc eius dominationem 15 annos, utramque priorem unum annum duraſſe, vidimus. Piſiſtratus ergo ſecundum Herodotum & Ariſtotelem 17 annos tyrannus, 16 exul fuit.[1]).

Quamdiu tyrannidem uſurparit Hipparchus, proximus Piſiſtrati ſucceſſor, difficile dictu eſt. Secundum Ariſtotelem [2]) Piſiſtratidae omnes dominati ſunt annis 35 & Piſiſtratus quidem ternis vicibus annos 17. Hipparchus & Hippias ſimul 18. Herodotus [3]) contra longe vetuſtior Ariſtotele, Piſiſtratidas 36 annos tyrannidem exercuiſſe tradidit. Erravit quidem alter eorum, ſed conciliari tamen poſſe videntur. Quodſi enim Piſiſtratum e primo exilio reverſum putamus anno nondum elapſo, dominatus erit annos 17 & praetera menſes aliquot. Herodotus ergo ſciens, eum duodevigeſimum tyrannidis annum iam inchoaſſe, ut numerum rotundum haberet, integros duodeviginti annos ipſi adſcripſerit. Philoſophus contra, quamquam & ipſi hoc incognitum non erat, duo, treſve menſes illos neglexerit, qui 17 tyrannidis annum excederent. Certum ſine dubio hoc eſt, tyrannum hunc circa finem anni Juliani 4186 (Job. Fr 3654) ante Chriſtum 528, menſe ſexto anni quarti Olympiadis 63 exeunte deceſſiſſe, Hipparchumque patri mortuo ſtatim tyrannum ſucceſſiſſe. Hunc tamen poſtea Ariſtogiton & Harmodius interfecerunt.

---

1) conf. Beckius l. 1. p. 247.
2) de rep. lib. 5. c. 12. p. 411. C.
3) lib. 5. c. 65.

cerunt [1]). Hippias frater & ſucceſſor ob ſeveritatem dominationis ſuae Athenienſibus odioſus, & anno tyrannidis ſuae quarto eiectus eſt. Quodſi fratres duo ſecundum Herodotum & Ariſtotelem [2]) tyrannidem per 18 annos tenuerunt, 14 Hipparcho tribuendi ſunt. Interemtio igitur huius anno Juliano 4200 (Job. Frank. 3668) ante Chriſtum 514 annoque tertio Olympiadis 66 facta Hippiasque in exilium actus anno Juliano 4204 (Job. Frank 3672) ante Chriſtum 510 annoque tertio Olympiadis 67 videtur.

Plato [3]) tres tantum Hippiae tribuit annos. Sed Thucydides [4]) eum anno quarto in exilium profectum ſcripſit, h. e. tres integros annos dominatus eſt, quartum autem inchoarat. Herodotus ipſe, ut numerum haberet rotundum, quatuor tribuit annos. Superioribus & haec e Thucydide poſſunt adiici, quod Hippiam vigeſimo poſt exilium anno rediiſſe, & in pugna Marathonia adfuiſſe tradidit [5]). Accidit autem haec pugna anno Juliano 4224 (Job. Fr. 3692) ante Chriſtum 490, anno tertio Olympiadis 72. Hippias ergo anno Juliano 4204 (Job. Fr. 3672) ante

1) Herod. lib. 5. c. 55 & Calliſtrati Scolion, de quo conferendus Cludius in Bibliotheca litterturae & artis veteris Goettingenſi Particula I. p. 57.
2) Herod. ibid. Ariſt. loco ſuperius laud.
3) In Hipparcho tom. 2. p. 229. B.
4) lib. 6. c. 59.
5) Idem ibid.

ante Chriſtum eiectus eſt. Idem alio loco [1]) ſcripſit, tyrannum hunc ante dominationem quadringentorum anno centeſimo expulſum. Quadringenti viri circa finem anni Juliani 4303 (Jobelei Frank 3771) ante Chriſtum 411 anno 3 Olympiadis 92 rempublicam ceperunt, & poſt menſes aliquot anno Juliano 4304 Jobeleo Frank) 3772 ante Chriſtum 410, anno 3 Olympiadis 92 eiecti ſunt. Hippiae igitur exilium in annum Julianum 4204 (Jobeleum Frank 3672) ante Chriſtum 410 ponendum eſt.

# Caput XIX.

## *De Pythagora.*

Longum foret *Dodwelli Bentleji* aliorumque virorum doctorum de Pythagora ſententias recenſere, easque ſub examen vocare. Eratoſthenis nobis ſententia amplectenda videtur, qui Pythagoram narravit [2]), cum pugnam cum pueris inire vellet, Olympiade 48, ab Agonothetis reprobatum ad viros ſtatim tranſiiſſe, adverſariosque omnes deviciſſe. Eadem apud

1) lib. 8. c. 68.

2) ap. Diogen. Laert. in Pythag. lib. 8. ſegm. 47 p. 525.

apud Euſebium [1]) legimus. Annus autem, quo leges permittebant viris ſe miſcere, ſecundum Harpocrationem [2]) fuit vigeſimus. Pythagoras igitur nondum viginti, nec tamen infra vndeviginti annos natus erat, nam ſi viginti iam habuiſſet, annos in puerorum pugnam ſe miſcere non debuiſſet, nec ſi nondum annos natus fuiſſet undeviginti, ſatis virium habuiſſet ad pugnam virorum tentandam. Hinc ergo natum eum anno primo Olympiadis 43 colligimus. Antilochus [3]) quoque hanc ſententiam defendere poteſt. Scripſerat is de omnibus viris doctis a Pythagorae florente aetate ad Epicuri mortem, qui decimo Gamelionis die obiit, quod temporis ſpatium 312 annorum eſt. Epicurus, teſte Diogene Laertio [4]), anno Juliano 4442 Jobeleo Frank 3910) ante Chriſtum 272 mortuus eſt, ideoque ſecundo Olympiadis 127 anno, cum annum ageret 72. Eadem eſt Ciceronis [5]) ſententia. *Morietur*, inquit, *Epicurus cum duo & ſeptuaginta annos vixerit, Archonte Pythorato.* Ab anno 4442, quo mortuus dicitur Epicurus, ſubductis annis 312, qui ſecundum Antilochum a Pythagorae virili aetae ad Epicurum mortuum praeterierunt, invenietur annus

1) Olympionic. p. 40.
2) ſ. v. ἐπιδιετὲς ἡβῆσαι p. 67.
3) ap. Clement. Alex. Strom. lib. I. p. 366. lin. 8.
4) Diogen. Laert. lib. 10. ſegm. 15. conf. not. Menagii.
5) de fato c. 9.

annus Julianus 4130 (Jobeleus Frank 3598) ante Chriſtum 584, qui eſt 49 Olympiadis primus. Hoc anno Pythagoras iuſtus vir adoleſcens fuit, ideoque annum aetatis circiter vigeſimum quintum egit, quod cum Eratoſthenea bene convenit ſententia, qui Pythagoram anno Juliano 4106 (Jobeleo Frank 3574) ante Chriſtum 608 lucem adſpexiſſe ſcripſit.

Diviſae quamquam ſint ſententiae veterum de Philoſophi huius celeberrimi aetate, quas *Buginius* [1]) omnes collegit, id tamen certum videtur, mortuum eum eſſe tempore coniurationis Cylonianae aduerſus Pythagoraeos [2]). Exorta autem coniuratio illa eſt brevi tempore poſt Sybarin a Crotoniatis [3]) deletam, ideoque circa annum Julianum 4204, (Jobeleum Frank 3672) ante Chriſtum 510, quo tempore Pythagoras ſenex 98 annorum fuit. Patet hoc ex Jamblicho [4]), qui eum centeſimum paene annum attigiſſe, ſimulque e Tzetza [5]), qui nonageſimo nono eum anno deceſſiſſe tradidit.

Quodſi autem Pythogarae in annum primum Olympiadis 43, uti demonſtraſſe nos putamus, inciderit nativitas, Numam diſcipulum habuiſſe



7) Handbuch der allg. Litteraturgeſchichte. Zürich 1789. I Vol. p. 140 &c.
2) Jamblich. Vit. Pythag. c. 35. p. 200.
3) Idem ibid. p. 205.
4) ibid. c. 36. p. 215.
5) Chiliad. XI. 366.

habuiſſe philoſophos nequit, qui Romanorum rex creatus eſt anno Juliano 4000 (Jobeleo Frank 3468) ante Chriſtum 714, cuius ergo regni initium in annum centeſimum ſextum ante Pythagoram natum incidit.

Pluribus hoc de Philoſopho aeque ſingulari ac celeberimo, eiusque doctrina & familia diſputavit *Meinerſius* noſter in libro doctiſſimo, quem Germanico idiomatė, de origine, progreſſu, & fatis litterarum apud Graecos & Romanos ſcripſit, quem qui plura de Pythagora cognoſcere cupiunt non ſine fructu uberrimo evolvent.

Canon

# Canon chronologicus

## Larcherianus, auctus & emendatus.

| Canon chronologicus. | Periodus Iuliana. | Periodus Iobelea. | Anni ante Chriſtum. |
|---|---|---|---|
| Theocratiae Aegyptiacae origo. | | | |
| Pontifices octo antiquiſſimorum Deorum Aegyptum rexerunt. Tempus, quo reipublicae gubernacula ceperunt, ignotum. | | | |
| Pontifices duodecim Deorum ſequentium rempublicam ſibi vindicant, eamque tenent circa annum (*Herodot. II*, 43) - - | | | 17570 |
| Pontifices Deorum tertii ordinis ſucceſſere. Pontifex Oſiridis gubernacula tenuit circa annum - | | | 15570 |
| Oſiridis pontifici gubernacula ab Hori pontifice erepta, ſed quo tempore, ignoratur. | | | |
| Menes, primus Aegypti rex - | | | 12356 |
| Maneros huius filius adoleſcens mortuus circa annum - | | | 12340 |
| CCCXXIX Reges Menetem ſequuti. | | | |
| Tyriorum urbs fundata (*Herod. II*, 44) - - - | 1954 | 1422 | 2760 |
| Aſſyriorum imperii origo ſecundum Cteſiam (*Diodorus Siculus II*, 21) | 2607 | 2075 | 2107 |
| Eiusdem origo ſecundum Diodorum Siculum II, 28 & Aemilium Suram (*Velleius Paterculus pag.* 25, *vel edit. Bipont. p.* 106. 107) - | 2657 | 2125 | 2057 |
| Eiusdem origo ſecundum Caſtorem (*Syncelli Chronograph. p.* 205. 206. *Pariſ. p.* 164 *&* 165. *Venet.*) | 2687 | 2155 | 2027 |
| Inachus natus circa annum - | 2703 | 2171 | 2011 |

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Chriſtum. |
|---|---|---|---|
| Inachus primus Argolidis rex, regnavit 60 annos - - | 2728 | 2196 | 1986 |
| Phoroneus Inachi filius, natus circa annum - - - | 2736 | 2204 | 1978 |
| Aezeus, Phoronei frater, natus circa annum - - | 2737 | 2205 | 1977 |
| Phegeus, Inachi filius, natus (*Schol. Euripid. ad Oreſtem* 1247) circa | 2738 | 2206 | 1976 |
| Lycaon Aezei filius natus (*Dionyſius Halicarn. I,* 11) - - | 2769 | 2237 | 1945 |
| Niobe, Phoronei filia nata (*ibidem*) | | | |
| Sparton, Phegei filius, natus (*Scholiaſt. Euripid. ad Oreſtem* 1247) | 2771 | 2239 | 1943 |
| Argus, Niobes filius natus (*Apollodor. II,* 1) - - | 2786 | 2254 | 1928 |
| Pelasgus Niobes filius natus (*Dionyſ. Halic. I,* 11) - | 2787 | 2255 | 1927 |
| Phoroneus, ſecundus Argolidis rex, regnavit 30 annos - | 2788 | 2256 | 1926 |
| Phoroneus Argolidis populum huc usque diſperſum in urbem colligit, Phoronicum dictam (*Schol. Euripid. ad Oreſt.* 1247) - | 2790 | 2258 | 1924 |
| Pheges Arcadiae urbs a Phegeo, Inachi filio, condita (*Ibidem*). A Stephano Byzantino Phegia appellata. Poſtea Pſophis dicta eſt - | 2792 | 2260 | 1922 |
| Delanira, Lycaonis filia nata (*Dionyſ. Halic. I,* 11) - | 2802 | 2270 | 1912 |
| Myceneus Spartonis filius natus (*Schol. Euripidis ad Oreſt.* 1247) | 2804 | 2272 | 1910 |
| Pelasgus in Arcadia regnat - | 2810 | 2278 | 1904 |
| Apis, tertius Argolidis rex, regnavit 30 annos - - | 2818 | 2286 | 1896 |

Jaſus,

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Chriſtum |
|---|---|---|---|
| Jaſus, Argi & Evadnes filius natus (*Apollod. II,* 1)<br>Lycaon, Pelasgi & Deianirae filius natus (*Dionyſ. Halicarn. I,* 11) | 2819 | 2287 | 1895 |
| Terrae motus, quo Oſſa ab Olympo ſeparatus, aquae viam invenere, Theſſalia habitabilis reddita (*Larcherii Chronolog. Herodot. cap. IX,* §. 3) - - | 2829 | 2297 | 1885 |
| Myceneus Spartonis filius Mycenas condit. (*Schol. Euripid. ad Oreſt.* 1247) - - | 2830 | 2298 | 1884 |
| Pelaſgus, Arcadiae rex, in Theſſaliam tranſit - - | 2831 | 2299 | 1883 |
| Peloria ſ. Saturnalia apud Theſſalos inſtituta (*Chronologia Herod. cap. IX,* §. 3) - - | 2832 | 2300 | 1882 |
| Argus, quartus Argolidis rex, 20 annos regnavit, urbique Phoronico, Argi nomen impoſuit (*Pauſan. II,* 15. *Schol. Euripid. loc. laud.*) | 2848 | 2316 | 1866 |
| Agenor, Jaſi filius, natus (*Apollodor. II,* 1)<br>Peucetius, Lycaonis filius, natus (*Dionyſ. Halic. I,* 11) | 2852 | 2320 | 1862 |
| Oenotrus, Lycaonis filius, natus (*ibidem*) - - | 2853 | 2321 | 1861 |
| Criaſus, Argi filius, quintus Argolidis rex, 56 annos regnavit (*Auguſtin. de ciuit. Dei XVIII,* 8) - | 2868 | 2336 | 1846 |
| Oenotrus & Peucetius colonos in Italiam ducunt XVII ante Troiam captam generatione (*Dionyſ. Halic. I,* 11) - - | 2877 | 2345 | 1837 |
| Argus, Agenoris filius, Panoptes cognominatus (*Apollod.* §. 11) | 2885 | 2353 | 1829 |

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Chriſtum |
|---|---|---|---|
| Aſſyriorum imperii origo ſecundum Velleium Paterculum (*lib. I, cap.* 6) - - Ninus Aſſyriorum rex primus, | 2897 | 2365 | 1817 |
| Jaſus, Argi Panoptis filius natus (*Apollod. II*, 1) Ogyges diluvio celebris in Attica & Boeotia regnavit 1020 anno ante Coroebi Olympiadem (*Euſebii Praepar. Evang, X, pag.* 489) | 2918 | 2386 | 1796 |
| Phorbas, Criaſi filius, ſeptimus Argolidis rex, regnavit 48 annos | 2924 | 2392 | 1790 |
| Jo nata, Jaſi filia (*Apollodor. II*, 1) | 2951 | 2419 | 1763 |
| Attica inundata regni Ogygis anno 37 (*Euſeb. Chronicon.*) - | 2955 | 2423 | 1759 |
| Jo a Phoeniciis rapta (*Herodot. I*, 1. *conf. Chronolog. Herodot.* §. 2. *cap. IX*) - - | 2969 | 2437 | 1745 |
| Triopas, Phorbae filius, octavus Argolidis rex regnavit 64 annos | 2972 | 2440 | 1742 |
| Xanthus Triopae filius Lesbum inſulam fundavit (*Diodor. Sicul. V*, 81) | 2980 | 2448 | 1734 |
| Pelaſgus, Achaeus & Phthius, fratres, in Theſſaliam tranſeunt, incolasque eiiciunt, ſexta poſt Pelaſgum, Arcadiae regem, generatione (*Dionyſ. Halic. I*, 17) - | 2987 | 2455 | 1727 |
| Crotopus, Triopae filius, nonus Argolidis rex, regnavit 53 annos | 3036 | 2504 | 1678 |
| Sthenelus, Crotopi filius, decimus Argolidis rex, regnavit 52 annos | 3089 | 2557 | 1625 |
| Cadmus, Agenoris filius, natus | 3124 | 2592 | 1590 |
| Deucalion natus circa annum Gelanor, Stheneli filius, undecimus Argolidis rex, regnavit duo annos | 3141 | 2609 | 1573 |

| | Periodus Juliana | Periodus Jobeleâ | Anni ante Chriſtum |
|---|---|---|---|
| Danai in Graeciam adventus, qui Seſoſtridis Aegyptii frater non fuit (*Chronol. Herodot. cap. IX,* §. 4) | 3142 | 2610 | 1572 |
| Gelanor a Danao pulſus - | 3143 | 2611 | 1571 |
| Cecrops I Athenarum rex primus regnavit 189 anno poſt Ogygiam inundationem (*Euſebii Praepar. Evangel. pag.* 490. *A*) regnavit annos 50 | 3144 | 2612 | 1570 |
| Danai filiae Theſmophoria in Peloponneſo inſtituunt - - | 3146 | 2614 | 1568 |
| Europae raptus - - | 3162 | 2630 | 1552 |
| Cadmus Lindum in inſula Rhodi venit | 3163 | 2631 | 1551 |
| Fundatio inſularum Thaſi & Calliſtus, poſtea Therae dictae a Phoeniciis e Cadmi comitibus (*Herodot. IV,* 147) | 3164 | 2632 | 1550 |
| Cadmi in Boetia adventus - | 3165 | 2633 | 1549 |
| Minos I Cretenſium rex, natus | 3166 | 2634 | 1548 |
| Agraulis, Cecropis filia, pro ſalute patriae devota - - | 3167 | 2635 | 1547 |
| Bacchus a Semele natus - | 3170 | 2638 | 1544 |
| Deucalion Promethei filius in Theſſalia regnat circa - | 3173 | 2641 | 1541 |
| Ferrum inventum (*Clemens Alexand. Stromat. p.* 401) - | 3177 | 2645 | 1537 |
| Amphictyon Deucalionis filius natus circa annum - - | 3180 | 2648 | 1534 |
| Diluvium Deucalioneum - | 3185 | 2653 | 1529 |
| Hellen Deucalionis filius natus | 3191 | 1659 | 1523 |
| Cranaus Athenarum rex ſecundus, regnavit 10 annos - | 3194 | 2662 | 1520 |
| Pentheus Cadmi ex Agave nepos Thebis regnat - - | 3200 | 2668 | 1514 |
| Origines Scytharum ſecundum ipſorum teſtimonium (*Herod. IV,* 7) | 3203 | 2671 | 1511 |

Am-

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Chriſtum |
|---|---|---|---|
| Amphictyon Deucalionis filius, tertius Athenarum rex, regnavit 12 annos (*Apollod. III*, 14. §. 6) | 3204 | 2672 | 1510 |
| Hyagnis, Sileni Marſyae filius, tibiae inventor - - | 3208 | 2676 | 1506 |
| Erichthonius, quartus Athenarum rex, regnavit 36 annos - | 3216 | 2684 | 1498 |
| Polydorus, Cadmi filius, Thebarum rex - - | 3217 | 2685 | 1497 |
| Lybaſtus, Minois I, Cretenſium regis filius natus - - | 3226 | 2694 | 1488 |
| Dorus, Hellenis filius, natus circa | 3244 | 2712 | 1470 |
| Xuthus Hellenis filius natus circa | 3250 | 2718 | 1464 |
| Pandion I, quintus Athenarum rex, regnavit 31 annos - | 3252 | 2720 | 1462 |
| Aeolus, Hellenis filius natus circa | 3257 | 2725 | 1457 |
| Labdacus, Polydori filius, Thebarum rex - - | 3264 | 2732 | 1450 |
| Erechtheus, ſextus Athenarum rex, regnavit 34 annos - | 3283 | 2751 | 1431 |
| Xuthus, Hellenis filius, e Theſſalia pulſus, Athenas confugit (*Pauſan. VII*, 1. *p.* 521) - | 3284 | 2752 | 1430 |
| Xuthus Erechthei filiam duxit uxorem (*Idem ibid. Strabo VIII*, *p.* 588) - - | 3285 | 2753 | 1429 |
| Achaeus Xuthi filius natus<br>Minos II, Lycaſti Cretenſium regis filius natus | 3286 | 2754 | 1428 |
| Jon, Xuthi filius natus - | 3287 | 2755 | 1427 |
| Salmoneus Aeoli filius natus | 3288 | 2756 | 1426 |
| Cretheus Aeoli filius natus | 3289 | 2757 | 1425 |
| Moeris, ultimus 330 regum Aegypti a Menete ad Seſoſtrin, illo incluſo, regnavit 68 annos (*ſecundum Vecchieti*) - - | 3290 | 2758 | 1424 |

Troia

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Chriſtum |
|---|---|---|---|
| Troia urbs condita (*Clemens Alex. Stromat. I, p.* 401) - | 3291 | 2759 | 1423 |
| Amphion, Antiopes & Jovis filius, eiicit Laium, Labdaci filium, annum tantum natum, Thebiſque regnat | 3298 | 2766 | 1416 |
| Gyro Salmonei filia nata - | 3304 | 2772 | 1410 |
| Achaeus, Xuthi filius in Laconiam tranſiit, nomenque ſuum incolis tribuit (*Strabo VIII, p.* 588) | 3307 | 2775 | 1407 |
| Jon, Xuthi filius, Colonos Athenienſes in Peloponeſum duxit (*Strabo ibid.*) - - | 3308 | 2776 | 1406 |
| Jon duxit Helicen, Selinuntis, Aegialenſis regis filiam (*Pauſan. p.* 521 *&* 522) - - | 3309 | 2777 | 1405 |
| Achaeus cum copiis Athenienſibus & Aegialenſibus in Theſſaliam tranſit; Amythaon Cretei filius natus, circa | 3310 | 2778 | 1404 |
| Selinus, Aegiali rex obiit, Jonem habet ſucceſſorem - | 3311 | 2779 | 1403 |
| Athenienſes Jonem e Peloponneſo revocant, eumque ducem exercitus adverſus Thraces, qui Eleuſinem occuparant, eligunt (*Pauſan. p.* 522) | 3312 | 2780 | 1402 |
| Archander Achaei filius natus; Daedalus Erechthei nepos natus | 3314 | 2782 | 1400 |
| Athenienſes rempublicam ſuam omnem Joni committunt, & a nomine eius Jones appellantur (*Strabo VIII, p.* 588) - - | 3315 | 2783 | 1399 |
| Cecrops II, ſeptimus Athenarum rex, regnavit 25 annos - | 3317 | 2785 | 1397 |
| Cecropis fratres Xuthum expellunt, quia arbiter, inter filios Erechthei conſtitutus, qui de regno certabant, | | | |

at

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Chriſtum |
|---|---|---|---|
| id Cecropi adiudicarat natu maximo (*Pauſanias p.* 511. *Strabo p.* 588) - - | 3318 | 2786 | 1396 |
| Xuthus in Aegialo, in quam confugerat, mortuus - | 3320 | 2788 | 1394 |
| Jon in Aſiam tranſmigravit, ibique primae coloniae iecit fundamenta Neleus Tyronis filius natus circa | 3323 | 2791 | 1391 |
| Jon in Aegialum rediit circa - | 3326 | 2794 | 1388 |
| Polybus Corinthi rex - | 3328 | 2796 | 1385 |
| Siſyphus Aeoli filius natus, qui poſtea rex Corinthi - - | 3329 | 2797 | 1385 |
| Hercules Amphitruonis filius natus | 3330 | 2798 | 1384 |
| Orpheus natus - - | 3332 | 2800 | 1382 |
| Archander & Architelus, Archaei filii e Phthiotide Argos tranſeunt | 3340 | 2808 | 1374 |
| Pandion II, octavus Athenarum rex, regnavit 18 annos - - | 3342 | 2810 | 1372 |
| Melampus, Amythaonis filius natus circa - - | 3344 | 2811 | 1371 |
| Jon Athenas rediit circa annum | 3345 | 2813 | 1369 |
| Bias Amythaonis filius, Melampi frater natus - - | 3347 | 3815 | 1367 |
| Periclymenus, Nelei filius natus | 3350 | 3818 | 1364 |
| Herculis laborum initium - | 3353 | 3821 | 1361 |
| Jon Athenis mortuus, & Potanei oppidulo ad mare ſito ſepultus (*Pauſanias, VII, p.* 522) - | 3354 | 3822 | 1360 |
| Laius ab Oedipo interfectus eſt capillis iam caneſcentibus (*Sophoclis Oedip. Tyr.* 742). Regnum ad Creontem pervenit - | 3356 | 3824 | 1358 |
| Seſoſtris Aegypti rex, Moeridis ſucceſſor, regnavit 44 annos - | 3358 | 3826 | 1356 |

Pero

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Christum |
|---|---|---|---|
| Pero, Nelei filia nata<br>Aegeus, nonus Athenarum rex, regnavit 32 annos<br>Oedipus, Laii filius, Jocaſtam ducit, Laii viduam & rex factus eſt<br>Origines Scytharum ſecundum relationes Graecorum in Ponto (*Herodot. IV*, 8)<br>Lycus, Pandionis II, filius ab Aegeo pulſus Athenis ad Sarpedonem, Minois II fratrem, in Termilenſibus confugit (*Herodot. I*, 173) | 3360 | 3828 | 1354 |
| Minos II, Cretenſium rex mortuus | 3361 | 3829 | 1353 |
| Cretenſes Camicum in Sicilia oppugnant (*Herodot. VII*, 170) | 3363 | 2831 | 1351 |
| Argonautarum expeditio, Medeae raptus<br>Antigone Oedipi filia nata | 3364 | 2832 | 1350 |
| Colchii Phaeacum inſulam, Corcyram poſtea dictam, fundarunt (*Apollon. Rhod. IV*, 1212) | 3365 | 2833 | 1349 |
| Iſmene, Oedipi filia nata | 3366 | 2834 | 1348 |
| Neſtor Nelei filius natus. Viderat is tres generationes & in tertiam regnans erat, ultimo belli Troiani anno<br>Theſeus natus (*vid. ann. Julian.* 3418)<br>Cretenſes in Italia coloni, Japyges Meſſapii dicti | 3368 | 2836 | 1346 |
| Eteocles Oedipi filius natus | 3369 | 2837 | 1345 |
| Polynices Oedipi filius natus | 3370 | 2838 | 1344 |
| Thebae peſtilentia devaſtatae | 3371 | 2839 | 1343 |

Oracuii

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Christum |
|---|---|---|---|
| Oraculi reſponſum de Laii nece punienda. Polybus Corinthi rex deceſſit. Oedipus ipſe ſibi oculos eruit, iuſſuque Creontis principum puerorum tutoris cuſtoditur<br>Creon alius Corinthiorum rex | 3372 | 2840 | 1342 |
| Muſaeus Orphei diſcipulus<br>Medea Jolco fugata, cum Jaſone Corinthum ſe confert, ibi ambo tranquilli & ſecuri decem annos vivunt (*Apollodor. I*, 9. 28) | 3375 | 2843 | 1339 |
| Herculis adverſus Pylios bellum, quo undecim Neſtoris fratres periere, Neſtor ſolus evaſit<br>Penthilus Periclymeni filius natus circa | 3379 | 2847 | 1335 |
| Bias, Melanthi frater, Peruntem ducit uxorem Nelei filiam | 3381 | 2849 | 1333 |
| Evander Arcades colonos in Italiam duxit (*Dionyſ. Halic. I*, 31) | 3384 | 2852 | 1330 |
| Jaſon Glaucam, Creontis Corinthii regis filiam, duxit. Creon Medeae fraude clandeſtina perit una cum liteꝛis. Medea Athenas fugit ad Aegeum regem<br>Siſyphus Corinthi rex primus e gente Siſyphidarum | 3386 | 2854 | 1128 |
| Hyllus, Herculis filius natus<br>Theſeus Athenas venit, ab Aegeo agnoſcitur. Medea Graeciam relinquit | 3387 | 2855 | 1327 |
| Tlepolemus, Herculis filius natus | 3388 | 2856 | 1326 |
| Apotheoſis Herculis 61 annos nati<br>Theſeus Minotaurum interficit circa finem anni | 3391 | 2859 | 1323 |

Theſeus

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Christum |
|---|---|---|---|
| Theſeus decimus Athenarum rex 29 annos regnavit - | 3392 | 2860 | 1322 |
| Heraclidae e Peloponneſo ab Euryſtheo reiecti. Theſei fidei ſe committunt | 3393 | 2861 | 1321 |
| Ornythion Siſyphi filius Corinthi rex. Eteocles Thebarum rex. Polynices Argos ſe contulit | 3394 | 2862 | 1320 |
| Polynices Thebas redit, ut regno potiretur, quod ipſi reddere recuſat Eteocles, quare Argos iterum redit | 3395 | 2863 | 1319 |
| Polynices foedus contra Thebanos cum Argivis facit - - | 3396 | 2864 | 1318 |
| Oedipus a Thebanis expulſus, Atticam profectus, ibique mortuus eſt. Bellum Thebanum inter fratres Oedipi filios (*Clemens Alex. Stromat. lib. I, p.* 401, *edit. Potteri*) | 3397 | 2865 | 1317 |
| Theſei bellum adverſus Creontem, Laodamantis, Eteoclis filii, tutorem | 3400 | 2868 | 1314 |
| Pheron Aegypti rex 18 annos regnavit | 3402 | 2870 | 1312 |
| Theſeus cum Hyllo exiit adverſus Euryſtheum, qui victus & ab Hyllo occiſus eſt - - | 3403 | 2871 | 1311 |
| Hyllus in Peloponneſum ingreſſus, ſed ob peſtilentiam regreſſus. Atreus Pelopis filius Argivorum rex | 3404 | 2872 | 1310 |
| Bellum Epigonum, ſive Thebanum ſecundum (*Apollodor. III,* 7, 2) | 3407 | 2875 | 1307 |
| Helena nata - - | 3408 | 2876 | 1306 |
| Thoas Ornythionis filius, Corinthi rex | 3414 | 2882 | 1300 |
| Therſander, Polynicis filius Thebarum rex (*Pauſan. IX,* 5. *p.* 722, *ed. Kühn*) - - | 3415 | 2883 | 1299 |
| Borus, Penthili filius, Periclymeni nepos, Nelei pronepos, natus circa | 3416 | 2884 | 1298 |
| Theſeus anno aetatis 50 Helenam ra- | | | |

 pit

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Christum |
|---|---|---|---|
| pit (*Plutarch in Theſeo p.* 14 *E. edit. Paris*) - - | 3418 | 2886 | 1296 |
| Proteus Aegypti rex regnavit 50 annos | 3420 | 2888 | 1294 |
| Hyllus oraculum conſulit de expeditione in Peloponneſum iteranda (*Apollod. II*, 8. 2) - - Meneſtheus undecimus Athenarum rex 23 annos regnavit | 3421 | 2889 | 1293 |
| Atreus Corinthum ſubiecit - | 3422 | 2890 | 1292 |
| Hyllus ambiguo deceptus oraculo in Peloponneſum redit, & ab Echemo Tegeatum rege interficitur *Herod. IX*, 26. *Apollod. II*, 8. 2) Helena a Paride rapta | 3424 | 2892 | 1290 |
| Graecorum ad bellum Iliacum apparatus - - | 3425 | 2893 | 1289 |
| Tlepolemus Herculis filius Argos ſe contulit - - | 3427 | 2895 | 1287 |
| Agamemnon rex Argivorum | 3429 | 2897 | 1285 |
| Cimmeriorum irruptio in Aſiam minorem (*Larcherii animadv.* 19 *ad Herodot. I*) - - | 3430 | 2898 | 1284 |
| Oreſtes Agamemnonis filius natus (*Velleius Paterc. I*, 1) - | 3431 | 2899 | 1283 |
| Tlepolemus Herculis filius Lindum, Jalyſſum & Camirum, ortus in inſula Rhodi, fundat, nec multo poſt Rhodiorum rex creatur - | 3432 | 2900 | 1282 |
| Therſander Thebarum rex Graecorum claſſem poſt ſe reliquit, & in Myſia interfectus eſt (*Pauſan. IX*, 5. *p.* 722) - - | 3433 | 2901 | 1281 |
| Graeci Troiam oppugnant Tiſamene, Therſandri filio, minorenni, Peneleus Boeotios ducit (*Pauſan. p.* 723. *ed. Kühn*) | 3434 | 2902 | 1280 |

Pene-

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Christum |
|---|---|---|---|
| Peneleus poſtremo Troiani belli anno occiſus | | | |
| Troia capta | | | |
| Demophon duodecimus Athenarum rex regnauit 41 annos | | | |
| Teucer Salaminem Cypri fundavit | | | |
| Agamemnon Mycenas, Tegeam & Pergamum in Creta inſula fundavit | 3444 | 2912 | 1270 |
| Agamemnonem Aegiſthus interficit | | | |
| Aegiſthus Mycenarum rex per ſeptennium (*Homer. Odyſſ. III*, 305. *Velleius Paterc. I*, 1) | | | |
| Tiſamenes, Therſandri filius, regnavit Thebis (*Pauſan. p.* 723, *ed. Kühn*). | | | |
| Thoas Corinthium regnum recepit | 3445 | 2913 | 1269 |
| Metapontum Lucaneae ab Epeo, Neſtoris comite, fundata (*Velleius Paterc. I*, 1) | | | |
| Damophon Corinthi rex | 3446 | 2914 | 1268 |
| Aſſyrii ſuperioris Aſiae domini (*Herodot. I*, 95) | 3447 | 2915 | 1267 |
| Amphilochus, Amphiarii filius, urbem Argos Amphilochium condidit in ſinu Ambraciae (*Thucyd. II*, 68) | 3448 | 2916 | 1266 |
| Andropompus Bori filius | 3450 | 2918 | 1264 |
| Aegiſthum & Clytemnaeſtram Oreſtes interficit. Oreſtes in Arcadiam ſe contulit ibique annum manſit (*Eurip. Oreſt.* 1570, 71) | 3451 | 2919 | 1263 |
| Oreſtem matricidii reum Areopagus abſolvit | | | |
| Neoptolemus Achillis filius Delphis ab Oreſte occiſus (*Euripid, Androm.* 1239) | 3452 | 2920 | 1262 |
| Oreſtes Hermionem, Menelai filium, ducit uxorem (*Eurip. Oreſt.* 1701) | 3453 | 2921 | 1261 |

 Oreſtes

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Christum |
|---|---|---|---|
| Oreſtes 17 annos regnavit Mycenis (*Velleius Paterc. VI*, 1), qui inde ab Aegiſthi morte numerandi ſunt | 3453 | 2921 | 1261 |
| Pani nativitas (*Herodot. II*, 145) | 3454 | 2922 | 1260 |
| Tiſamenus Thebarum rex moritur. Autesion huius filius a Damaſichthone pulſus ad Dorienſes confugit. Damaſicthon, Opheltis filius, Polenei nepos, Thebis regnat (*Pauſan. p.* 723, *ed. Kühn*) - | 3465 | 2933 | 1249 |
| Tertia Heraclidarum expeditio Peloponneſiaca, Cleodaeo duce, Hylli filio - - | 3469 | 2937 | 1245 |
| Rhampſinitus Aegypti rex, regnavit 68 annos (*Manetho*) - | 3470 | 2938 | 1244 |
| Ptolemaeus, Damaſichthonis filius Thebarum rex - - | 3480 | 2948 | 1234 |
| Oxyntes 13 Athenarum rex, regnavit 30 annos - - | 3485 | 2953 | 1229 |
| Melanthus, Andropompi filius natus | 3486 | 2954 | 1228 |
| Propodas Corinthi rex | | | |
| Dynaſtia Atyadum in Lydia finita, cuius initium incertum. Heraclidarum dynaſtiae in Lydia initium Agron primus huius dynaſtiae rex Lydus | 3494 | 2962 | 1220 |
| Theras natus, Autesionis filius, Tiſamenis regis Thebani nepos, Cadmi poſterorum decimus - | 3500 | 2968 | 1214 |
| Migrationum Aeolienſium initium duce Oreſte; Quarta Heraclidarum expeditio Peloponneſiaca duce Ariſtomacho Cleodaei filio; Boetii ex Arne Theſſalorum pulſi ſedes ſuas in Boeotia occupant (*Thucyd. I*, 12) | 3504 | 2972 | 1210 |

Xanth

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Chriſtum |
|---|---|---|---|
| Xanthus Ptolemaei filius Thebarum rex - - - - | 3514 | 2982 | 1200 |
| Aphidas 14 Athenarum rex, annum regnans - - | 3515 | 2983 | 1199 |
| Thymoetes 15 Athenarum rex, 8 annos regnans - - | 3516 | 2984 | 1198 |
| Oreſtes nonagenarius ſenex in Arcadia mortuus, cuius filii Penthilus & Tiſamenus triennium regnarunt (*Velleius Paterc. I, 1*) | 3521 | 2989 | 1193 |
| Doridas & Hyantidas Corinthi reges | 3523 | 2991 | 1991 |
| Expugnatio Peloponneſi ab Heraclidis, Ariſtodemo, Temeno & Creſphonte, Ariſtomachi filius, ducibus | | | |
| Penthilus & Tiſamenus, Oreſtis filii, ab Heraclidis expulſi (*Pauſanias III, 1. p.* 205. *II*, 18. *p.* 151. *ed. Kühn*) | | | |
| Melanthus Meſſeniae rex ab Heraclidis pulſus, Athenas ſe contulit | | | |
| Xanthus Thebanus rex Athenis bellum infert, Thymoetem Athenienſium regem ad pugnam provocat, qui pugnam recuſans regno priuatur, & Melanthus ad pugnandum paratus regnum praemium aufert | 3524 | 2992 | 1190 |
| Xanthus occiſus, Thebarum regnum in rempublicam converſum | | | |
| Apaturia in memoriam fraudis Melanthi adverſus Xanthum pugnantis inſtituta | | | |

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Chriſtum |
|---|---|---|---|
| Migrationum Aeolienſium continuatio ſub Penthilo, Oreſtis filio | | | |
| Achaei ab Heraclidis expulſi in Aegialum confugiunt, poſtea Achaiam dictam, & ab Joniis eo tempore cultam | 3525 | 2993 | 1189 |
| Achaei & Jones diſcordes arma capiunt, Jones ab Achaeis ſuperati Athenas redeunt - - | 3526 | 2994 | 1188 |
| Ariſtodemus primus Heraclidarum rex Spartanus moritur, regno filiis Procle & Euryſthene relicto, quorum admodum puerorum Theras tutor conſtitutus | 3536 | 3004 | 1178 |
| Cheops Aegypti rex 50 annos regnans (*Herodot. II,* 127) | | | |
| Tertia Aeolienſium migratio, quam Echelatus duxit Penthili filius | 3540 | 3008 | 1174 |
| Pelaſgi Athenis expulſi, Lemnum ſe conferunt - - | 3552 | 3020 | 1162 |
| Aletes primus Heraclidarum Corinthi rex | | | |
| Minyenſes a Pelaſgis e Lemno expulſi Lacedaemonem petiere | 3554 | 3022 | 1160 |
| Procles & Euryſthenes maiorennes, duorum generum regiorum conditores apud Spartanos - | 3561 | 3029 | 1153 |
| Codrus, Melanthi filius, decimus ſeptimus & poſtremus Athenarum rex 21 annos regnans - | 3561 | 3029 | 1153 |
| Quarta eaque poſtrema Aeolienſium migratio, duce Graide Penthili filio | 3563 | 3031 | 1151 |
| Inſula Calliſto a Thera, a quo poſtea Therae nomen tulit, fundata, qui Minyenſium, qui Lacedaemonem confugerant partem, ſecum abduxit | 3564 | 3032 | 1150 |

Min.

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Chriſtum |
|---|---|---|---|
| Minyenſes in Peloponneſo condiderunt oppida Legreum, Maciſtum, Phrixam, Pyrgon, Epium & Nudium (*Herodot. IV*, 148) | 3565 | 3033 | 1149 |
| Lesbus urbs fundata (*Vita Homeri ſub fin.*) - - | 3574 | 3042 | 1140 |
| Devotio Codri Athenienſium regis pro patria<br>Medon Codri filius, Archontum perpetuorum primus, gubernacula tenens 27 annos | 3582 | 3050 | 1132 |
| Megara in Atticae confiniis condita | 3583 | 3051 | 1131 |
| Migratio Jonum ſecundum Eratoſthenem (*Clemens Alex. Stromat. p.* 402 *ed. Potteri*) - - | 3584 | 3052 | 1130 |
| Chephren Aegypti rex, 56 annos regnans (*Herodot. II*, 127) - | 3586 | 3054 | 1128 |
| Ixion ſecundus Corinthi rex 38 annos regnavit - - | 3592 | 3060 | 1122 |
| Cyme in Aeolia fundata (*Vita Homeri*) - - | 3594 | 3062 | 1120 |
| Colonia in inſula Meli (*Thucyd. V*, 112. *p.* 374. *ed. Duker*) - | 3598 | 3066 | 1116 |
| Aeaſtus, Medontis filius, Archontum perpetuorum ſecundus 36 annos rempublicam tenuit - | 3609 | 3077 | 1105 |
| Smyrna urbs condita (*Vita Homeri*)<br>Homerus natus (*ibid.*) | 3612 | 3080 | 1102 |
| Agelaus tertius Corinthi rex regnavit 37 annos - - | 3630 | 3098 | 1084 |
| Hecataei Mileſii Maiorum primus qui notus eſt, lucem adſpexit (*Herodot. IX*, 143) - - | 3632 | 3100 | 1082 |
| Mycerinus Aegypti rex, 29 annos regnans - - | 3642 | 3110 | 1072 |

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Christum |
|---|---|---|---|
| Archippus Acaſti filius, tertius Archon perpetuus, gubernacula tenens 25 annos - | 3645 | 3113 | 1069 |
| Siculi Sicanos e Sicilia pellunt (*Thucyd. VI*, 2) - - | 3655 | 3123 | 1059 |
| Zancle, poſtea Meſſene dicta, a Siculis condita (*Thucyd. VI*, 4) | 3656 | 3124 | 1058 |
| Aſychis Aegypti rex annos 40 regnans - - | 3662 | 3130 | 1052 |
| Prumnis quartus Corinthi rex, 35 annos regnavit - - | 3667 | 3135 | 1047 |
| Therſippus, Archippi filius quartus Archon perpetuus rempublicam adminiſtrans annos 41 - | 3670 | 3138 | 1044 |
| Bacchis quintus Corinthi rex, regnauit 35 annos; Anyſis Aegypti rex regnavit 58 annos | 3702 | 3170 | 1012 |
| Anyſis ab Aethiope regno cedere coactus; in inſulam Elbo confugit | 3703 | 3171 | 1011 |
| Phorbas, Therſippi filius, Archontum perpetuorum quintus, rempublicam adminiſtravit 37 annos - | 3711 | 3179 | 1003 |
| Agelaus ſextus Corinthi rex, regnavit 30 annos - - | 3737 | 3205 | 977 |
| Homerus natus ſecundum Velleium Paterculum (*lib. I, c.* 1) - | 3746 | 3214 | 968 |
| Megacles Phorbae filius, Archontum perpetuorum ſextus, rempublicam tenuit 36 annos - | 3748 | 3216 | 966 |
| Anyſis poſt quinque decennia inſulam ſuam Elbo relinquens regnum recuperatum ad mortem uſque tenuit | 3753 | 3221 | 961 |

Anyſis

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Chriſtum |
|---|---|---|---|
| Anyſis poſt ſeptem annos elapſos obiit (*Herodot. II*, 140. 141). In Herodotea de Aegyptiorum rebus hiſtoria h. l. lacuna eſt 241 annorum de qua videſ. Chronologiam cap. I, §. 12 ſqq. - - | 3760 | 3228 | 954 |
| Eudemus, ſeptimus Corinthi rex 25 annos regnans - - | 3767 | 3235 | 947 |
| Heſiodus floruit (*Marm. Oxon. Epoch. XXIX*) - - | 3770 | 3238 | 944 |
| Diognetus Megaclis filius, ſeptimus Archon perpetuus rempublicam tenuit 34 annos - | 3791 | 3259 | 930 |
| Phidon, Archivorum rex lucem adſpexit - - | 3791 | 3259 | 923 |
| Ariſtodemus, octavus Corinthi rex regnavit 35 annos - | 3792 | 3260 | 922 |
| Lycurgus Lacedaemonum legislator natus - - | 3798 | 3266 | 916 |
| Homerus floruit ſecundum Marmora Paria - - | 3807 | 3275 | 907 |
| Phereçles Diogneti filius, octavus Archon perpetuus gubernacula tenuit 43 annos - - | 3818 | 3286 | 896 |
| Phidon Archivus rex, ponderum, menſurarum & monetae argenteae inventor - - | 3819 | 3287 | 895 |
| Teleſtes infans ab Agemone Corintho pulſus; Agemon nonus Corinthi rex regnans 16 annos | 3827 | 3295 | 887 |

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Chriſtum | Olympiad. Iphiti. |
|---|---|---|---|---|
| Poſtremus Olympiadum Iphiti annus - | 3937 | 3405 | 777 | — 4. |
| * | | | | |
| Victorum Olympicorum nomina ad hunc usque annum non fuerant notata, quam annotationem a ſequentis Olympiadis initio inſtituerunt Olympias igitur haec prima dicta, eaque Graeci uſi ſunt aerae loco in annis ſuis computandis. | | | | Olympiad. Coroebi |
| Olympias Coroebi, tertio Archontis Aeſchyli anno, ſecundum Euſebium, & per inductionem ſecundum Marmora Paria - | 3938 | 3406 | 776 | I, 1. |
| Menahemus, Iſraelitarum rex, decennium regnans | 3943 | 3411 | 771 | II, 2. |
| Eumelus Poeta floruit | 3946 | 3414 | 776 | III, 1. |
| Phul, Graecorum Sardanapalus, Aſſyriae rex | 3949 | 3417 | 765 | — 4. |
| Phul Iſraelitarum regnum vaſtavit circa octavum Menahemi regis annum (*IV Regum XV*, 19) } Sabacos Aethiops Aegyptum cepit retinuitque 50 annos | 3951 | 3419 | 763 | IV, 2. |

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Chriſtum | Olympiad. Iphiti. |
|---|---|---|---|---|
| Myſcellus Crotonam urbem condidit (*Strabo p.* 402 & 403. *edit. Almelov.*) Theucles Naxum urbem in Sicilia condidit (*Thucyd. VI,* 3) | 3955 | 3423 | 759 | V, 2. |
| Syracuſae conditae, vigeſimo primo Archontis Aeſchyli anno (*Marm. Paria*) | 3956 | 3424 | 758 | — 3. |
| Locrii in Italia fundati (*Strabo VI, p.* 397. *ed. Almelov.*) | 3957 | 3425 | 757 | — 4. |
| Inſula Corcyra a Cherſicrate, Corinthio exule fundata (*Strabo VI, p.* 414. *edit. Almelov.*) Colchidii, Corcyram inſulam habitantes, in continentem ſe contulere, ſedesque ſuas in Abantibus & Neſtaeenſibus fixere (*Apollon. Rhod. IV,* 1214) | 3958 | 3426 | 756 | VI. 1. |

Alc-

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Christum | Olympiad. Iphiti. |
|---|---|---|---|---|
| Alcmaeon Aeſchyli filius Archontum perpetuorum decimus tertius rempublicam adminiſtravit duo annos | 3959 | 3427 | 755 | —[a] 2. |
| Roma condita ſecundum Varonem (*Manilius IV* 731. *Plutarchus in Romulo p.* 24. *edit. Pariſ.*) | 3960 | 3428 | 754 | — 3. |

[a] Charops

| | ad. pi. | Aera Romana. | Aera Nabonaſſar. |
|---|---|---|---|
| Charops decennalis | | | |
| Chalcidii Naxum rel | | 1 | |
| lunt, urbemque C | | | |
| Lamis Trotilum in | . | 2 | |
| Medi Aſſyriorum iu | 1. | 6 | |
| Babylonii Aſſyrioru | | | |
| Phul ſive Sardanapal | . | 7 | 1 |
| Nabonaſſar Babyloni | | | |
| Aera Nabonaſſarica | | | |
| Lamis Leontium m | | | |
| aliquod tempus a | | 10 | 4 |
| Aeſimedes decennali | | 11 | 5 |
| Bellum Meſſeniacum | | 12 | 6 |
| Achas Judaeae rex 1 | | 13 | 7 |
| Lamis a Leontinis e | | 14 | 8 |
| Lamis Thapſum urb | | 15 | 9 |
| Semiramis Nabonaſſa | | | |
| byloniae regnum a | | | |
| dii pueri annis | | 17 | 11 |
| Midas Gardii filius | | | |
| *Euſeb.*) | | | |
| Nadius Babyloniae r | | 21 | 15 |
| Clidicus Archontum | | | |
| Chocirus & Porus B | | | |
| regnantes | . | 23 | 17 |
| Lamis Thapſi mortu | | | |
| Thelgati Phalnazar, | | | |
| rum regem, circa | | 25 | 19 |
| aggreſſus (*Parali* | | | |
| Chalcidii quos Lami | 1, | 26 | 20 |
| Chalcidii Megaram i | | | |
| Salmanaſar Aſſyrio | | 27 | 21 |
| tributarium reddit | | | |
| Ezechias Judaeae re | | | |
| Ilulaeus, Babyloniae | | 28 | 22 |

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Christum | Olympiad. Iphiti. |
|---|---|---|---|---|
| Alcmaeon Aeſchyli filius Archontum perpetuorum decimus tertius rempublicam adminiſtravit duo annos | 3959 | 3427 | 755 | — 2. |
| Roma condita ſecundum Varonem (*Manilius IV* 731. *Plutarchus in Romulo p.* 24. *edit. Pariſ.*) | 3960 | 3428 | 754 | — 3. |

| | …ad. …pi. | Aera Romana. | Aera Nabonaſſar. |
|---|---|---|---|
| Charops decennalis | | | |
| Chalcidii Naxum rel- lunt, urbemque C | | 1 | |
| Lamis Trotilum in | 1. | 2 | |
| Medi Aſſyriorum iu | 1. | 6 | |
| Babylonii Aſſyrioru | | | |
| Phul ſive Sardanapal | . | 7 | 1 |
| Nabonaſſar Babyloni | | | |
| Aera Nabonaſſarica | | | |
| Lamis Leontium m aliquod tempus ad | | 10 | 4 |
| Aeſimedes decennali | | 11 | 5 |
| Bellum Meſſeniacum | | 12 | 6 |
| Achas Judaeae rex 1 | | 13 | 7 |
| Lamis a Leontinis e | | 14 | 8 |
| Lamis Thapſum urb | | 15 | 9 |
| Semiramis Nabonaſſ bylonſae regnum dii pueri annis | | 17 | 11 |
| Midas Gardii filius *Euſeb.*) | | | |
| Nadius Babyloniae r | | 21 | 15 |
| Clidicus Archontum | | | |
| Chocirus & Porus B regnantes | . | 23 | 17 |
| Lamis Thapſi mortu | | | |
| Thelgati Phalnazar, rum regem, circa aggreſſus (*Parali* | | 25 | 19 |
| Chalcidii quos Lami | 1, | 26 | 20 |
| Chalcidii Megaram i | | | |
| Salmanaſar Aſſyrior tributarium reddit | | 27 | 21 |
| Ezechias Judaeae re | | | |
| Ilulaeus, Babyloniae | | 28 | 22 |

Salma-

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Christum | Olympiad. Coroebi. | Aera Romana | Aera Nabonaſſar. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| rege ...) | 3990 | 3458 | 724 | XIV. 1. | 30 | 24 |
| - | 3991 | 3459 | 723 | — 2. | 31 | 25 |
| | 3992 | 3460 | 722 | — 3. | 32 | 26 |
| ...pugna- in Aſ- | | | | | | |
| | 3993 | 3461 | 721 | — 4. | 33 | 27 |
| reg- ...Stro- | 3994 | 3462 | 720 | XV. 1. | 34 | 28 |
| ...us a ...aulis | 3999 | 3467 | 715 | XVI. 1. | 39 | 33 |
| | | | | — 2. | | |
| ... pote- ...us de- | | | | | | |
| | 4000 | 3468 | 714 | — 3. | 40 | 34 |
| | 4001 | 3469 | 713 | — 4. | 41 | 35 |
| ...rcitu ...n ire ...gum | 4001 | 3469 | 713 | — 4. | 41 | 35 |
| ...ulto ... He- ...hiam | 4002 | 3470 | 712 | XVII. 1. | 42 | 36 |
| Regum | | | | | | |
| | 4003 | 3471 | 711 | — 2. | 43 | 37 |
| | 4005 | 3473 | 709 | — 4. | 45 | 39 |
| | 4006 | 3474 | 708 | XVIII. 1. | 46 | 40 |

Inter-

| | ad. bi. | Aera Romana. | Aera Nabonaſſar. |
|---|---|---|---|
| Interregnum Babylo | | | |
| Apſander decennaliu | | | |
| Aminocles Corinthi | | 50 | 44 |
| miis aedificavit ( | | | |
| Belithus Babyloniae | | 52 | 46 |
| Apronadius Babylon | | 55 | 49 |
| Eryxias decennalium | | 60 | 54 |
| Rigebelus Babylonia | | 61 | 55 |
| Archilochus floruit | | | |
| Meſeſſimordachus B | 1. | 62 | 56 |
| nans | | | |
| Interregnum Babylo | | | |
| Pugilatus Olympiis | 1. | 66 | 60 |
| Acrae Siculae a Syra | | | |
| Creon, annuorum A | | | |
| cae 420 (*Marm.* I | 1. | 70 | 64 |
| Tleſias annuorum A | | | |
| Meſſeniorum rebellic | | | |
| *Creonte Archonte,* | | 71 | 65 |
| *Pariſ. praeleſt.* | | | |
| Lyſias, annuorum A | | 72 | 66 |
| Secundum Meſſeniaci | | | |
| Proelium inter Meſſe | | | |
| mentum apri ver | 4. | 73 | 67 |
| Icaredinus Babylonia | | | |
| Meſſenii Ariſtocratis | | | |
| eamque muniunt | . | 74 | 68 |
| Quadrigarum curſus | | | |
| Ira a Lacedaemoniis | | 75 | 69 |
| Ardys Lydiae rex re | | 77 | 71 |
| Chalcedon condita ( | 2. | 79 | 73 |
| Samii Lacedaemoniis | | | |
| tibus auxilia mittu | | 80 | 74 |
| Sethos Aegypti rex | | | |
| Anarchia per bienni | | 81 | 75 |
| *I*, 66) | | | |

Dode-

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Christum | Olympiad. Coroebi. | Aera Romana | Aera Nabonaſſar. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| …os du- | | | | | | |
| - | 4043 | 3511 | 671 | XXVII. 2. | 83 | 77 |
| | 4045 | 3513 | 669 | — 4. | 85 | 79 |
| …I,5) …niaci | 4046 | 3514 | 668 | XXVIII. 1. | 86 | 80 |
| | 4047 | 3515 | 667 | — 2. | 87 | 81 |
| - | 4048 | 3516 | 666 | — 3. | 88 | 82 |
| …I, 13) | 4050 | 3518 | 664 | XXIX. 1. | 90 | 84 |
| …ae eie- …que te- | 4051 | 3519 | 663 | — 2. | 91 | 85 |
| …annidis | | | | | | |
| | 4054 | 3522 | 660 | XXX. 1. | 94 | 88 |
| - | 4055 | 3523 | 659 | — 2. | 95 | 89 |
| …b.) | 4056 | 3524 | 658 | — 3. | 96 | 90 |
| | 4057 | 3525 | 657 | — 4. | 97 | 91 |
| …eſta- …uni- | 4058 | 3526 | 656 | XXXI. 1. | 98 | 92 |
| …us & …urbes …ot. I, …Lar- | 4059 | 3527 | 655 | — 2. | 99 | 93 |
| …vit | 4060 | 3528 | 654 | — 3. | 100 | 94 |
| | 4062 | 3530 | 652 | XXXII. 1. | 102 | 96 |
| | 4065 | 3533 | 649 | — 4. | 105 | 99 |
| | 4066 | 3534 | 648 | XXXIII. 1. | 106 | 100 |
| …ominis | | | | | | |
| | 4068 | 3536 | 646 | — 3. | 108 | 102 |

Time-

| | ad. bi | Aera Romana | Aera Nabonaſſar. |
|---|---|---|---|
| Timeſiam Clazomen | 4. | 109 | 103 |
| Nabopallaſar Babylo | 1. | 110 | 104 |
| Joſias Judaeorum re | 4. | 113 | 107 |
| Battus Plateam inſu | | | |
| *rod. IV*, 157) | 2. | 115 | 109 |
| Solon natus | 3. | 116 | 110 |
| Theraei cum Batto | | | |
| biam ſe contulere | | | |
| *rodot. IV*, 157. 1 | 4. | 117 | 111 |
| Phraortes Aſſyriis b | 1. | 118 | 112 |
| Phraortes bello occ | | | |
| regnantem | | | |
| Cimmerii Sardes re | 3. | 120 | 114 |
| Iſtrus & Tomi urbe | | | |
| fundatae (*Fragm.* | | | |
| Cyaxares Niniven u | | | |
| Scytharum in̄ Aſiam | | | |
| Cyaxares Ninives op | | | |
| this progreſſus, v | 4. | 121 | 115 |
| Periander Corinthi r | | | |
| Thales Mileſius natu | | | |
| Lucumon, Demarat | | | |
| contulit | 1. | 122 | 116 |
| Battus I Cyrenarum | 2. | 123 | 117 |
| Archanthonius Tart | 4. | 125 | 119 |
| Sadyattes Lydiae re | I. 1. | 126 | 120 |
| Scythae Judaeam Jo | | | |
| Selinuntem Megaren | 2. | 127 | 121 |
| Arion Dithyrambop | 3. | 128 | 122 |
| Thraſybulus Mileti t | 4. | 129 | 123 |
| Camarinam Syracuſa | | | |
| Nabopalaſſar, Judae | 2. | 131 | 125 |
| Labynetus I, Bab | | | |
| Bellum inter Sadyat | 3. | 132 | 126 |
| Aeſopus floruit | 1. | 134 | 128 |

Xeno-

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Christum | Olympiad. Coroebi | Aera Romana | Aera Nabonaſſar. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| filius *odot.* ex | 4139 | 3607 | 575 | 2. | 179 | 173 |
| - | 4140 | 3608 | 574 | 3. | 180 | 174 |
| Ba- 161) | 4141 | 3609 | 573 | 4. | 181 | 175 |
| vavit. Baby- am, li- muris | 4142 | 3610 | 572 | LII. 1. | 182 | 176 |
| | 4143 | 3611 | 571 | 2. | 183 | 177 |
| *ib.* 1. | 4144 | 3612 | 570 | 3. | 184 | 178 |
| | 4145 | 3613 | 569 | 4. | 185 | 179 |
| *lib.* 2. | 4147 | 3615 | 567 | LIII. 2. | 187 | 181 |
| filius a | 4148 | 3616 | 566 | 3. | 188 | 182 |
| nobiles | 4149 | 3617 | 565 | 4. | 189 | 183 |
| Mityle- | 4150 | 3618 | 564 | LIV. 1. | 190 | 184 |
| | 4151 | 3610 | 563 | 2. | 191 | 185 |
| hocae- *c.* 165) | 4152 | 3620 | 562 | 3. | 192 | 186 |
| | 4153 | 3621 | 561 | 4. | 193 | 187 |

Comias

| | …ad. …i | Aera Romana | Aera Nabonaſſar. |
|---|---|---|---|
| Comias Archon | | | |
| Piſiſtratus Athenar | | | |
| ſed ternis vicibus | | | |
| menſem Januariu | 4. | 194 | 188 |
| Aeſopus menſe Mai | | | |
| iectus (*Suidas ſ.* | | | |
| Miltiades, Cypſeli | | | |
| *dot. lib.* 6. *c.* 36) | 1. | 194 | 188 |
| Croeſus Patri circa | | | |
| ſucceſſit | | | |
| Aſtyages a Cyro de | 2. | 195 | 189 |
| Piſiſtratus Athenis | | | |
| Anacreon natus | | | |
| Croeſus victoriis Cy | 3. | 196 | 190 |
| Solonis mors | | | |
| Simonides natus Le | 3. | 197 | 191 |
| Abaris in Graeciam | | | |
| circa annum | 4. | 197 | 191 |
| Croeſus Deum Del | | | |
| *Epoch.* 42) | 1. | 198 | 192 |
| Samii loricam, qu | | | |
| auferunt | 1. | 198 | 192 |
| Iidem craterem rap | 2. | 199 | 193 |
| Arceſilaus II cogno | | | |
| Piſiſtratus reſtitutus | 3. | 200 | 194 |
| Piſiſtratus denuo pu | | | |
| Barce urbs in Lybia | 4. | 201 | 195 |
| Pittacus obiit. Qu | | | |
| Suida, anno 406 | | | |
| nus tradidit de M | | | |
| mortem eius in | 1. | 202 | 196 |
| Nitetis Apriei filia | 2. | 203 | 197 |
| Apries laqueo ſuffo | | | |
| ab Amaſi devictus | 3. | 204 | 198 |
| Darius natus (*Hero* | | | |

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Christum | Olympiad. Coroebi. | | Aera Romana | Aera Nabonaſſar. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| ) | 4165 | 3633 | 549 | | 4. | 205 | 199 |
| ratum yraeis | 4166 | 3634 | 548 | LVIII. | 1. | 206 | 200 |
| | 4169 | 3637 | 545 | | 3. | 209 | 203 |
| ſtate pug- rem gm. dan- | 4169 | 3637 | 545 | | 4. | 209 | 203 |
| omi- 105) lib. I. m hoc ib. I. | 4170 | 3638 | 544 | LIX. | 1. | 210 | 204 |
| | 4171 | 3639 | 543 | | 2. | 211 | 205 |
| ) | 4172 | 3640 | 542 | | 3. | 212 | 206 |
| •) | 4173 | 3641 | 541 | | 4. | 213 | 207 |
| | 4174 | 3642 | 540 | LX. | 1. | 214 | 208 |
| | 4175 | 3643 | 539 | | 2. | 215 | 209 |
| | 4176 | 3644 | 538 | | 3. | 216 | 210 |
| alio | 4178 | 3646 | 536 | LXI. | 1. | 218 | 212 |
| ae | 4179 | 3647 | 535 | | 2. | 219 | 213 |
| | 4184 | 3652 | 530 | LXII. | 3. | 224 | 218 |
| ) | 4185 | 3653 | 529 | | 4. | 225 | 219 |
| par- | 4186 | 3654 | 528 | LXIII. | 1. | 226 | 220 |
| | 4187 | 3655 | 527 | | 2. | 227 | 221 |

Ama-

| | Aera Romanae. | Aera Nabonaſſar. |
|---|---|---|
| Amaſis mortuus.. P | | |
| tum habuit regnu | 228 | 222 |
| Cambyſes Aegyptu | 229 | 223 |
| Spartani copias adv | | |
| rum tyrannum | 229 | 223 |
| Aeſchyleus natus (A | | |
| Samii Cydoniam in ( | | |
| 44 & 59) | 230 | 224 |
| Camarinam Syracuſa | 231 | 225 |
| Cambyſes, ſeptenni | | |
| periit | 232 | 226 |
| Pſeudoſmerdis Magus | | |
| pavit | 232 | 226 |
| Polycrates obiit Sami | | |
| Darius annum circit | | |
| Perſarum conſtitutu | 233 | 227 |
| Siromus Salaminis C | | |
| Xenophanes Colopho | 234 | 229 |
| Plataeenſes anno an | | |
| everſam 93 Athenie | | |
| *lib. 6. c. 108. Th* | 235 | 230 |
| Pindarus natus (*Plut* | | |
| *das. Corſini Faſti* | 235 | 230 |
| Samii, qui Cydoniam | | |
| ſubacti & in ſervitu | | |
| Arceſilaus Cyrenarum | | |
| cher cognominatus | 236 | 231 |
| Miltiades in Cherſone | | |
| Cherſis Salaminis Cyp | 239 | 234 |
| Hipparchus Piſiſtrati f | | |
| occiſus. Hippias f | 240 | 235 |
| Darius Babylonem rec | 241 | 236 |
| Syloſon a Dario Sami | | |
| Phrynichus in Tragoe | | |
| Amphictyones Alcma | 242 | 237 |
| rationem locarunt | | |

Darii

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Chriſtum | Olympiad. Coroebi | | Aera Romana | Aera Nabonaſſar. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | 4203 | 3671 | 511 | | 2. | 243 | 238 |
| | 4204 | 3672 | 510 | | 2. | 244 | 239 |
| ) | 4204 | 3672 | 510 | | 3. | 244 | 239 |
| poſuere | | | | | | | |
| | 4205 | 3673 | 509 | | 4. | 245 | 240 |
| | 4205 | 3673 | 509 | | 4. | 245 | 240 |
| ) | 4206 | 3674 | 508 | LXVIII. | 1. | 240 | 240 |
| *ſub Da-* | | | | | | | |
| *sceps in* | | | | | | | |
| *refert.* | | | | | | | |
| *que Ba-* | | | | | | | |
| *ur ergo* | | | | | | | |
| *quoque* | | | | | | | |
| *s conſu-* | | | | | | | |
| *editionis* | | | | | | | |
| *do, h. e.* | | | | | | | |
| *erianum* | | | | | | | |
| ) | 4207 | 3675 | 507 | | 2. | 247 | 242 |
| ) | 4209 | 3677 | 505 | | 4. | 249 | 244 |
| (*He-* } | 4210 | 3678 | 504 | LXIX. | 1. | 250 | 245 |
| | 4211 | 3679 | 503 | | 2. | 251 | 246 |
| 104) ) | 4212 | 3680 | 502 | | 2. | 252 | 247 |
| | 4213 | 3681 | 501 | | 4. | 253 | 248 |
| | 4214 | 3682 | 500 | LXX. | 1. | 254 | 249 |
| 5. *c.* 5) | 4215 | 3683 | 499 | | 2. | 255 | 250 |
| Hippo- } | | | | | | | |
| | 4216 | 3684 | 498 | | 3. | 256 | 251 |

Phry-

| | Olymp. Iad. bi. | Aera Romana. | Aera Nabonassari. |
|---|---|---|---|
| Phrynichi drama, | | | |
| Samii Zanclen occ | | | |
| Scythes, Zancles | | | |
| Inycum relegatu | 4. | 257 | 252 |
| Camarina ab Hippo | | | |
| Inſulae Chios, Ter | | | |
| nia pacificata | | | |
| Meſembria fundata | | | |
| Hipparchus Archo | | | |
| Perſarum adverſus | | | |
| Scythes Zancles ty | 1. | 258 | 253 |
| Hellanicus natus N | | | |
| *lib.* 15. *c.* 23) | | | |
| Philippus Archon ( | 1. | 259 | 254 |
| Mardonii vere ineu | | | |
| Mardonii in Aſiam | 2. | 259 | 254 |
| Sophocles natus ( | | | |
| Pythocritus Archo | | | |
| Anaxilas Zanclen | 3. | 260 | 255 |
| *Diodor. Sic. lib.* | | | |
| Themiſtocles Arch | | | |
| Thaſii muros ſuos i | 4. | 261 | 256 |
| Daſii nuncii terran | | | |
| Diognetes Archon | 1. | 262 | 257 |
| Perſarum novi adv | | | |
| Hibrilides Archon | 2. | 263 | 258 |
| Gelon Gelam occu | | | |
| Phaenippus Archon | | | |
| *Marm. Oxon. E* | 3. | 264 | 259 |
| Pugna Marathonia | | | |
| Ariſtides Archon ( | 4. | 265 | 260 |
| Darius bellum in G | | | |
| Aegyptii rebellante | 3. | 268 | 263 |
| Philocrates Archon | 4. | 269 | 264 |
| Darii mors. Xerx | | | |

Leo-

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Christum | Olympiad. Coroebi. | Aera Romana | Aera Nabonaſſar. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| | 4230 | 3698 | 484 | LXXIV. 1. | 270 | 265 |
| …racuſas | | | | | | |
| | 4231 | 3699 | 483 | 2. | 271 | 266 |
| …uſas | 4232 | 3700 | 482 | 2. | 272 | 267 |
| | 4232 | 3700 | 482 | 3. | 272 | 267 |
| | 4233 | 3701 | 481 | 3. | 273 | 268 |
| …r hie- | 4233 | 3701 | 481 | 4. | 273 | 268 |
| …vere | 4234 | 3702 | 480 | 4. | 274 | 269 |
| Ari- … 66) …gen. | 4234 | 3702 | 480 | LXXV. 1. | 274 | 269 |
| | 4235 | 3703 | 479 | 1. | 275 | 270 |
| | 4235 | 3703 | 479 | 2. | 275 | 270 |
| 38. | 4236 | 3704 | 478 | 3. | 276 | 271 |
| 41) | 4237 | 3705 | 477 | 3. | 277 | 272 |

Prin-

| | ad. bi | Aera Romana | Aera Nabonaſſar. |
|---|---|---|---|
| Principatus Graeci<br>delatus | | | |
| Athenienſes novas<br>erigunt (*Marm*<br>Phrynichus Comici<br>fabulam Athenis<br>Simonides octogen<br>riam deportavit | 4. | 277 | 272 |
| Phaedon Archon (<br>Anaxilas tyrannus<br>*Dioder. l.* 1) | 1. | 278 | 273 |
| Aceſtorides Archon<br>Hieron Cumanis<br>(*Idem ibid.*) | 3. | 280 | 275 |
| Menon Archon (*Id*<br>Japyges vincunt Ta | 4. | 281 | 276 |
| Chares Archon (*Id*<br>Theron, Agrigenti<br>Thraſydeus filius al<br>Megaras Atticas au<br>tuta (*Idem ibid.*) | 1. | 282 | 277 |
| Praxiergus Archon<br>Thucydides vere in<br>*c.* 23) | 1. | 283 | 278 |
| Euripides natus fec<br>(*vid. ann.* 4234)<br>Elienſes multis in<br>Elidem in eamque<br>11. *c.* 54) | 2. | 283 | 278 |
| Demotion Archon (<br>Cimon Miltiadis filii<br>(*Idem ibid. c.* 60.<br>Sophoclis tragoedia p | 3. | 284 | 279 |
| Apſephion Archon *v*<br>Socrates natus<br>Helotum & Meſſenio | 4. | 285 | 280 |

Thea-

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Christum | Olympiad. Coroebi | | Aera Romana | Aera Nabonaſſar. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| nyſ. rius rm. | 4246 | 3714 | 468 | LXXVIII. | 1 | 286 | 281 |
| r & | 4247 | 3715 | 467 | | 2 | 287 | 282 |
| iun- | 4248 | 3716 | 466 | | 3 | 288 | 283 |
| | 4249 | 3717 | 465 | | 3 | 289 | 284 |
| lſas, con- | 4249 | 3717 | 465 | | 4 | 289 | 284 |
| | 4250 | 3718 | 464 | | 4 | 290 | 285 |
| bid.) | 4250 | 3718 | 464 | LXXIX. | 1 | 290 | 285 |
| | 4251 | 3719 | 463 | | 1 | 291 | 286 |
| tuunt, idetur. | | | | | | | |
| | 4251 | 3719 | 463 | | 2 | 291 | 286 |
| erſus erſae ) | 4252 | 3720 | 462 | | 2 | 292 | 287 |
| | 4253 | 3721 | 461 | | 3 | 293 | 288 |
| yptios at | 4253 | 3721 | 461 | | 4 | 293 | 288 |

Phra-

| | | Aera Romana. | Aera Nabonaſſar. |
|---|---|---|---|
| Phraſiclides Archo | | | |
| Herodoti profectic | 1. | 294 | 289 |
| Philocles Archon ( | | | |
| Athenienſes Corint<br>Peloponneſios in<br>ſibi ſubiiciunt | | 295 | 290 |
| Bion Archon (Ide | | | |
| Aegyptii ad obſequ<br>ſis conveniunt de<br>tus & in crucem<br>bo circa medium<br>140. *Thucyd. li* | 2. | 296 | 291 |
| Athenienſes de Co<br>Lacedaemoniis v<br>*cyd. lib.* 1. *c.* 10<br>lat Laconum vic | 3. | 296 | 291 |
| Mneſitheides Arch | | | |
| Athenienſes Myro<br>runt (*Idem ibid.* | 4. | 297 | 292 |
| Herodotus Halicar<br>tyrannum | | | |
| Callias Archon (D | | | |
| Tolmidis Athenien | | | |
| Aeſchylus in Sicili<br>*Oxon Ep.* 60.<br>*xii Onomaſt. I.* | 1. | 298 | 293 |
| Herodotus in Ind<br>partem recitavit<br>*cyd. Sect.* 18) | | | |
| Soſiſtratus Archon | | | |
| Pericles Peloponn<br>exercitum duxit<br>(*Diodor. lib.* 11. | 2. | 299 | 294 |
| Ariſton Archon (I | | | |
| Induciae quinquen<br>neſios | 3. | 300 | 295 |

Lyſi-

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Christum | Olympiad. Coroebi | | Aera Romana | Aera Nabonaſſar. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| ...nyſ. ...rius ...rm. | 4246 | 3714 | 468 | LXXVIII. | 1 | 286 | 281 |
| ...r & | 4247 | 3715 | 467 | | 2 | 287 | 282 |
| ...iun- | 4248 | 3716 | 466 | | 3 | 288 | 283 |
| | 4249 | 3717 | 465 | | 3 | 289 | 284 |
| ...lſus. ...con- | 4249 | 3717 | 465 | | 4 | 289 | 284 |
| | 4250 | 3718 | 464 | | 4 | 290 | 285 |
| ...bid.) | 4250 | 3718 | 464 | LXXIX. | 1 | 290 | 285 |
| ...tuunt, | 4251 | 3719 | 463 | | 1 | 291 | 286 |
| ...detur. | 4251 | 3719 | 463 | | 2 | 291 | 286 |
| ...rſus ...rſae | 4252 | 3720 | 462 | | 2 | 292 | 287 |
| ...yptios | 4253 | 3721 | 461 | | 3 | 293 | 288 |
| ...t | 4253 | 3721 | 461 | | 4 | 293 | 288 |

Phra-

| | | Aera Romana. | Aera Nabonassar. |
|---|---|---|---|
| Phraficlides Archo | | | |
| Herodoti profectio | 1. | 294 | 289 |
| Philocles Archon ( | | | |
| Athenienſes Corint | | | |
| Peloponneſios in | 2. | 295 | 290 |
| ſibi ſubiiciunt | | | |
| Bion Archon (Ide | | | |
| Aegyptii ad obſequ | | | |
| ſis conveniunt de | | | |
| tus & in crucem | 2. | 296 | 291 |
| bo circa medium | | | |
| 140. *Thucyd. li* | | | |
| Athenienſes de Co | | | |
| Lacedaemoniis v | | | |
| *cyd. lib.* 1. c. 10 | | | |
| lat Laconum vic | 3. | 296 | 291 |
| Mneſitheides Arch | | | |
| Athenienſes Myro | | | |
| runt (*Idem ibid.* | 4. | 297 | 292 |
| Herodotus Halicar | | | |
| tyrannum | | | |
| Callias Archon (*D* | | | |
| Tolmidis Athenien | | | |
| Aeſchylus in Sicili | | | |
| *Oxon. Ep.* 60. | | | |
| *xii Onomaſt. I.* | 1. | 298 | 293 |
| Herodotus in ludi | | | |
| partem recitavit | | | |
| *cyd. Sect.* 18) | | | |
| Soſiſtratus Archon | | | |
| Pericles Peloponn | 2. | 299 | 294 |
| exercitum duxit | | | |
| (*Diodor. lib.* 11. | | | |
| Ariſton Archon (*I* | | | |
| Induciae quinquen | 3. | 300 | 295 |
| neſios | | | |

Lyſi-

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Christum | Olympiad. Coroebi. | Aera Romana | Aera Nabonaſſar. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| gnans | 4261 | 3729 | 453 | 4. | 301 | 296 |
| 153) | 4262 | 3730 | 452 | LXXXII. 1. | 302 | 297 |
| ictus, ) | 4263 | 3731 | 451 | 2. | 303 | 298 |
| orum, | 4264 | 3732 | 450 | 3. | 304 | 299 |
| oſuit. | 4265 | 3733 | 449 | 4. | 305 | 300 |
| | 4266 | 3734 | 448 | LXXXIII. 1. | 306 | 301 |
| The- cele- | 4267 | 3735 | 447 | 2. | 307 | 302 |
| | 4268 | 3736 | 446 | 3. | 308 | 303 |
| tticam | 4269 | 3737 | 445 | 4. | 309 | 304 |
| enaeis | 4270 | 3738 | 444 | 4. | 310 | 305 |
| undatio. annum adſcripti 12. c. 4. *factam* | | | | | | |
| | 4270 | 3738 | 444 | LXXXIV. 1. | 310 | 305 |

Lyſa-

| | Aera Romana | Aera Nabonaſſar. |
|---|---|---|
| Lyſanias Archon ( | | |
| Euripides & Prota | 311 | 306 |
| *bius*) | | |
| Diphilus Archon ( | 312 | 307 |
| Euripides in tragoe | | |
| Timocles Archon ( | 313 | 308 |
| Pericles Samum in | | |
| bello primum ari | | |
| Artemone Clazon | 313 | 308 |
| Morichides Archon | | |
| Comoediarum actio | 314 | 309 |
| *v. Euthymenes. S* | | |
| Zopyrus Megabyzi | 314 | 309 |
| Glaucidas Archon ( | | |
| Belli Corinthiaci in | 315 | 310 |
| Phidiae Statua Mine | | |
| (*Scholiaſtes ad* | | |
| *hanc Archonte Py* | | |
| *elaboratam tradid* | | |
| *ſtis Atticis T.* 3. | | |
| *teris hiſtoria p.* 6 | | |
| 87 *primo ſtatuam* | | |
| *ſit, ſed errores a* | | |
| *rerum Graecarum* | | |
| *pusque perfectioni* | | |
| *tiſſime explicavit* | | |
| *tionibus antiquari* | | |
| *praeclara illa ten* | | |
| *eoque ipſo tempor* | | |
| *dae feciſſe initium* | | |
| *no ideoque, poſtqu* | | |
| Theodorus Archon | 316 | 311 |
| Corcyraeorum victo | | |
| Euthymenes Archon | | |
| Lex quae comoedias | 317 | 312 |
| (*Suidas ſ. v. Eu* | | |
| *Acharn.* 67). | | |

Athe-

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Christum | Olympiad. Coroebi. | Aera Romana | Aera Nabonaſſar. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| *dor. lib.* | 4277 | 3745 | 437 | 4. | 317 | 312 |
| *c.* 33) | 4278 | 3746 | 436 | LXXXVI. 1. | 318 | 313 |
| m Co- | 4279 | 3747 | 435 | 2. | 319 | 314 |
| | 4280 | 3748 | 434 | 3. | 320 | 315 |
| emen- mune- e, quia cceſſe- e aeſti- 18 Ar- | 4281 | 3749 | 433 | 4. | 321 | 316 |
| | 4282 | 3750 | 432 | LXXXVII. 1. | 322 | 317 |
| e, Py- *eum.* | 4283 | 3751 | 431 | 1. | 323 | 318 |
| i Dece- | 4283 | 3751 | 431 | 2. | 323 | 318 |
| Atheni- embres *) acius in ym.* 87) | 4284 | 3752 | 430 | 3. | 324 | 319 |
| um Pe- | 4285 | 3753 | 429 | 4. | 325 | 320 |
| | 4286 | 3754 | 428 | 4. | 326 | 321 |

Diſti-

| | Aera Romana | Aera Nabonaſſar. |
|---|---|---|
| Dictimus Archon | | |
| Anaxagoras obiit | | |
| Lesbii legatos ad | | |
| Mitylenenſes ab A | 327 | 322 |
| Ariſtophanis comoe | | |
| Euclees Archon, | | |
| Siculus (*Buheri* | | |
| *teris* p. 753) | 327 | 322 |
| Lacedaemonii Plata | | |
| Ariſtophanis comoe | | |
| (*Martio*) in Dio | 328 | 323 |
| Euthydemus Archo | | |
| Locrenſium prae a | | |
| *lib.* 3. *c.* 91) | 328 | 323 |
| Heraclea Trachinia | | |
| *lib.* 3. *Diodor.* | | |
| Ariſtophanis Como | | |
| *Acharn.* v. 266 | 329 | 324 |
| Stratocles Archon | | |
| Cleon dux Athen | | |
| 581 &c.) | | |
| Lunae defectio (*Id* | | |
| Cleon Lacedaemoni | 329 | 324 |
| *dor. Sic. lib.* 12. | | |
| Artaxerxes mortuu | | |
| xes II. annum tan | | |
| Ariſtophanis comoe | 330 | 325 |
| Iſarchus Archon (*I* | | |
| Sogdianus Xerxis I | 330 | 325 |
| regnum interfect | | |
| Ariſtophanis Nubiu | 331 | 326 |
| Aminias Archon ( | | |
| Darius Nothus Per | 331 | 326 |
| Ariſtophanis Nubiu | | |
| ario | 332 | 327 |
| Ariſtophanis Veſpae | | |

Alcaeus

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Christum | Olympiad. Coroebi | | Aera Romana | Aera Nabonaſſar. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| …uo in …lueiae …mios, …d. lib. | 4292 | 3760 | 422 | | 3. | 332 | 327 |
| …ſpera- …t ſoci- …it | 4293 | 3761 | 421 | | 4. | 333 | 328 |
| …rmor. … urbe | 4294 | 3762 | 420 | XC. | 1. | 334 | 329 |
| …ce 990) | 4295 | 3763 | 419 | | 2. | 335 | 330 |
| … ibid.) | 4295 | 3763 | 419 | | 2. | 335 | 330 |
| Man- | 4296 | 3764 | 418 | | 3. | 336 | 331 |
| | 4297 | 3765 | 417 | | 4. | 337 | 332 |
| …l. c. 82) …s ſub- …116) | 4298 | 3766 | 416 | XCI. | 1. | 338 | 333 |
| | 4299 | 3767 | 415 | | 2. | 339 | 334 |
| | 4300 | 3768 | 414 | | 2. | 340 | 335 |
| …lia pe- | 4300 | 3768 | 414 | | 3. | 340 | 335 |
| lib. 6. …Diodor. | 4301 | 3769 | 413 | | 4. | 341 | 336 |

Callias

| | Ol. | Aera Romana. | Aera Nabonaſſar. |
|---|---|---|---|
| Callias Archon ( | 1 | 342 | 337 |
| Quadringentiviror | | | |
| enſis, menſe E | 1 | 343 | 338 |
| Ariſtophanis com | | | |
| Theopompus Arc | | | |
| Quadringenti viror | 2 | 343 | 338 |
| ſes quatuor dur | | | |
| finem (*Harpoc* | | | |
| Glaucippus Archo | | | |
| Athenienſium vi | 3 | 344 | 339 |
| (*Idem ibid.* c. 4 | | | |
| Diocles Archon | | | |
| Himera deleta a C | 4 | 345 | 340 |
| dationem (*Idem* | | | |
| Ariſtophanis Pluti | 4 | 346 | 341 |
| Euclemon Archon | | | |
| Medi adverſus Pe | | | |
| coacti (*Herodot.* | 1 | 346 | 341 |
| Rhodi civitas fund | | | |
| & Camiri migra | | | |
| Antigenes Archon | | | |
| Conon Lacedaemo | | | |
| Euripides mortuus | 2 | 347 | 342 |
| *in Onomaſt. I. p.* | | | |
| *piadis* 93 *colloca* | | | |
| Callias Archon ( | | | |
| Sophocles mortuu | | | |
| Lacedaemonii ab | | | |
| navali ſuperati | | | |
| *p.* 218 *conf.* X | 3 | 348 | 343 |
| Athenienſium duc | | | |
| praelio ſepelire | | | |
| affecti ſunt poſt | | | |
| Novembri, cele | | | |

Ari-

| | Periodus Juliana | Periodus Jobelea | Anni ante Chriſtum | Olympiad. Coroebi | Aera Romana | Aera Nabonaſſar. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| ario eme- | 4399 | 3777 | 405 | 3. | 349 | 344 |
| anies *Dio-* | 4399 | 3777 | 405 | 4. | 349 | 344 |
| anni Belli | 4310 | 3778 | 404 | 4. | 350 | 345 |
| — | 4314 | 3782 | 400 | XCV. 1. | 354 | 349 |
| *tem. II. Attic.* | | | | | | |
| | 4315 | 3783 | 399 | 1. | 355 | 350 |
| | 4322 | 3790 | 392 | XCVI. 4. | 362 | 357 |
| o vel | 4323 | 3791 | 391 | XCVII. 1. | 363 | 358 |
| | 4324 | 3792 | 390 | 2. | 364 | 359 |

Finem

Finem hunc canoni noſtro chronologico imponere placuit. Sex quae poſtremo loco poſita ſunt data, cum Herodoto quidem nil plane habent commune: Sed quia ſupra ad annum Julianum 4249 Syracuſas in libertatem reſtitutas, hanc per ſex decennia conſervaſſe, animaduerſum erat, & annum, quo iterum amiſſa eſt libertas, indicare haud ſupervacuum duximus. Socratis ſupplicium eiusque annum ideo addere viſum eſt, quia philoſophi huius nativitatem ſupra annotaueramus. Ad bellum quod attinet Peloponneſiacum, huius initium atque finem eam annotandam duximus ob cauſſam, quia Herodotus quorundam eventuum, quae bellum hoc moverant, fecerat mentionem. At mirum fortaſſis videbitur, nos Athenarum expugnationem Lyſandrinam in annum Julianum 4310, ante Chriſtum 404 collocaſſe, eaque Alexiam Archontem, annumque quartum Olympiadis 93 reſpondentem feciſſe, cum tamen chronologi in primum Olympiadis 94 annum hunc eventum collocare ſoleant. Sed animadvertendum eſt, ante Enneadecaëteridem Metonianam 1) vul-

1) Metonianus hic cyclus, cuius ad annum 4281 fecimus mentionem, dici quoque ſolet magnus Metonis annus. Continet ille dies 6940 in annos undeviginti diviſos, quorum alii duodecim alii tre-

vulgarem Athenienſium annum Olympico non reſpondiſſe, cum hiemali enim ille, hic cum aeſtivo ſolſtitio inchoatus eſt. Poſt Metonianum vero cyclum receptum, h. e. ab anno inde Juliano 4281, Atticus aeque ac Olympicus annus ſolſtitio aeſtivo [1]) inchoatus eſt. Cum Athenae caperentur, anno Juliano 4310, ante Chriſtum 404 menſe Munychione, qui in Aprilem circiter coincidit noſtrum, annus quartus Olympiadis 93 nondum erat elapſus, & Alexiae binos adhuc menſes cum aliquot diebus Archontis magiſtratus durabat. Quodſi vero interdum duo Olympici anni Juliano anno reſpondeant, hoc ideo factum eſt, qui Olympicus annus, a ſolſtitio incipiens aeſtivo circa Junii menſis finem, neceſſario poſteriores huius & priores ſequentis Juliani anni ſex menſes complectatur.

Pytha-

tredecim menſes, alii 354, alii 355, & ſeptem 384 dies numerabant. Emendatio haec annorum Metoniana mirum in modum placuit, eamque Graeci paene omnes, & poſtea etiam Macedones receperunt, menſesque ſecundum eam diſtribuerunt. Plura leguntur apud Rambachium in Diſputationibus archaeologicis Halae 1778. p. 12 ſqq. *Degen.*

1) Menſe Hecatombaeone, ſive cum primo novilunio poſt ſolſtitium aeſtivum Rambach l. l. p. 34. *Degen.*

Pythagorae mortem collocavimus in annum Julianum 4204, quia plurimi tradidere, philoſophum anno, quo Cyloniana in Pythagoraeos coniuratio detecta eſt, mortuum eſſe, & conſpirationem hanc mox poſt Sybarin & Crotoniatis deletam tentatam fuiſſe, poene omnes conveniunt.

Ad annum 4274 legis, quae Ariſtophanis comoedias agere vetabat, fecimus mentionem, quamquam de ea ſileat pater hiſtoriarum. Ob ſingulare hoc factum veniam eius facile ſperamus, teſtatur id Scholiaſtes ad Acharnenſes, Ariſtophanis v. 67. &, quia ſua fortaſſis ex illo ſumſit, Suidas ſ. v. Εὐθυμένης. Nimia tamen Comicorum petulantia mirum in modum placuit, quare poſt triennium, Archonte Euthymene, h. e. anno Juliano 4277 poſteriori ſemeſtri anni Olympiadis 95 tertii legem hanc abrogatam non miremur. Didaſcalia marmorea Romae nuper inventa, erudito quodam Italo de facto hoc dubitandi dedit occaſionem, hac enim in didaſcalia drama memoratur ſatyricum, Archonte Theodoro victoria armatum [1]). Archon hicce magiſtratum

 geſſit

1) Didaſcalia haec duobus e fragmentis conſiſtit, ad unam fortaſſis didaſcaliam pertinentibus. Perierunt paene omnes didaſcaliarum collectiones, &

geſſit inter Morichidem, qui comoedias agere vetarat, & Euthymenem, qui interdictum hoc abrogavit [2]). Haec eadem didaſcalia Coleophoros nominat, archonte Morichide actos. Ad Colophoros quod attinet, Oderico videtur [3]), hos magiſtratus Morichidis initio actos laſciva petulantia archontem offendiſſe, ipſique ad comoedias vetandas dediſſe occaſionem. Sed de altera Theodoro archonte acta comoedia perſuaſus eſt Odericus, eam Scholiaſtis Ariſtophanis teſtimonium refellere, & vel hunc, vel didaſcaliae auctorem erraſſe. Nos tamen Oderico aſſentire dubitamus, & utrumque

---

& fragmenta tantum occurrunt e nonnullis in argumentis comoediarum Ariſtophanis. Ex inſcriptionibus aliae hucusque nullae detectae ſunt, praeter marmorea haec fragmenta duo a Gaſp. Aloyſ. Oderico, Patricio Genuenſi explicata in libello doctiſſimo: De marmorea didaſcalia in Urbe reperta, Epiſtola ad Cajetanum Marinium, Romae 1777. 8. de quo conſulenda Bibliotheca critica Amſterodamenſis Partic. VII. 1783. pag. 41-71. leguntur haec fragmenta p. 47. 48. ex Oderico repetita.

2) Odericus p. 67. lin. 4. & Biblioth. Crit. l. l. p. 47. lin. 4. ΕΠΙ ΘΕΟΔΩΡΟΥ ΣΑΤΥΡΟΙΣ.

3) vid. Canon. chronol. ad annos 4274. 4275 & 4277.

que auctorum [1]) vera retuliſſe putamus. Lex nempe Morichidis de comoediis tantum lata, nec dramata ſatyrica agenda vetuit, quae, quod e dramate ſatyrico Euripideo, Cyclops, inſcripto, patet, longe diverſa a comoediis fuere, & huius generis fuit drama illud archonte Theodoro actum. Ad nomen autem quod attinet archontis, qui lege comoedias vetuit agendas a Diodoro *Myrithides* [2]), a Scholiaſte Ariſtophanis & a Suida *Myrichides* appellatur. Gravior quidem Hiſtorici, quam duorum Grammaticorum auctoritas videatur, ſed apud Diodorum ſi nominis ea inveniretur ſcriptura, ex errore librarii orta eſſe potuerit; nec minus ea non diiudicanda foret quaeſtio, quomodo Suidae & Scholiaſtis Ariſtophanis librarii eum in errorem induci potuerint? E didaſcalia vero haec marmori inciſa omnis iſta tollitur difficultas, nomen quippe Morichidis lapidarius incidit. Minimi momenti hanc eſſe quaeſtionem haud ignoramus, attamen cum

Ff 3 ſaepe

1) Odericus p. 67. fragm. 1. lin. 13. 14. & Biblioth. Crit. pag. 47. fragm. 1. lin. 13. . . . . I ΕΠΙΜΟΙΡΙΧΙΔΟΥ & 14. . . . ΥΣ ΚΩΜΩΙΔΟΦΟΡΟΙΣ.

2) p. 43.

3) Biblioth. hiſt. lib. 12. c. 29. p. 496.

ſaepe nominum e ſcriptura diverſa errores oriantur, paucis ea monere viſum eſt. Addidit Scholiaſtes, legem hanc per hunc annum binosque ſequentes uſu fuiſſe, archontibus Epigene & Theodoro, ἴσχυσεν ἐκεῖνόν τε τὸν ἐνιαυτὸν καὶ δυὸ τοὺς ἑξῆς Ἐπιγένε τε καὶ Θεοδώρε. Odericus emendavit ἐπὶ Γλαυκίδε καὶ Θεοδώρε. Emendatio, quam Diodori Siculi lib. 12. c 30. p. 497 defendit auctoritas evidentiſſima nobis videtur. Aldina quoque Ariſtophanis editio, ubi legitur ἐπὶ Γκίνε τὲ καὶ Θεοδώρε eam probare poteſt. Codicibus enim in manuſcriptis talia Scripturae compendia invenimus plura, maleque pictum Delta in Ny facile poteſt transformari.

In canone chronologico eventus in Herodotea non occurrentes hiſtoria memoravimus plures. Horum ideo fecimus mentionem, quippe eam lectoribus noſtris haud ingratam fore ſperabamus Inſeruimus & reges Aſſyrios, Ninives, Babylonis, Iſraëliticos & Judaeos quosdam, qui cum Mediae regibus rem habuere, cum Aegyptiis bella geſſere, & quia Scythae

---

1) Ariſtoph. ex edit. Aldi Regiſtr. X. IIII. lin. 3 & 4. a fine.

Scythae Aſiam inundantes & ſubiugantes in Judaeam quoque pervenere iugumque ſuum & huic impoſuere.

Romae quoque conditae fecimus mentionem & annos urbis Julianis adſcripſimus, quia dominae terrarum urbis fundatio maximis rebus geſtis annumeranda eſt, eaque aerae celeberrimae originem dedit. Omittere hanc minime debuimus, quia Tarquinii regni initium in auxilium vocandum eſt ad Cypſeli tyrannidem Corinthiacam definiendam. Aeram Nobonaſſariam ideo placuit adſcribere, quia cum anno, quo iugum Aſſyriacum deiecerunt Babylonii, arctiſſime connexa eſt, quamquam aerae huius uſus imperante demum Marco Aurelio vulgaris factus eſt. Addimus tandem Julianae periodo Frankianam Jobeleam, omnium quantum quidem in tanta annorum incertitudine, computationumque diverſitate eſſe poteſt, facile certiſſimam. Nec ingratam lectoribus fore ſperamus, epocham plurium ab Herodoto memoratarum urbium a nobis canoni noſtro inſertam

ſertam eſſe, quia pater hiſtoriarum non de omnibus fundationis annum addidit. Nihil enim praeterire voluimus, quod canonem hunc rerum peritis iucundum atque utilem redderet, & hanc ad metam ſi pervenire nobis licuerit, laborum & lucubrationum nos non poenitebit.

# Im Verlage der Meyerſchen Buchhandlung zu Lemgo bis ſind zur Oſtermeſſe 1795 folgende ganz neue Bücher herausgekommen:

Ardinghello und die glückſeeligen Inſeln, 2te rechtmäßige und verbeſſerte Auflage, 2 Bände, 8.

Aufſätze, geographiſche und hiſtoriſche, für Schullehrer; nebſt einer Charte, 8. (Vom Herrn Kammerrath G. A. von Breitenbauch.)

Beermanns, J. H. Grundſätze des heutigen deutſchen Kriegs-Rechts, 2 Theile, gros 8.

Bibliothek, neue hiſtoriſche, zum Gebrauch für alle Claſſen der Leſer, 3tes und 4tes Stück, 8.

Böhmeri, G. L. Electa iuris civilis, Tom. I. Editio noviſſima, 4. (Von Tom II. III. hat obige Handlung ebenfalls das Verlagsrecht käuflich übernommen)

—— Electa iuris feudalis, Tom. I. 4.

Bor-

Borheck, D. A. C. Apparatus ad Herodotum intelligendum & interpretandum, Vol. I. (Chronologia & Criſis Herodotea), 8 maj.

von Breitenbauch, G. A. Verſuch einer Erdbeſchreibung der ſechs Welttheile nach den Stämmen ihrer Regenten und Bewohner; nebſt 8 illum. Charten, 8.

Ciceronis, M. Tullii, Epiſtolae ad diverſos & ad Marcum Brutum, nach der Zeitfolge geordnet, und mit Einleitungen und Anmerkungen zum Schulgebrauch erläutert, von Dr. A. C. Borheck, 1ten Bandes 1te und 2te Abtheilung und 2ter Band, 8.

Diodori Siculi Bibliothecae Hiſtoricae libri qui ſuperſunt & fragmenta graece ex Recenſ. P. Weſſelingii curavit M. L. Wachler, Vol. I. P. I. Lib. I-III, 8 maj.

Ewald, J. L. Predigerbeſchäftigung und Predigerbetragen, 9tes Heft, gros 8.

Focke, Dr. J. L. A. Unterricht für die Hebammen in der Grafſchaft Lippe, 8.

Gebhard, Dr. G. L. bibliſches Wörterbuch als Realconcordanz über die ſämmtlichen heiligen Bücher des Alten und Neuen Bundes für Prediger und andere Freunde und Verehrer der heiligen Schrift. Mit einer Vorrede des Herrn Geheimen R. Rath Hezel; 2ter Band 1. 2tes und 3ter Band 1tes St. gr. 8.

Grimm, ſyriſche Chreſtomathie, 8.

von Hoffmann, Darſtellung der reinen Wahrheit gegen die Lügen der Rottbergiſchen Schrift, betittelt: Vertheidigung gegen einen ehrbeleidigenden Angriff des Präſidenten von Hoffmann in Detmold und Conſorten, 8.

Höſeler,

Häſsler, J. F. Anfangsgründe der Arithmetik, Algebra, Geometrie und Trigonometrie, 2ter Theil, mit Kupfern, 2te verbeſſerte und vermehrte Auflage, 8.

Hermanni, J. W. Verſuch einer populären Anweiſung für den Bürger und Landmann in den Preuß. Staaten, zum vorſichtigen und mit den Grundſätzen des neuen Preuß. Geſetzbuchs übereinſtimmenden Verhalten bey den gewöhnlichſten Geſchäften des bürgerlichen Lebens, um Proceſſe und Strafen zu verhüten, und in Ruhe und Frieden leben zu können, 8.

Heſiod's Schild des Herakles, nebſt den Schilden des Achilleus und Aeneas von Homer und Virgil. Metriſch verdeutſcht, mit dem Original begleitet und erläutert von J. D. Hartmann, 8.

Kortum, C. G. T. mediciniſch-chirurgiſches Handbuch der Augenkrankheiten, 2ter Band, gros 8.

Leun, Dr. J. G. F. Handbuch der kurſoriſchen Lectüre der Bibel Neuen Teſtaments, für Schulen und Univerſitäten, 1ter Theil, gros 8.

Loskant, J. des jüngern, praktiſche Anleitung zur Verfaſſung der an dem Kaiſerlichen Reichs-Cammergerichte üblichen Schriftſätzen, mit mehreren beygefügten Schriften aus den verſchiedenen allda vorkommenden Proceßgattungen, gros 8.

Meuſel, J. G. fünfter Nachtrag zu der vierten Ausgabe des Gelehrten Teutſchlands, gros 8.

Otter-

Otterbein, G. S. Leſebuch für deutſche Schulkinder, 3te Auflage, 8.

Piepenbring, G. H. über die Schädlichkeit der Bleygla- ſur der gewöhnlichen Töpferwaaren, nebſt Anweiſung und rechtem Gebrauch eines andern beſſern, dauerhaf- teren und gar nicht ſchädlichen Küchengeſchirrs, 8.

Pothmanns, M. C. Varenholzer Abſchieds- und Lemgoer Antrittspredigt, 8.

Rayland, B. J. allgemeinnützliches und zweckmäßiges Handbuch zur Erhaltung und Wiedererlangung der Geſundheit. Ein Leſebuch für Jedermann, 1ſter Theil 8.

Sammlung, merkwürdiger, am kaiſerlichen Reichskam- mergerichte entſchiedener Rechtsfälle mit ausführlicher Erörterung wichtiger Rechtsfragen, 6ter Theil, 8.

Scherf, J. C. F. Diſpenſatorium Lippiacum genio mo- derno accommodatum. Pars II. 8. maj.

— — Briefe über Meinberg, 8.

Stertzenbach, A. Aktenmäßige Erzählung des gegen den Colonus Fiſcher aus Brake am 15ten April 1794, auf der von Brake nach Detmold führenden Landſtraßen verübten Mordes und Sträßenraubes, nebſt einigen den Gang der Unterſuchung und ſowohl die That als den Verbrecher betreffenden Bemerkungen, 4.

Ver-

Verzeichnis aller anonymiſchen Schriften und Aufſätze in der vierten Ausgabe des gelehrten Teutſchlandes, und deren erſtem und zweytem Nachtrage, von M. J. S. Erſch, fortgeſetzt aus dem dritten und vierten Nachtrage, gros 8.

Vorleſungen über die Federſche Logik und Metaphyſik für Anfänger auf Schulen und Univerſitäten, 2ter Theil, über die Federſche Metaphyſik, 8.

— — bibliſch-exegetiſche, über die Dogmatik nach Döderlein, mit vorzüglicher Hinſicht auf das Hezelſche Bibelwerk, für junge Theologen und Prediger, von D. G. 1ten Bandes 1tes St. gros 8.

Wachler, L. Verſuch einer allgemeinen Geſchichte der Literatur, für ſtudirende Jünglinge und Freunde der Gelehrſamkeit, 2ter Band, 8.

— — Grundriß einer Encyclopädie der theologiſchen Wiſſenſchaften, zum Gebrauch bey Vorleſungen, 8.

Wahlkapitulationen, die neueſten, Leopolds und Franz II. Nebſt einem hiſtoriſch-publiciſtiſchen Commentar, 4 (Vom Herrn Reg. Rath Crome in Gießen.)

Weddigen, P. F. geographiſches Handbuch für Kaufleute, 2ter Band, 8.

— — neues weſtphäliſches Magazin zur Geographie, Hiſtorie und Statiſtik, 12tes Heft, 4.

Wör-

Wörterbuch über den Juſtinus, zum Behuf derer, welche bey Ermangelung eines allgemeinen Wörterbuchs, dieſes als Hülfsmittel der Vorbereitung gebrauchen wollen, herausgegeben von A. C. Meineke, 8.

Xenophons, ſämmtliche Schriften, aus dem Griechiſchen überſetzt von A. Chr. und Konr. Borheck, 5ter Theil, gros 8.